TM 1221

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

DE MYSTERIO SS. TRINITATIS

ET DE ANGELIS

AD USUM SEMINARIORUM

Et examinis ad Gradus Theologicos prævii in Compendium contractæ

AB HONORATO TOURNELY

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, Socio Sorbonico & Emerito Professore, necnon Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonico.

TOMUS SECUNDUS.





VENETIIS,

EX TYPIS NICOLAI PEZZANA

M. DCC. LVIII.

Cum Superiorum Licentia ac Privilegio.

INDEX QUÆSTIONUM.

TRACTATUS DE SS. TRINITATE.

QUÆSTIO PRIMA. *De cognitione mysterii SS. Trinitatis, & necessitate illud credendi,* 2

Articulus I. *An mysterium SS. Trinitatis sola ratione naturali duce demonstrari possit. Observanda. Opiniones,* ibid.

Prima Conclusio. Mysterium SS. Trinitatis sola ratione duce, & citra ullum fidei auxilium, positive demonstrari non potest, 3

Secunda Conclusio. Etiam suppositâ fide, mysterium SS. Trinitatis positive demonstrari non potest, 5

Tertia Conclusio. Suppositâ fide hujus mysterii, potest exemplis & similitudinibus quibusdam utcunque suaderi, illustrari & confirmari, 6

Quarta Conclusio. Mysterium SS. Trinitatis ratione naturali potest negative demonstrari, *Solvuntur Objectiones,* ibid.

Articulus II. *An mysterium SS. Trinitatis Judæis & Gentilibus Philosophis cognitum aliquando fuerit,* 11

Prima Conclusio. Judæorum Patriarchis, Prophetis, & viris sanctitate conspicuis aperta hujus mysterii revelatio concessa fuit, ib.

Secunda Conclusio. Vigebat apud Judæos inter Legis peritos subobscura quædam de SS. Trinitate traditio, 12

Tertia Conclusio. Judæorum vulgo ignotum fuit mysterium SS. Trinitatis, ibid.

Quarta Conclusio. Gentiles Philosophi accuratam & rectam non habuerunt SS. Trinitatis notitiam, & si quid in Scripturis suis de illa adumbrarunt, totum id commercio quod cum Hebræis habuerunt, accepere, 13
Articulus III. *An mysterium SS. Trinitatis sit articulus fundamentalis fidei, ab omnibus, qui salvi esse volunt, necessario credendus*, 15
Conclusio. Mysterium SS. Trinitatis fundamentalis est fidei christianæ articulus, cujus aperta cognitio ac professio ad salutem prorsus est necessaria, ibid.
QUÆSTIO II. *De variis erroribus & Hæreticis a quibus sanctissimæ Trinitatis mysterium impugnatum fuit*, 17
Articulus I. *Referuntur Hæretici qui distinctas realiter in Deo personas negaverunt*, ib.
Articulus II. *Referuntur Hæretici qui divinarum sanctissimæ Trinitatis personarum consubstantialitatem negaverunt*, 19
Hæretici qui trium simul personarum consubstantialitatem sustulerunt, ibid.
Hæretici qui Verbi divini ac Christi divinitatem impugnaverunt, 21
Hæretici qui divinitatem Spiritus sancti & ipsius cum Patre & Filio consubstantialitatem impugnaverunt, 25
QUÆSTIO III. *De divinarum personarum distinctione & numero*, ibid.
Articulus Unicus. *An sint in Deo tres personæ realiter distinctæ*, 26
Conclusio. Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ in una & eadem numero divina substantia, ibid.
Prima Probatio ex Scripturis. Ex veteri Test. 27
Primum Argumentum. *Ex iis locis in quibus Deus de seipso numero plurali loquitur*, ib.

Sc-

Socinianorum evasio, ibid.
Refellitur triplex Socinianorum responsio, 28
Secundum Argumentum. *Ex iis locis in quibus sermo est de Deo uno & singulari, & distinctis in ipso personis*, ibid.
Secunda probatio ex novo Testamento, 29
Primum Argumentum. *Ex forma Baptismi a Christo instituti*, ibid.
Secundum Argum. *Ex missione Spiritus S.* ib.
Tertium Argumentum. *Ex versu 7. primæ Epistolæ sancti Joannis c.5.* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c. 30
Tertia probatio ex constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione, 31
Generalia quædam momenta, ibid.
Testimonia SS. Patrum, 32
Solvuntur Objectiones. 34
Expenditur celeberrimus textus ex v.7. Epistolæ I. S. Joannis cap.5. desumptus: Tres sunt qui testimonium, &c. 39
Vendicatur fides, auctoritas & veritas versus 7. cap.5. Epistolæ I. S. Joannis, 40
Primum Argumentum. *Ex Codicibus manuscriptis optimæ notæ*, ibid.
Secundum Argumentum. *Ex testimoniis veterum Scriptorum*, 44
Tertium Argumentum. *Ex consensu utriusque Ecclesiæ*, 46
Quartum Argumentum. *Ex ipsa serie contextus Epistolæ sancti Joannis*, 47
Quintum Argumentum. *Ex infirmitate momentorum quibus nititur adversariorum sententia*, 48
Vindicatur verus ac legitimus sensus versus 7. cap.5. Epistolæ I. S. Joannis, 56
QUÆSTIO IV. *De trium SS. Trinitatis personarum consubstantialitate*, 58

Articulus I. *An Pater æternus sit secundum se Deus*, ibid.
Conclusio. Pater secundum se est Deus, 59
Articulus II. *An Filius divinus sit Deo Patri consubstantialis*, 60
Observanda, ibid.
Sectio I. *Demonstratur ex Scripturis Christi divinitas, seu ipsius cum Deo Patre consubstantialitas*, 62
Primum Argumentum. *Ex nominibus quæ Deo propria sunt, & Christo Domino tribuuntur*, 63
Primum Testimonium. *Ex cap. 22. Jeremiæ v. 5. & 6. ubi Messias Christus appellatur* Jehovah, ibid.
Secundum Testimonium. *Ex c. 9. Isaiæ v. 6. ubi futurus Messias Christus vocatur* Deus El, 64
Tertium Testimonium. *Ex c. 1. S. Joannis v. 1. &c. quo in loco Christus nomine* Dei *absolute & sine addito insignitur*, 65
Secundum Argumentum. *Ex natura Dei, quæ Christo tribuitur in Scripturis*, 69
Primum Testimonium. *Ex c. 6. Is. v. 1. & seq.* ib.
Secundum Testim. *Ex c. 10. S. Joan. v. 30.* 70
Tertium Testimonium. *Ex his verbis Apost. ad Philipp. 2. 6.* Qui cum forma Dei esset, &c. 71
Tertium Argumentum. *Ex attributis divinis quæ de Christo prædicantur*, 72
Quartum Argumentum. *Ex operationibus Dei quæ sunt Christo communes*, ibid.
Quintum Argumentum. *Ex cultu soli Deo debito, & qui Christo exhibetur*, 73
Solvuntur Objectiones. 74
Sectio II. *Asseritur Christi divinitas, ipsiusque cum Patre æterno consubstantialitas, ex constanti ac perpetua totius Ecclesiæ Traditione*, 87
Articulus I. *Quid de Verbi divinitate senserint*

rint Patres Antenicæni, sive Græci, sive Latini, ibid.
Concl. Constans ac perpetua ab Apostolis & a SS. PP. usque ad Concil. Nicænum defluxit Traditio de Verbi divinitate, ac ipsius cum Patre æterno consubstantialitate, 89
Probatur 1. ex SS. Patribus Græcis. Sanctus Ignatius, 90 *S. Polycarpus*, ib. *S. Justinus*, 91 *S. Irenæus*, 97. *Origenes*, 99
Probatur 2. ex Patribus Latinis, Tertullian. 104
Articulus II. *Quid circa Verbi divinitatem definierint Patres Nicæni*, 111
Articul. III. *Quid de Verbi divinitate ipsiusque cum Patre consubstantialitate senserint qui post Nicænam primam Synodū floruerunt*, 113
De fide Eusebii Cæsariensis, ibid.
De Liberio Summo Pontifice, 119
De Osio Cordubensi, 126
De Patribus Ariminensibus, 127
Articulus IV. *An Spiritus S. sit persona divina Patri & Filio consubstantialis*, 133
Prima Conclusio. Spiritus sanctus vera est ac per se subsistens persona, ibid.
Primum Argumentum. *Ex operationibus quæ personarum sunt, & Spiritui sancto tribuuntur*, ibid.
Secundum Argumentum. *Spiritus sanctus non tantum a Patre & Filio distinctus, sed etiam alius, & ab utroque missus dicitur*, 135
Tertium Argumentum. *Spiritus sanctus eadem exterius cum Patre & Filio operatur*, 136
Secunda Conclusio. Spiritus sanctus verus est Deus Patri & Filio consubstantialis, 137
Probatur 1. ex Scripturis, ib.
Primum Argumentum. *Ex nomine & natura Dei*, ibid.
Secundum Arg. *Ex divinis attributis*, 140

Tertium Argumentum. *Ex operationibus Deo propriis.* 141
Probatur 2. divinitas Spiritus sancti, ex Traditione SS. Patrum, 142
Solvuntur Objectiones Socinianorum, 144
QUÆSTIO V. *De divinis processionibus,* 148
Articulus I. *De nomine & definitione divinarum Processionum,* ib.
Articulus II. *De existentia & numero Processionum divinarum,* 149
Prima Conclusio. Datur in Deo vera & proprie dicta Processio, ibid.
Secunda Conclusio. Duæ sunt in Deo Processiones, 150
Tertia Conclusio. Non sunt in Deo plures quam duæ Processiones, ibid.
Solvuntur Objectiones, 151
Articulus III. *De divinarum Processionum proprietatibus,* 155
Concl. Divinæ Processiones immanentes sunt, æternæ, substantiales, necessariæ, metaphysicæ, ab omnibus creatæ productionis imperfectionibus longius sepositæ ac segregatæ, ib.
Articulus IV. *De principiis divinarum Processionum,* 157
Opiniones Scholæ, 158
Prima Conclusio. Essentia divina, præcisis per mentem intellectu & voluntate, non est per se principium *quo* proximum & immediatum divinarum Processionum, 160
Solvuntur Objectiones, 161
Secunda Concl. Solæ relationes divinæ non dentur esse principium *quo* proximum & immediatum divinarum Processionum, 162
Solvuntur Objectiones, 163
Tertia Concl. Intellectus & voluntas sunt principia proxima divinarum Processionum, 164

Quar-

Quarta Concl. Intellectus & voluntas non sunt principia proxima divinarum Processionum, etsi notionaliter sumpti, hoc est, quatenus adjunctas habent relationes sibi proprias, 166
Quinta Conclusio. Relationes adjunctæ intellectui & voluntati, non comprincipii influentis, sed conditionis duntaxat ad productionem necessariæ, rationem obtinent, ib.
Sexta Conclusio. Intellectio & volitio notionales ab essentialibus non distinguuntur ex æquo & adæquate, ut actus ab actibus; sed inadæquate duntaxat, ut includens & inclusum, 167
Articulus V. *De discrimine processionis Filii a processione Spiritus sancti: seu quare processio Filii sit & dicatur generatio, non processio Spiritus sancti,* 168
Prima Conclusio. Processio Verbi dicenda est generatio, 169
Secunda Conclusio. Sola processio Verbi dicenda est generatio, 170
Tertia Conclusio. Nulla potest afferri ratio quæ evidens sit & undequaque satisfaciat, cur sola processio Filii dicenda sit generatio, non autem Spiritus sancti, 171
Expenditur opinio Richardi a S. Victore, 172
Expenditur opinio S. Bonaventuræ, 173
Expenditur Scoti opinio, 174
Expenditur opinio Vasquesii, ibid.
Expenditur opinio Suaresii, 175
Expenditur opinio S. Thomæ, 176
QUÆSTIO VI. *De divinis Relationibus,* 178
Articulus I. *An, & quid sint in Deo Relationes, quot numero: an veræ perfectiones?* 179
An sint in Deo veræ Relationes, ibid.
Conclusio. Sunt in Deo veræ ac reales relationes originis, ibid.

Quid sint in divinis Relationes originis. An reales sint, subsistentes, &c. 180
Conclusio. Originis relationes in Deo accidentales non sunt, nec adventitiæ, sed essentiales, internæ, subsistentes, & omni respectu veræ ac reales, 181
Quot sint in Deo numero Relationes originis, 182
Concl. Quatuor duntaxat in Deo sunt Relationes originis, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva, ibid.
An relationes divinæ sint perfectiones, 183
Conclusio. Relationes divinæ formaliter ut relationes sunt, ac secundum esse *ad*, veræ sunt ac reales perfectiones, 184
Articulus II. *An & quomodo Relationes divinæ tum ab essentia tum a se invicem distinguantur,* 186
Prima Concl. Relationes divinæ ab essentia divina realiter non distinguuntur, 187
Secunda Conclusio. Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur, paternitas, filiatio, & spiratio activa comparata cum passiva, realiter inter se distinguuntur, ibid.
Tertia Conclusio. Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate & filiatione, sed virtualiter tantum, ibid.
Solvuntur Objectiones, 189
Articulus III. *Quod sit Relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodo divinas personas constituant, & a se invicem distinguant? Status quæstionis,* 191
Prima Concl. Sunt in Deo proprietates personales quibus personæ divinæ constituuntur; atque relativæ illæ sunt, non absolutæ. 193
Secunda Concl. Persona divina in ratione communi & quasi generica personæ considerata, constituitur per relationem, ut est forma quæ-

quædam hypostatica ; seu per relationem secundum esse in spectatam: at vero considerata in ratione quasi specifica talis personæ, constituitur per relationem formalem, quatenus respicit terminum, seu per relationem secundum esse *ad* spectatam. V. g. Pater in ratione communi personæ concipitur a nobis constitui per paternitatem, quatenus est forma hypostatica, Pater vero in ratione explicita & singulari Patris constituitur per respectum ad Filium, 195
Solvuntur Objectiones. 196
QUÆSTIO VII. *De notionibus divinarum personarum, & de earumdem missione & circuminsessione,* 199
Articulus I. *De essentia ; existentia, & numero divinarum Notionum,* 200
Paragraphus I. *Quid sint divinæ Notiones,* ib.
Paragraphus II. *An sint in Deo admittendæ Notiones,* ibid.
Conclus. Admittendę sunt in Deo notiones, ib.
Paragraphus III. *Quot sint in divinis admittendæ Notiones,* 201
Conclusio. Admittendæ sunt in Deo quinque Notiones, non plures, nec pauciores; nempe, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva, 202
Solvuntur Objectiones quibus augetur numerus notionum, 203
Solvuntur Objectiones quibus minuitur numerus notionum, 206
Articulus II. *De Missione in divinis,* 208
Articulus III. *De Circuminsessione, seu de mutua inexistentia personarum in invicem,* 211
QUÆSTIO VIII. *De Personis divinis in communi,* 212
Articul. I. *An sint in Deo admittendæ tres Sub-*

sistentiæ relativæ, & una absoluta tribus personis communis, 213
Prima Conclusio. Tres sunt in Deo subsistentiæ relativæ, 215
Secunda Conclusio. Nulla est in Deo subsistentia communis & absoluta, ibid.
Solvuntur Objectiones, 218
Articulus II. *An sint, ac dici possint in Deo tres existentiæ relativæ, & una absoluta*, 224
Conclusio. Præter absolutam & communem existentiam, tres relativas in divinis admittere nihil vetat, ibid
Articulus III. *An quæcumque sunt in Deo absoluta, tribus personis communia sint; an vero per quamdam appropriationem, etiam inter absoluta Dei attributa quædam sint personis propria*, 226
Prima Concl. Quæcumque sunt in Deo absoluta, tribus divinis personis communia sunt, ib.
Secunda Conclusio. Nonnullæ proprietates absolutæ certis personis speciali quadam ratione tribuuntur & accommodantur; v. g. Patri, omnipotentia; Filio, sapientia; Spiritui sancto, bonitas & charitas, ibid.
QUÆSTIO IX. *De Personis divinis sigillatim sumptis*. 227
Articulus I. *De Persona Patris*. ibid.
Articulus II. *De Persona Filii*, 230
Paragraphus I. *De variis Filii nominibus*, ib.
Paragraphus II. *Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum divinum*, 231
Prima Conclusio. Verbum divinum formaliter & essentialiter procedit ex cognitione eorum omnium quæ sunt in Deo formaliter ac necessario; adeoque ex cognitione essentiæ, attributorum, personarum divinarum, creaturarum possibilium, ibid.

Se-

delium precibus ac suffragiis juventur & subleventur. 231
Conclusio. Justorum animæ quibus post mortem nonnihil expiandum supereſt, Purgatorii pœnis expurgare illud prius tenentur, quam ipsis concedatur aperto Dei conspectu frui; atque ut mitiores fiant & breviores eorum pœnæ, viventium suffragiis juvari possunt ac sublevari. *ibid.*
Articulus III. *Utrum in ista mortali vita intuitiva Dei visio nonnullis concessa fuerit.* 238
Conclusio. Nemini mortalium, quamdiu in vivis fuit, concessa est, ne quidem ad breve tempus ac transeunter intuitiva Dei visio. *ibid.*
Caput tertium. *De principiis effectivis visionis Dei intuitivæ.* 242
Articulus I. *An detur, vel saltem sit possibilis in visione Dei intuitiva species aliqua, sive impressa, sive expressa.* ibid.
Prima Conclusio. Nulla datur species impressa in visione Dei intuitiva; non videtur tamen impossibilis. 243
Secunda Conclusio. Admittenda est in visione Dei beatifica species quæ dicitur expressa, seu *verbum mentis.* 244
Articulus II. *De lumine gloriæ. Quæ ipsius natura, quæ necessitas, quæ officia.* 247
Prima Conclusio Lumen gloriæ est quidam habitus intellectualis supernaturalis, elevans intellectum ad eliciendam visionem Dei. *ibid.*
Secunda Conclusio. Lumen gloriæ necessarium est ad eliciendam beatificam Dei visionem. *ibid.*

Tertia Conclusio. Lumen gloriæ suppleri potest absolute per uberiorem Dei concursum. 249
Quarta Conclusio. Intellectus active concurrit ad visionem Dei beatificam, ut causa principalis; lumen vero gloriæ ut instrumentum Dei. 251
Quinta Conclusio. Nulli creaturæ possibili naturale ac debitum esse potest lumen gloriæ. *ibid.*
Caput Quartum. *De objecto visionis Dei intuitivæ*. 254
Articulus I. *De primario visionis Dei objecto*. ibid.
Prima Conclusio. Beati vident quæ sunt in Deo formaliter ac necessario, secundum proprias & necessarias eorum rationes; non vero secundum rationes secundarias, seu varios ad creaturas respectus. 255
Secunda Conclusio. Fieri non potest ut videatur essentia divina sine attributis, aut unum attributum sine alio. *ibid.*
Articulus II. *De objecto secundario visionis beatificæ*. 257
Prima Conclusio. Beati vident aliquas creaturas, non tamen omnes futuras, vel possibiles. *ibid.*
Secunda Conclusio. Beati formaliter & vi visionis beatificæ creaturas in Deo vident. 259
Caput Quintum. *De proprietatibus visionis beatificæ*. 260
Articulus I. *An visio beatifica, tum Angelorum, tum hominum, ejusdem sit speciei*. 261
Conclusio. Visio beatifica Angelorum & homi-

minum ejusdem est speciei. ibid.
Articulus II. *An visio beatifica æqualis sit in omnibus Beatis.* 262
Conclusio. Æqualis non est in omnibus Beatis visio Dei beatifica. 263
Articulus III. *De principio inæqualitatis visionis beatificæ.* 265
Conclusio. Inæqualitas visionis beatificæ oritur, tanquam a causa physica totali & adæquata, ab inæquali lumine gloriæ, non vero a minori vel majori perfectione, seu perspicacia intellectus. ibid.
QUÆSTIO SEPTIMA. *De scientia Dei.* 267
Caput Primum. *An sit in Deo scientia proprie ac stricte sumpta.* ibid.
Conclusio. Est in Deo scientia proprie ac stricte sumpta. ib.
Caput Secundum. *De objecto scientiæ Dei.* 270
Articulus I. *An Deus semetipsum, creaturas possibiles vel existentes cognoscat.* ib.
Prima Conclusio. Deus semetipsum perfecte ac comprehensive cognoscit. ib.
Secunda Conclusio. Deus certo, distincte ac figillatim cognoscit omnes creaturas, etiam possibiles. 271
Tertia Conclusio. Deus certissime cognoscit omnia præsentia, singularia etiam vilissima, bona & mala, tum culpæ, tum pœnæ, occultas etiam cordium cogitationes. 272
Articulus II *An Deus certo cognoscat futura absoluta, libera, & conditionata.* 274
Conclusio. Deus certissime cognoscit futura libera & contingentia. ibid.
Ar-

Articulus III. *An Deus certo cognoscat futura contingentia.* 279
Concluſio. Deus certiſſime cognoſcit futura conditionata. ib.
Caput Tertium. *De medio in quo Deus omnia cognoſcit,* 284
Articulus I. *In quo medio Deus ſeipſum ac creaturas poſſibiles aut exiſtentes cognoſcat.* 285
Prima Concluſio. Deus abſque ullo medio ſeipſum ſuaſque perfectiones, per ſeipſum immediate cognoſcit. ib.
Secunda Concluſio. Deus cognoſcit in ſua eſſentia res omnes creatas. 286
Tertia Concluſio. Deus omnia poſſibilia certo cognoſcit, tum in ſua eſſentia, tum in ſua omnipotentia. ib.
Articulus II. *Quo in medio abſolute & libere futura Deus cognoſcat.* 288
Prima Concluſio. Deus futura contingentia non cognoſcit, aut in reali eorum cum æternitate coexiſtentia, aut in proximis eorum cauſis, tanquam in medio prius cognito. 291
Secunda Concluſio. Deus futura libera naturalis ordinis non cognoſcit, tanquam in medio prius cognito, in ſuis decretis abſolutis phyſice præmoventibus. 292
Tertia Concluſio. Deus futura libera naturalis ordinis certo cognoſcit in ſua eſſentia, tanquam ſpecie intelligibili in repræſentando infinita. 296
Quarta Concluſio. Deus futura libera ordinis ſupernaturalis in ſtatu naturæ, ſive innocentis, ſive lapſæ, non cognovit, tanquam in medio, in ſuis decretis phyſice præmoventibus. 297

Ar-

Secunda Concluſio. Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam contingentium, non quidem neceſſario ac per ſe, ſed concomitanter & quaſi per accidens; quia nimirum ſunt in eſſentia divina, 236
Articulus III. *De Perſona Spiritus ſancti*, 237
An Spiritus S. procedat ex Patre & Filio, 238
Concluſio. Spiritus S. a Filio procedit, 242
Solvuntur Objectiones, 247
An particula Filioque *merito addita fuerit Symbolo Conſtantinopolitano, & quando*, 254
Concluſio. Particula *Filioque* jure ac merito addita fuit Symbolo Conſtantinpolitano, 255
Solvuntur Objectiones, 257
Quo tempore particula Filioque *Symbolo Conſtantinopolitano adjecta fuerit*, 263
An Pater & Filius unum ſint Spiritus ſancti principium, 264
Concluſio. Spiritus ſanctus a Patre & Filio, tanquam ab uno principio; procedit, 265
Solvuntur Objectiones, ibid.
An ſi Spiritus S. a Filio non procederet, ab ipſo diſtingueretur. 268
Concluſio. Si Spiritus ſanctus a Filio non procederet, ab illo nullatenus diſtingueretur, 269
Solvuntur Objectiones. 270
QUÆSTIO X. *De cautione qua in miſterio SS. Trinitatis loquendum eſt, certiſque vocibus in eo exponendo uſurpari ſolitis*, 272
Articulus I. *Proponuntur & exponuntur voces in exponendo SS. Trinitatis myſterio uſurpari ſolitæ*, ibid.
Quid ſit eſſentia, natura, ſubſtatia, exiſtentia, 273
Quid ſit hypoſtaſis, perſona, ſuppoſitum, ſubſiſtentia, 274
Quid ſit, conſubſtantialis *apud Latinos*, & ὁμόσιος *apud Græcos*, 277

De

De aliis terminis quorum usus est apud Theologos, ubi de mysterio SS. Trinitatis, 282
Articulus II. *Qua ratione nomina essentialia, concreta, substantiva prædicentur de personis divinis*, 285
Conclusio. Nomina essentialia, concreta, substantiva, vel etiam adjectiva, *substantive* tamen accepta, prædicantur singulariter de tribus personis, ibid.
Articul. III. *Qua ratione nomina essentialia adjectiva prædicentur de personis divinis*, 286
Conclusio. Nomina essentialia concreta adjectiva, vel substantiva *adjective* sumpta, prædicantur in plurali de personis divinis, ib.

TRACTATUS DE ANGELIS.

QUÆSTIO I. *De nomine, definitione, & existentia Angelorum*, 290
Articulus I. *De nomine Angelorum*, ibid.
Articulus II. *De definitione Angelorum*, 291
Articulus III. *De existentia Angelorum*, 292
Prima Conclusio. De fide est Angelorum existentia, 293
Secunda Conclusio. Angelorum existentia naturali ratione suaderi ac probabiliter ostendi potest, 294
Tertia Conclusio. Non potest solius rationis ope demonstrari existentia Angelorum, 295
Solvuntur Objectiones, 296
QUÆSTIO II. *De natura & essentia Angelorum*, 301
Articulus I. *An Angeli natura sint spirituales & omni materiæ expertes*, ibid.
Prima Conclusio. Angelorum substantia non est pure corporea, 304
Secunda Conclusio. Angelorum substantia non constat ex spiritu & corpore subtiliori & in-

invisibili, sicut natura humana ex spiritu & corpore crassiore; sed est pure spiritualis & omnis omnino materiæ expers, 305
Tertia Conclusio. Angelica substantia non indiget corpore tanquam instrumento per quod proprias & naturales suas operationes eliciat, 312
Solvuntur Objectiones, 314
Articulus II. *Utrum Angeli incorruptibiles sint & immortales*, 235
Prima Concl. Angeli sunt in perpetuum extituri, nullique interitui subjacebũt unquam, 336
Secunda Concl. Angeli sunt incorruptibiles & immortales ex suis principiis intrinsecis, 338
Tertia Concl. Angeli non sunt immortales & incorruptibiles absolute, seu ratione potentiæ Dei extraordinariæ, qua nempe agit præter exigentiam causarum naturalium, 339
Solvuntur Objectiones. ibid.
Articulus III. *Utrum omnes Angeli sint unius & ejusdem speciei*, 346
Prima Concl. Certa fide non constat, utrum omnes Angeli sint unius aut diversæ speciei, 347
Secunda Conclusio. Certum est dari posse plures Angelorum species, 348
Tertia Conclusio. Certum etiam videtur, possibile esse sub eadem specie dari plures Angelos solo numero differentes, ibid.
Quarta Conclusio. Probabilius est, non omnes Angelos esse unius & ejusdem speciei, 350
Quinta Concl. Probabilius etiam est, non omnes Angelos differre specie, sed plures esse ejusdem speciei, & solo numero differentes, 351
Solvuntur Objectiones. 352
QUÆSTIO III. De intellectu Angelorũ, 359
Articulus I. *De natura intellectus angelici*, 360
An & qua ratione vis intellectiva Angeli distincta sit ab ipsius substantia, ibid.

Con-

Conclusio. Intellectus angelicus non realiter, sed virtualiter duntaxat a substantia ipsius Angeli distinguitur, ibid.
An & qua ratione intellectio distinguatur tum ab intellectu, tum a substantia Angeli, 364
Prima Conclusio. Intellectio nec est tota angelicæ substantiæ essentia, nec differentia essentialis ipsius constitutiva, 365
Secunda Concl. Intellectio angelica differt a vi intellectiva Angeli, non realiter, tanquam res a re ex æquo & adæquate distincta; sed moraliter, tanquá modus a re modificata, 366
Tertia Conclusio. Non alia etiam admittenda est distinctio quam modalis, intellectionem inter & Angeli substantiam, 367
An intellectus agens & patiens *in Angelis sit admittendus*, 368
Conclusio. Admittendus non est in Angelo intellectus *agens* & *patiens* proprie & stricte dictus, 369
Articulus II. *De objecto intellectus angelici*, 370
Prima Concl. Angeli possunt aliquam cognitionem de Deo habere per sua naturalia; seipsos quoque, necnon alios Angelos ac substantias per se subsistentes cognoscere possunt, 371
Secunda Concl. Angeli cognoscunt res materiales, tam universas, quam singulares, 372
Tertia Conclusio. Angeli certo cognoscunt futura necessaria, qualia sunt ortus solis, eclypses, &c. 373
Quarta Conclusio. Futura contingentia quæ a solis naturalibus causis nullo interveniente concursu liberi arbitrii proveniunt, possunt ab Angelis certo cognosci, 374
Quinta Conclusio. Angelus non cognoscit certo futura contingentia, 376
Sexa Conclusio. Angeli cognoscunt naturaliter cogitationes & affectiones aliorum, tam

tam Angelorum quam hominum, naturales & necessarias: liberas vero propriis naturæ viribus, nec certo cognoscunt, nec possunt cognoscere. 377

Septima Conclusio. Angeli non possunt propriis naturæ viribus certo cognoscere mysteria gratiæ, sive sint futura, sive facta, 382

Articul. III. *De medio cognitionis angelicæ*, 386

An & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant speciebus tanquam medio, ibid.

Prima Conclusio. Angeli Deum vident absque ulla specie impressa, aut expressa, ab ipsa cognitione aut Deo sese repræsentante, re distincta, 388

Secunda Conclusio. Angeli seipsos vident independenter ab ulla specie re distincta a cognitione & objecto, 389

Tertia Conclusio. Angeli nullis egent speciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, cæterarumque substantiarum spiritualium, modo sint ipsis immediate præsentes, 390

Quarta Concl. Angeli indigét speciebus ad cognitionē aliorū Angelorum, & cujuslibet alterius substantiæ spiritualis, si sit ab ipsis distans, ib.

Quinta Conclusio. Angeli in seipsis vident communes ac generales rationes rerum omnium corporearum, 391

Sexta Conclusio. Angeli in seipsis non vident ratione specificas ac singulares rerum corporearum, sed in propriis ipsarum speciebus, 392

Unde Angeli habeant species quibus indigent, & quando illas accipiant. 393

Prima Concl. Angeli non cognoscunt res materiales per species ab ipsis rebus acceptas, ib.

Secunda Conclusio. Angeli non cognoscunt res spirituales per species ab ipsis rebus spiritualibus emissas, 394

Tertia Conclusio. Species quibus agnoscunt Angeli, non producuntur per emanationem a substantia, vel intellectu angelico, tanquam naturales ejus proprietates, 395
Quarta Conclusio. Angeli suas omnes habent species infusas a Deo, 396
Quinta Conclusio. Angeli res omnesquas naturaliter cognoscere possunt, intelligunt per species non a rebus acceptas, sed sibi a Deo initio suæ creationis infusas, 397
An quanto superiores sunt Angeli, tanto per universaliores species intelligant. 400
Concl. Quo superior est Angelus, eo per pauciores & universaliores species intelligit, ib.
Articulus IV. *De dotibus seu proprietatibus cognitionis Angelicæ*, 401
An Angeli cognitio semper sit in actu, ib.
Prima Concl. Angelorum cognitio semper est in actu, quantum ad cognitionem Verbi, & eorum quæ vident in Verbo formaliter, hoc est, illa ipsa visione qua vident Verbum, ib.
Secunda Conclusio. Angelorum cognitio non est semper in actu respectu eorum mysteriorum quæ vident in Verbo solum causaliter, aut quę aliter eis revelantur; neque etiam respectu eorum omnium ad quæ naturalis illorũ vis intellectiva sese potest extendere, 402
Tertia Concl. Quantum ad cognitionem suę proprię essentiæ seu sui ipsius, Angelus semper est in actu secundo, & nunquam in potentia, 403
An Angeli cognitio plura simul attingat, ib.
Prima Conclusio. Plura quæ per unam speciem repræsentantur, potest Angelus uno & eodem actu simul intelligere, ibid.
Secunda Conclusio. Angelus potest simul diversa intelligere per diversas species ac intellectiones, 404

Ter-

Tertia Concl. Possibile videtur Angelum simul cognoscere res omnes quarũ habet species, ib.
An cognitio angelica sit discursiva, 405
Prima Conclusio. Angeli respectu eorum quæ ab ipsis naturaliter cognoscuntur, *proprie* non discurrunt, ibid.
An cognitio Angelorum possit esse falsa. 407
An & quid sit Angelorum tum matutina, tum vespertina cognitio, 408
Articulus V. *De Locutione Angelorum*. 409
Prima Concl. Angeli inter se colloquuntur, ib.
Secunda Concl. Angeli possunt loqui & hominibus & Angelis superioribus, & etiã Deo, 410
Tertia Conclusio. Probabilius est Angelorum loquendi modum positum esse 1. in eo quod Angeli cogitationes ad se dirigant; 2. in eo quod Deus ex imposita sibi lege excitet in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipsum ab alio Angelo dirigitur. 411
QUÆSTIO IV. *De voluntate Angelorum*, 413
Articulus I. *An angelica voluntas sit libera*, 414
Concl. Admittenda est in Angelis libertas, ib.
Articulus II. *Circa quæ objecta Voluntas Angelica sit libera*, 416
Prima Conclusio. Angeli tenentur ad aliquem actum voluntatis semper ac necessario exercendum, 417
Secunda Conclusio. Angeli semper seipsos amant aliquo naturali amore, 418
Tertia Conclusio. Probabilius videtur amorem illum naturalem quo Angeli seipsos diligunt, necessarium esse, tum quoad specificationem, tum etiam quoad exercitium, ib.
Quarta Conclusio. Angeli seipsos diligunt dilectione electiva, id est, amore libero, 419
Quinta Conclusio. Angeli naturali dilectione diligunt Deum plus quam seipsos. ib.

Sol-

Solvuntur Objectiones, 420
Articulus III. *De immutabilitate Voluntatis angelicæ*, 423
Conclusio. Sicut libere eligit Angelus, ita libere potest electionem mutare; ac consequenter facta etiam electione non est immutabilis angelica voluntas, ibid.
QUÆSTIO V. *De potentia motrice Angelorum*, 425
Articulus I. *De Loco Angelorum*, 426
An Angelus sit in loco, ibid.
Prima Concl. Angelus est vere in loco, 427
Secunda Conclusio. Finitus atque limitatus est locus a quolibet Angelo occupatus, ibid.
Quomodo Angelus sit in loco, 429
Conclusio. Angeli non sunt in loco circumscriptive, sed duntaxat definitive, 430
Per quid Angelus sit in loco, ibid.
Conclusio. Angelus est in loco per solam præsentiam substantiæ suæ indistantis a loco, 431
Articulus II. *De motu Angelorum*. 432
Prima Concl. Angeli moventur motu locali, ib.
Secunda Conclusio. Citissimo motu sese movent Angeli, non tamen instantaneo, 433
Tertia Conclusio. Angeli non possunt mutare locum impertransito medio, 434
Articulus III. *De natura virtutis motricis Angelorum relative ad substantias ab ipsis distinctas*, 435
Prima Conclusio. Virtus motrix Angelorum est physica & efficiens, ibid.
Secunda Conclusio. Virtus motrix Angelorum virtualiter distinguitur ab eorum intellectu & voluntate, 440
Solvuntur Objectiones, 441
Articulus IV. *Ad quæ se extendat Virtus motrix Angelorum*, 443

Con-

Concluſio. Quanta ſit virtus motrix Angelorum prorſus incertum eſt, ibid.
QUÆSTIO VI. *De auctore Angelorum*, 446
Articulus I. *Quando creati fuerint Angeli*, ib.
Prima Concluſio. Angeli neque ante mundum viſibilem, neque poſt, ſed ſimul cum illo creati fuerunt, 448
Secunda Concluſio. De fide non eſt Angelos *ſimul* cum mundo corporeo fuiſſe creatos, 449
Art. II. *Quo in loco creati fuerint Angeli*, 450
QUÆSTIO VII. *De gratia Angelorum*, ib.
Articulus I. *An Angeli in primo creationis inſtanti Gratiam ſanctificantem acceperint*, 451
Concluſio. Probabilius eſt Angelos omnes ab initio & in inſtanti ſuæ creationis gratiam ſanctificantem, atque adeo juſtitiam & ſanctitatem accepiſſe, ibid.
Articulus II. *An præter Gratiam ſanctificantem neceſſaria fuerit & collata Angelis Gratia actualis ad bene agendum & perſeverandu*, 454
Concluſio. Præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem neceſſaria fuit ac collata Angelis gratia actualis ad bene agendum & perſeverandum, ibid.
Artic. III. *An gratia Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa ex ſeſe fuerit efficax*, 455
Concluſio. Gratia Angelis bonis ad perſeverandum conceſſa non fuit ex ſeſe efficax, ſed verſatilis, 456
QUÆSTIO VIII. *De merito Angelorum*, 457
Articulus I. *Utrum Angeli meruerint*, ibid.
Concluſio. Angeli ſancti revera meruerunt, ib.
Articulus II. *Quid meruerint Angeli*, 459
Prima Concluſio. Probabilius videtur omnes Angelos gratiam ſanctificantem accepiſſe per propriæ voluntatis cooperationem & veluti diſpoſitionem, ibid.

Se-

Secunda Conclusio. Angeli meruerunt augmentum gratiæ sanctificantis & beatitudinem supernaturalem quæ posita est in intuitiva Dei cognitione, ibid.
QUÆSTIO IX. *De gloria Angelorum*, 461
Art. I. *Quomodo gloria fuerit Angelis concessa*, ib.
Conclusio. Prædestinatio Angelorum facta est ex prævisis meritis, saltem conditionate futuris, 462
Articulus II. *Utrum Angeli beati jam peccare possint*, ibid.
Conclusio. Angeli beati jam amplius peccare nequeunt, idque habent ex statu & natura beatitudinis, 463
Solvuntur Objectiones, 464
QUÆSTIO X. *De peccato Angelorum*, 466
Articulus I. *Quodnam fuerit primum Angelorum peccatum*, ibid.
Conclusio. Primum Angelorum peccatum fuit peccatum superbiæ, 467
Artic. II. *Origo primi Angelorum peccati*, 469
Concl. Origo primi peccati in Angelis non fuerunt aut ignorantia mentis, aut prava aliqua inclinatio, sed sola voluntatis potestas, 470
Articulus III. *An voluntas dæmonum statim post peccatum ita fuerit in malo obfirmata, ut nec possit aliquatenus resipiscere, nec bonum aliquod operari*, 473
Prima Conclusio. Dæmonum voluntas, sicut & aliorum damnatorum, ita est in modo obfirmata, ut nusquam revera ad justitiæ statum sit revocanda, ibid.
Secunda Conclusio. Tanta est in dæmonibus obstinatio, ut nullum usquam eliciant opus bonum, nequidem moraliter, 476
Tertia Conclusio. Omnis damnatorum voluntas deliberata, moraliter mala est, 477

Quar-

Quarta Conclusio. Dæmones actibus malis quos continuo & libere eliciunt, non demerentur, 490

Quinta Conclusio. Ratio formalis ob quam dæmones aliique damnati in malo sunt obfirmati, non est neque habitus vitiosus causatus a Deo in voluntate damnatorum, eamque necessitans ad male agendum, quæ sententia tribuitur Aureolo : neque actus (odium scilicet Dei) a Deo immediate productus in eorumdem voluntate, ut placet Ochamo & Gabrieli : nec privatio auxilii divini gratuiti, quo negato fieri nequit ut dæmones per veram & fructuosam pœnitentiam convertantur ad Deum, uti volunt Scotus, Richardus, Durandus : nec denique inflexibilitas vel immobilitas voluntatis dæmonum, ut contendunt Cajetanus, Ferrarienses, Salmanticenses ; sed illa oritur præcise & formaliter ex miserrima conditione status eorum in termino, juncta naturali conditione & fragilitate voluntatis creatæ, suis tantum viribus relictæ, sine ullo gratuito Dei auxilio, cum sola generali & quasi physica Dei influentia ad operandum. Ita Suares, *&c.* 492

QUÆSTIO XI. *De pœna dæmonum*, 496

Articulus I. *An dæmones statim post peccatum fuerint in infernum detrusi*, ibid.

Conclusio. Dæmones statim post peccatum ad ima tartara præcipitati fuere, ibique damnationis suæ pœnam modo & ante ultimi Judicii diem patiuntur. ibid.

Articulus II. *An dæmones igne vero & corporeo in inferno torqueantur*, 503

Conclusio. Dæmones igne vero & proprie dicto in inferno cruciantur, 504

Sol.

Solvuntur Objectiones, 509
Articulus III. *Qua ratione ignis inferni agat in dæmones*, 518
Conclusio. Dæmones, aliique damnati ab igne corporeo torquentur, quatenus ipsi insolubiliter alligantur, tanquam perpetuo carceri & instrumento justitiæ divinæ: insuper & adhuc cruciantur aliquo quodam passionis modo nulli mortalium satis cognito, 521
Articulus IV. *An demonum supplicia nullum unquam finem sint habitura*, 527
Conclusio. Æterna sunt, id est, nullum nunquam finem habitura, tum dæmonum, tum aliorum reproborum supplicia, ibid.
QUÆSTIO XII. *De variis ordinibus & hierarchiis Angelorum, atque de eorumdem missione*, 534
Articulus I. *De numero, hierarchiis & ordinibus Angelorum*, 535
Prima Conclusio. Novem distinguuntur Angelorum ordines, ibid.
Secunda Conclusio. Hi novem ordines in tres distribuuntur hierarchias, 536
Tertia Conclusio. Variæ sunt variorum ordinum Angelorum proprietates, 537
Articulus II. *De missione Angelorum*, 538
Prima Conclusio. Omnes Angeli a Deo mittuntur, ibid.
Secunda Conclusio. Quilibet homo habet Angelum suum custodem, 539
Tertia Conclusio. Valde probabile est, singulis nationibus, regnis, imo & civitatibus deputatum esse Angelum custodem, ib.
Quarta Conclusio. Probabile non est singulis hominibus deputatum esse Angelum malum, 540

Finis Indicis.

D E



DE MYSTERIO SANCTISSIMÆ TRINITATIS.

OMnem de mysterio ineffabili sanctissimæ Trinitatis disputationem decem omnino Quæstionibus absolvemus.

Prima erit de cognitione mysterii sanctissimæ Trinitatis.

Secunda, de variis erroribus quibus impetitum fuit istud mysterium.

Tertia, de divinarum personarum distinctione ac numero.

Quarta, de earumdem consubstantialitate.

Quinta; de divinis processionibus.

Sexta, de divinis relationibus.

Septima, de notionibus.

Octava, de personis divinis in communi.

Nona, de personis divinis figillatim sumptis.

Decima denique, de cautione qua in hoc exponendo mysterio loquendum est, certisque terminis qui solent usurpari.

QUÆSTIO PRIMA.

De cognitione mysterii sanctissimæ Trinitatis & necessitate illud credendi.

QUæritur I. an mysterium SS. Trinitatis sola naturali ratione possit demonstrari.

II. an Judæis, ac Gentilibus quibusdam Philosophis cognitum fuerit.

III. an mysterium illud articulus sit fundamentalis fidei nostræ, ab omnibus, qui salvi esse volunt, de necessitate credendus.

ARTICULUS PRIMUS.

An mysterium SS. Trinitatis sola ratione naturali duce demonstrari possit.

Observanda.

OBserva 1. duplex vulgo distingui demonstrationis genus: alterum a priori per causas, alterum a posteriori per effectus.

Observa 2. posse aliquid demonstrari duobus modis: positive scilicet ac negative. Demonstratur positive, quando medium adducitur ratione naturali cognitum & cum re demonstranda connexum: demonstratur negative, quando solvuntur objectiones quæ adversus rem illam proponuntur.

Observa 3. probationem mysterii SS. Trinitatis (si quæ fieri potest) attendi vel suppositâ fide hujus mysterii, vel nulla supposita revelatione.

Opiniones.

Tres sunt potissimum ea de re sententiæ. Prima affirmat hoc mysterium sola ratione

nè duce, & citra ullam revelationem, posse positive demonstrari.

Secunda id fieri posse asserit; sed posita & prælucente fide.

Tertia utrumque negat.

Prima est Claudiani Mamerti, Ecclesiæ Viennensis quinto sæculo Presbyteri. Secunda Petri Abaelardi & Raymundi Lullii, qui vixere sæculo duodecimo. Tertia concors est ac constans omnium vulgo Theologorum.

PRIMA CONCLUSIO.

Mysterium SS. Trinitatis sola ratione duce, & citra ullum fidei auxilium, positive demonstrari non potest.

Probatur 1. Scripturæ testimoniis.

I. iis quæ generatim ostendunt fidei nostræ mysteria tam remota esse a sensibus & humana ratione, ut ab illis attingi nullatenus valeant. Proverbiorum 25. v. 27. *Qui scrutator est majestatis opprimetur a gloria.*

1. Cor. 2. v. 6. de Christianæ Religionis mysteriis loquens Apostolus, ait; *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam vero non hujus sæculi &c. sed Dei sapientiam in mysterio quæ abscondita est.*

2. Cor. 10. v. 4. *Arma malitiæ nostræ*, inquit, *non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, & omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.* Multo plura in rem eandem laudavimus cum de usu rationis & humanæ Philosophiæ disseruimus agendo de divinis Attributis.

II. idem propius evincunt testimonia quæ mysterium nostrum directe spectant.

Isaiæ 53. v. 8. *Generationem ejus quis enarrabit?*

Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater: neque Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare?*

Et cap. 16. post celebrem illam, quam S. Petrus emisit fidei in Christum Deum professionem, *Tu es Christus Filius Dei vivi*; statim reposuit Christus v. 17. *Beatus es, Simon Barjona, quia non caro aut sanguis revelavit tibi; sed Pater meus qui in Cœlis est.* Quibus verbis manifeste declarat Christus, hujusce mysterii notitiam non ex humana industria & ratione, sed ex una revelatione divina proficisci.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui istud unanimi consensu docent.

I. S. Athanasius Epist. 1. ad Serapionem Arianos sic insequitur: *O stulti atque ad omnia audaces & præcipites! Quare non potius sanctam Trinitatem curiose scrutari desinitis, eamque esse duntaxat creditis, magistrum Apostolum hac in re imitati, cujus hæc sunt verba, Credere oportet primum Deo quia est.* Edit. Postr. pag. 666

S. Ambrosius L. 1. de fide ad Gratianum Augustum cap. 10. sic loquitur: *Impossibile est generationis* (Verbi divini) *scire secretum; mens deficit, vox silet.* Edit. Postr. pag. 465

S. Augustinus L. 15. de Trinitate cap. 9. *Deum esse Trinitatem credimus potius quam videmus.* Edit. Postr. Tom. 8.

Probatur 3. ratione theologica: Omnis demonstratio vel a priori fit, vel a posteriori: atqui nec a priori, nec a posteriori demonstrari potest mysterium SS. Trinitatis.

Non

Non a priori, quia demonstratio a priori fit per causas: atqui SS. Trinitatis, ut & Dei, nulla est causa.

Non a posteriori, quia demonstratio a posteriori fit per effectus: at nullus est Dei effectus ad extra qui proprius sit alicujus personæ SS. Trinitatis, & ad cognitionem illius nos quasi manu ducere possit; omnis enim Dei effectus ad extra est a Deo præcise ut unus in natura.

Et vero omnis effectus ad extra (id est, creatura) est a Deo quatenus omnipotens: at omnipotentia ad naturam ipsam divinam pertinet, quæ una est, non vero spectat ad personarum distinctionem; unde vulgatum axioma, opera Trinitatis ad extra indivisa esse; ergo nullus est effectus singulis personis SS. Trinitatis proprius per quem illæ demonstrari queant.

SECUNDA CONCLUSIO.

Etiam supposita fide, mysterium sanctissimæ Trinitatis positive demonstrari non potest.

Probatur iisdem omnino momentis quibus firmata est prima Conclusio: hæc enim omnia momenta probant, hoc mysterium sola revelationis via cognosci posse.

Et vero omnis demonstrationis medium debet esse rei demonstratæ intrinsecum, & necessariam habere cum illo connexionem: atqui revelatio quæ facta est mysterii sanctissimæ Trinitatis nullum detegit creatum effectum, qui possit esse medium intrinsecum necessariam habens cum illo mysterio connexionem. Imo fides id confirmat quod fides docet, scilicet, omnia a Deo quatenus

omnipotens; non autem quatenus trinus est, profluere.

TERTIA CONCLUSIO.

Supposita fide hujus mysterii, potest exemplis & similitudinibus quibusdam utcumque suaderi, illustrari & confirmari.

Probatur adducendo nonnullas ex iis similitudinibus quibus usi sunt SS. Patres ut mysterium illud suaderent & illustrarent, ac animum ei jam fide adhærentem in assensu sisterent.

Prima est, intellectus, voluntatis & memoriæ in una eademque anima. Ea comparatione plerumque utitur S. Augustinus multis in locis; maxime vero L. 4. de Trinit. cap. 8.

Secunda est, Solis, radii, & splendoris ex utroque profluentis. Ita Tertullianus & sanctus Athanasius Oratione quarta contra Arianos.

Tertia, radicis, trunci, & rami in una & eadem arbore. Ita etiam Tertullianus Libro contra Praxeam, & alibi frequentissime.

Porro quantum hæc omnia exempla & similitudines distent a distinctione reali trium personarum in unitate ejusdem essentiæ, nemo non intelligit. Atque hinc in Conclusione diximus mysterium hoc suaderi duntaxat *utcumque* posse, non positive demonstrari.

QUARTA CONCLUSIO.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis ratione naturali potest negative demonstrari.

Probatur, quia ab omnibus, quæ ab Infidelibus & Hæreticis opponuntur, argumentis

tis & difficultatibus vindicari potest : atqui hoc ipsum est mysterium istud demonstrare negative; ergo &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ut lumine naturali innotescat mysterium sanctissimæ Trinitatis, satis est quod sola ratione absque beneficio revelationis cognosci possit, Deum intelligendo & volendo producere terminos sibi consubstantiales in natura, & distinctos in persona : atqui hæc tria sola ratione duce innotescere possunt.

Ac 1. Deum intelligendo & volendo producere terminos suę intellectionis & volitionis, constat, quia omne agens agendo producit aliquem terminum suæ actionis: atqui Deus intelligendo & volendo agit, & quidem actione purissima & perfectissima; ergo &c.

II. quod terminus intellectionis & volitionis in Deo, sit Deo consubstantialis ostenditur, quia terminus ille debet esse perfectissimus: atqui non esset perfectissimus, nisi esset ejusdem naturæ cum suo principio, ipsique consubstantialis.

Et vero terminus ille vel est accidens, vel substantia. Non potest esse accidens, quia omne accidens quamdam imperfectionem ex se involvit, supereſt igitur ut terminus ille sit substantia, & quidem eadem numero cum suo principio, Deo nempe; alias plures agnoscendi forent numero dii, quod pugnat cum ipso naturæ lumine.

III. quod termini illi realiter & personaliter distinguantur, facile evincitur; ex eo nempe quod productum est semper distinctum a producente: nihil semetipsum producit.

Igitur lumine naturali cognoscitur in Deo terminos intellectionis & volitionis consubstantiales esse, & personaliter distinctos, quo duplici capite stat mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Respondeo, nullum ex his tribus sola ratione duce certo cognosci posse.

Non primum: 1. quia certo non constat utrum in creatis detur terminus intellectionis & volitionis: licet enim nonnulli Philosophi ita existiment, multi contra reclamant; 2. quia illi ipsi qui ejusmodi terminos actionum mentis & voluntatis ab ipsis distinctos admittunt, confitentur (saltem plerique) non necesse est ut quicumque intelligit, is terminum ejusmodi, seu verbum aut speciem expressam efformet. Ita Thomistæ, qui nullum volunt esse terminum visionis beatificæ; 3. licet certo constaret in creatis dari terminos intellectionis & volitionis, non idcirco idem constaret in divinis; siquidem quod intellectus creatus producat cognoscendo terminum seu speciem expressam, hoc videtur redolere quamdam imperfectionem, in eo nempe sitam, quod intellectus per se & nonnisi beneficio alicujus imaginis productæ possit objectum percipere.

Omnis quidem actio, si vera est, terminum habet, quem vel producit, si sit actio vere productiva, vel ad quem saltem tendit; actio autem intellectus & voluntatis in Deo naturaliter non cognoscitur esse vera, multo minus productiva.

Non etiam secundum solo lumine naturali innotescere potest, scilicet terminum intellectionis & volitionis in Deo esse consubstantialem. Namque substantia hæc saltem nu-

numero, juxta naturæ legem, distincta esse deberet in tribus personis divinis; adeoque tres numero Deos efficeret, quod cum naturæ lumine & recta ratione pugnare nemo non intelligit. Itaque concipitur terminus intellectus divini esse perfectissimus in ratione imaginis & repræsentationis; terminus vero voluntatis in ratione ponderis & inclinationis: non vero concipitur esse perfectissimus in omni genere, quasi esset Deus ipse. Et certe in intellectu humano verbum mentis non est homo: in intellectu angelico verbum mentis non est Angelus, unde incomprehensibile mysterium, quod verbum mentis divinæ sit Deus. Idem dicendum de termino voluntatis divinæ.

Non denique tertium. Esto quod ratiocinio inferamus terminum per intellectionem productum esse distinctum ab intelligente, eo quod nihil seipsum producit, nemo tamen unquam in animum inducit terminum illum esse aliam personam ab intelligente.

Adde quod demonstrari sola ratione non possit, quare tres sint duntaxat in Deo personæ, non plures; quare una potius quam altera sit, & vocetur filius, quare una sit altera origine prior, cum eodem puncto temporis natura in Deo intelligat & simul velit; quare una, nempe Spiritus sanctus, a Filio simul & a Patre procedat: hæc & alia hujusmodi nusquam humana mens assequetur.

Objicies 2. naturaliter intelligimus Deum esse summum & infinitum bonum ac fœcundum: sed hujusmodi bonum sui ipsius diffusivum est, tam ad intra quam ad extra; ergo necesse est ut infinite se communicet: sed id non potest extra se, cum creatura sit in-

capax infinitæ participationis divinarum perfectionum; ergo intra se: communicatio porro illa infinita intra Deum non potest aliter fingi, quam per productionem termini infiniti, qui Deus sit; nihil quippe præter Deum infinitum esse potest.

Resp. dist. min. infinitum bonum est infinite sui communicativum ad intra, in rei veritate, ac suppositâ fide, concedo: quoad nos, quasi solo naturæ lumine id cognoscamus, nego. Ratio est, quia naturaliter explicari a nobis non potest, quibus fieret, & quomodo fieret illa naturæ ac substantiæ communicatio: cognoscimus vero summum bonum sese ad extra posse communicare, & pro suo arbitrio, & pro capacitate creaturæ; quæ cum essentialiter finita sit, infinitæ communionis recipiendæ incapax est.

Objicies 3. Vel possibile vel impossibile demonstratur mysterium Trinitatis: atqui non potest demonstrari impossibile: quod enim est verum, numquam demonstrari potest esse falsum; ergo demonstrari potest possibile.

Resp. nego maj. Sophisma est, quod vocant, *a falso supponente*: nempe mysterium nostrum demonstrari aliquo pacto posse, vel possibile, vel impossibile. Non ita est, quia illius nulla idea, nulla notio ante revelationem haberi potuit.

Instabis: Inter duo contradictoria non datur medium: atqui possibile & impossibile sunt duo contradictoria; ergo &c.

Respondeo, possibile & impossibile esse duo contradictoria, quia scilicet opponuntur ut ens & non ens: sed demonstrari possibile, & demonstrari impossibile, non esse duo contradictoria, quia utrumque positivum est,

in-

inter quæ aliquod medium assignari potest, nempe nullatenus demonstrari.

Objicies 4. Demonstrata Religionis Christianæ veritate, quæ tot splendidissimis motivis demonstratur, nonne demonstrari censetur Trinitatis mysterium?

Resp. dist. ant. demonstrari censetur Trinitatis mysterium, demonstratione generali & extrinseca, concedo: demonstratione intrinseca & propria petita ex rei ipsius visceribus, nego.

ARTICULUS II.

An mysterium sanctissimæ Trinitatis Judæis & Gentilibus Philosophis cognitum aliquando fuerit

UT propositi Articuli difficultas dilucide solvatur,

Observa 1. fidem, aliam esse explicitam & distinctam; aliam vero implicitam & quodammodo confusam.

Observa 2. veteres Judæos in tres quasi classes hic distribui posse. Prima est Patriarcharum, Prophetarum, & eorum omnium qui sanctitate insignes fuere. Secunda est peritorum & doctorum Legis, qui vocabantur Scribæ. Tertia est communis & rudioris vulgis. His positis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Judæorum Patriarchis, Prophetis, & viri sanctitate conspicuis aperta hujus mysterii revelatio concessa fuit.

Probatur ex Scriptura. Matt. 13. v. 17. *Amen*

dico vobis, quia multi Prophetæ & justi cupierunt videre quæ vos videtis, & non viderunt; & audire quæ auditis, & non audierunt. Unde porro vehemens istud Sanctorum desiderium? nisi ex facta illis revelatione mysterii Incarnationis, quod Trinitatis mysterium supponit, nec sine isto cognosci potest. Jo: 8 v. 56. Christus ait: *Abraham Pater vester exultavit ut videret diem meum, vidit & gavisus est.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Vigebat apud Judæos inter Legis peritos subobscura quædam de SS. Trinitate traditio.

Probatur: quia vigebat inter Legis peritos Judæorum quædam traditio de divinitate venturi Messiæ: hæc porro traditio divinitatis Messiæ stare non potest sine aliqua confusa saltem Trinitatis notione; ergo &c. Minor certa est, major autem facile ostenditur: cum enim multa veteris Testamenti loca, quæ Messiam pollicentur, eadem ipsius divinitatem significent, fieri non potuit, quin doctiores apud Judæos & Legis periti, qui sacris Codicibus toto se dabant, Messiæ divinitatem saltem obscure cognoscerent.

TERTIA CONCLUSIO.

Judæorum vulgo ignotum fuit mysterium sanctissimæ Trinitatis.

Probatur auctoritate & ratione Theodoreti, Lib. de curatione græcarum affectionum ser. 2. sic habet: *Cum in Ægypto diutissime versati essent* (Judæi) *multorumque ibi deorum cultum ritu Ægyptiaco didicissent, sapientissimus Deus nequaquam illis manifeste omnia*

Edit. Paris. anno 1642. T. 4. p. 495.

nia Trinitatis mysteria tradidit, ne ex ea multitudinis deorum occasionem sumerent, ad impietatem Judæorum propendentes. Eandem plane rationem affert sanctus Chrysostomus, Homil. de incomprehensibili Dei natura.

Dices: Viri de plebe Judaica salutem consequi poterant: atqui eam consequi non poterant sine fide in Christum: *Nec enim aliud est nomen sub cœlo datum hominibus in quo oporteat nos salvos fieri.* Act. 4. 12. fides autem in Christum, aliquam supponit Trinitatis notionem; ergo &c.

Resp. dist. min. sine fide implicita, concedo: explicita, nego. Fides explicita ea est, quæ versatur circa aliquid clare & distincte cognitum: fides vero implicita ea est, quæ versatur circa aliquid sub generali quadam & involuta ratione apprehensum, quatenus nempe tenetur a *majoribus*, ut loquitur sanctus Thomas, hoc est, iis qui habent officium alios instruendi de fide, cujusmodi sunt Ecclesiæ Pastores. Prior fides non semper fuit necessaria: posterior etiam viris de plebe judaica adesse potuit. 2 2. q. 2. art. 6. & 7.

QUARTA CONCLUSIO.

Gentiles Philosophi accuratam & rectam non habuerunt sanctissimæ Trinitatis notitiam; & si quid in Scriptis suis de illa adumbrarunt, totum a commercio quod cum Hebræis habuerunt, accepere.

Duæ sunt partes Conclusionis.

Probatur prima pars: quia Trinitatis mysterium consistit in unitate ejusdem numericæ naturæ divinæ in tribus distinctis personis subsistentis: atqui nihil tale agnoverunt ve-

veteres Philosophi, ne ipsi quidem Platonici qui dignius de Deo inter alios senserunt:

I. quia satis non constat an veras personas a se invicem distinctas Plato admiserit; an solum divina quædam attributa.

II. quia tres Deos videtur Plato admittere, quorum unus primus sit & summus, cui alii minores subordinentur. Ita S. Thomas Lib. 4. contra Gentiles cap. 6.

III. quia quidquid de verbo seu mente rerum omnium artifice dixit, potest commode de ideis quibusdam a Deo productis explicari, ad quas intuens Deus res omnes condidit.

Probatur secunda Conclusionis pars, nempe Platonem & veteres Philosophos multa ex Hebræorum Libris excerpsisse. Ita testantur antiqui Patres.

Edit. Paris. 1615. p. 81. & 92. pag. 534. S. Justinus Apologia quæ secunda inscribitur, docet, Platonem ex Moyse accepisse quæ de Deo eximie scripsit.

Eusebius L. 11. Præpar. Evan. n. 16. docet, Platoni nequidem in mentem venire potuisse, quæ de Deo parente scripsit, nisi ex Hebræis ea didicisset.

Edit. postr. T. 2. p. 534. S. Basilius Homil. 16. in illud, *In principio erat Verbum*: docet hæc prima Evangelii secundum Joannem verba, a multis Philosophis in scripta sua fuisse translata: *Fur enim est diabolus*, inquit, *ac nostra cum fabularum narrator sit, ad suos vates effert.* Scilicet veteres illi Philosophi ardenti discendi desiderio capti, Moysis aliorumque Judæorum libros avide conquirebant ac studiose legebant.

Quæres quid sentiendum sit de Philone Judæo, & Mercurio Trismegisto, an Trinitatem agnoverint.

Resp.

Resp. 1. nihil mirū fore si Philo vir Hebræus, in Lege ac Scripturis versatissimus, qui initio prædicationis Evangelii floruit, aliqua dixerit fidei sanctissimæ Trinitatis consona.

Resp. 2. plane suppositititium esse quod ex Mercurio Trismegisto, ipso Moyse antiquiore, refertur; omnes enim critices periti fatentur Librum qui nomine Trismegisti circumfertur, ipsius non esse.

ARTICULUS III.

An mysterium sanctissimæ Trinitatis sit articulus fundamentalis fidei, ab omnibus, quæ salvi esse volunt, necessario credendus.

SOciniani, quibus se adjungunt Remonstrantes, duce Episcopo Lib. Institutionum Theologicarum Sect. 2. c. 24. negant mysterium Trinitatis fundamentalem esse fidei christianæ articulum, quem de necessitate salutis quisque credere debeat.

Orthodoxorum omnium certa & vera sententia est, absque salutis dispendio non modo negari, sed nec ignorari posse istud mysterium, quod totius Religionis Christianæ caput est & fundamentum.

CONCLUSIO.

Mysterium sanctissimæ Trinitatis fundamentalis est fidei christianæ articulus, cujus aperta cognitio ac professio ad salutem prorsus necessaria est.

Probatur 1. ex Scripturis. 1. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te, solum Deum verum; & quem misisti Jesum Christum.*

stum. Ubi vita æterna dicitur in cognitione Christi consistere; stare autem non potest Christi cognitio sine notitia Trinitatis, cujus est secunda persona.

II. Joan. 3. v. 18. *Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti Filii Dei.* & v. 36. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum.* Requiritur ergo ad salutem obtinendam ut cognoscatur unigenitus Dei Filius.

III. Christus Dominus alloquens Apostolos Matth 25. ait: *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, addit Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Nihil certe differtius his Christi verbis.

Probatur 2. Conclusio constanti Traditione: semper enim in Ecclesia necessaria judicata fuit fides in sanctissimam Trinitatem, ut patet tum ex forma Baptismi, in qua tres personæ appellantur; tum ex confessione in tres divinas personas, quæ a suscipientibus Baptismum semper fuit expostulata; tum denique ex eo quod Ecclesia e sinu suo statim ejecerit eos omnes qui vel personarum trinitatem, vel earum consubstantialitatem negarunt.

Probatur 3. ex decreto Innocentii X. an. 1679. in quo proscribitur ista propositio, *Absolutionis capax est homo, etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini.* Præiverat Academia Lovanienfis an. 1653. & subsecutus est Clerus Gallicanus

an.

an. 1700. Porro si incapaces sunt absolutionis qui ineffabile istud mysterium ignorant: profecto illius cognitio ad salutem necessaria est.

Multa hic addere promptum foret SS. Patrum ac Conciliorum testimonia, quibus constat neminem salvum fieri posse sine fide explicita in sanctissimam Trinitatem. Verum ea testimonia commodius referemus in Tract. de Fide, agendo de fidei necessitate.

QUÆSTIO SECUNDA.

De variis erroribus & Hæreticis a quibus sanctissimæ Trinitatis mysterium impugnatum fuit.

Duplici potissimum capite totum istud mysterium continetur, trinitate scilicet personarum, & unitate ejusdem singularis essentiæ. Paucis itaque hic enumerandi nobis sunt Hæretici, tum qui personarum in Deo distinctarum pluralitatem, tum qui unam in ipsis consubstantialem naturam & essentiam negaverunt.

ARTICULUS PRIMUS.

Referuntur Hæretici qui distinctas realitates in Deo personas negaverunt.

I. Simon Magus Getthis oriundus vico Samariæ, qui paulo post Christi mortem docuit se omnem esse Trinitatis personam, qui Judæis quasi Filius apparuit, in Samaria autem quasi Pater descendit, in reliquis vero Gentibus, quasi Spiritus sanctus ad-

adventavit. Ita S. Irenæus Lib. 1. adversus Hæreses cap. 23.

II. Anno 145. Valentinus vir perditæ mentis, si quis unquam fuit, tametsi ingenio potens & eloquio, inter infinita alia errorum figmenta & deliria, totam Trinitatem pas-
T. 1. p. 949. sam fuisse docuit. Ita constat ex sancto Athanasio Lib. 2. contra Apollinarium.

III. Eodem sæculo circa annum Christi 172. quidam e Secta Montanistarum, qui Cataphrygæ & Pepusiani dicebantur, a regione Phrygiæ, ex qua oriundus erat Sectæ illius parens Montanus, & a Pepusa illius regionis oppidulo, ubi frequentiores conventus
Pag. 223. habebant, affirmabant, teste Tertull. Lib. de Præscript. cap. 52. Christum esse Filium simul & Patrem.

IV. Anno 196. Praxeas Asiaticus Montanistis adhærens, primus omnium hanc hæresim Ro-
Ibid. mæ propugnavit: *Praxeas*, inquit Tertull. Lib. de Præscript. cap. ultimo, *hæresim introduxit. Hic Deum Patrem omnipotentem Jesum Christum esse dicit; hunc crucifixum passumque contendit & mortuum: præterea seipsum sibi sedere ad dexteram suam.*

V. Circa annum Christi 245. prodiit Noetus, Annoetus merito dicendus, id est, mentis inops
T. 1. p. 481. ac stolidus, ait S. Epiphanius Hæresi 57. is Ephesius fuit, si Epiphanio credimus loco mox citato. Asserebat ille Patrem & Filium & Spiritum sanctum non natura solum, sed etiam persona unum & singularem esse Deum, iis Scripturæ fretus testimoniis, quæ plures Deos plane rejiciunt; ipsumque adeo Patrem passum esse contendebat.

VI. Famosissimus fuit Sabellius, a quo dicti Sabelliani quotquot post ipsum personarum

rum realem in Deo distinctionem rejecerunt.

Is Ptolemaide in Libya natus circa annum Christi 257. hæresim suam propugnavit, nempe unam esse in Deo personam sicut essentiam sub triplici appellatione, Patris nimirum, Filii, & Spiritus sancti.

Adversus Sabelli hæresim nominatim scripsit S. Dionysius Alexandrinus Epistolam ad Xistum Romanum Pontificem. Vide Eusebium Lib. 7. Hist. cap. 7. *Edit. Valesi. p. 234.*

Omnes illi Hæretici dicti sunt Patripassiani, quia Patrem passum esse profitebantur.

Post Sabellium multi eodem errore infecti fuere, quales Paulus Samosatenus, Photinus, Priscillianistæ & alii, de quibus postea recurret dicendi locus.

ARTICULUS II.

Referuntur Hæretici qui divinarum sanctissimæ Trinitatis personarum consubstantialitatem negaverunt.

ADducemus I. Hæreticos qui trium simul personarum consubstantialitatem inficiati sunt.

II. qui secundæ personæ divinitatem & ipsius cum Patre æterno consubstantialitatem impetierunt.

III. denique recensebimus eos qui pugnaverunt adversus consubstantialitatem Spiritus sancti.

Hæretici qui trium simul personarum consubstantialitatem sustulerunt.

Inter illos primus occurrit Valentinus, de quo jam diximus; ille namque Pleroma invisibile

bile ac spiritale ex pluribus Æonibus constituebat in Deo. Animo vix concipi potest quot insana deliria Valentinus excogitaverit, de quibus S. Irenæus & Tertullianus.

Cerdo Marcionis Magister duos Deos admisit, ex Tertulliano Lib. 1. contra Marcionem cap. 2.

Marcion totidem admisit, alterum bonum, alterum malum, ex eodem ibid. c. 15.

T. 1. p. 380. Appelles Marcionis discipulus docuit, teste sancto Epiphanio hæresi 44. *unum esse bonum Deum qui .·. alium produxit Deum a quo cœlum & terra, cæteraque quæ in hoc mundo cernimus creata sunt.*

T. 1. p. 815. Eundem errorem Apollinari tribuit S. Gregorius Nazianzenus Epist. 1. ad Cledonium Presbyterum.

Tritheitæ, quorum signifer fuit Joannes Philoponus non infimi nominis quinto sæculo Philosophus, admittebant unam quasi specie tribus personis communem ac per omnia similem ac consubstantialem substantiam & naturam deitatis, tres vero in illis numero distinctas substantias & naturas, eo fere modo quo una est specifica natura humana in multis hominibus, numero tamen distincta, & pro multiplici hominum numero, divisa & multiplex. Ex quo proclive erat inferre tres esse deitates ac tres Deos numero distinctos, sicut Petrus v. g. Paulus & Joannes sunt tres homines. Non ausi tamen illi sunt confiteri tres esse deitates ac tres Deos.

Systema illud ætate nostra renovavit Scriptor Gallus in Libello cui gallice titulum fecit, *Altèration du dogme thèologique sur la Trinitè par les fausses idées des Scholastiques.*

Ab-

Abbas Joachim cujus doctrina in Concilio Lateranensi III. damnata fuit, statuebat tres personas sola collectione esse Deum unum, sicut plurimi cives sunt unus populus: per se ergo nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum sanctum esse Deum: sed ex iis simul junctis Deum coalescere. Iis non multum absimilis hac in parte quos jamjam recensuimus.

Hæretici qui verbi divini ac Christi divinitatem impugnaverunt.

I. Cerinthus docuit Christum Dominum ex Josepho & Maria via ordinaria genitum fuisse,

II. Eodem sæculo Ebion, unde dicti Ebionitæ, Cerinthi blasphemiam imitatus, contendebat Christum, utpote purum hominem, communi ceterorum more ex Josepho & Maria ortum fuisse. Ita testatur Euseb. Lib. 6. cap. 17. Theodoretus Lib. 2. Hæretic. fabul. cap. 1. & alii.

III. Paulus Samosatenus ita dictus, ait S. Epiphanius Hæresi 65. quia Samosatis in Syria Euphratesia natus est, circa annum 260. Episcopus Antiochenus creatus fuit.

In eo versabatur palmaris ac præcipuus ipsius error, quod assereret Christum purum hominem fuisse. Ita Eusebius L. 7. c. 28. & 29. &c.

IV. Arius ex Libya ortus, teste sancto Epiphanio, majori ad omne genus projecta audacia Verbi ac Christi divinitatem oppugnavit.

Meletii schismati primum adhæsit; a quo tum conversus, a sancto Petro Alexandrino Diaconus ordinatus fuit: sed cum Meletio se rursus adjunxisset, ab eodem sancto Petro Alexandrino cum aliis Schismaticis ab

Ec-

Ecclesia est ejectus, in quam mortuo Petro subinde irrepsit, & ab Achilla susceptus Presbyter ordinatus fuit, & Ecclesiæ cuidam Parochiali Baucalensi Præfectus. Tandem ambitione ac invidia percitus, quod Alexandrum sibi in Episcopatu Alexandrino prælatum videret, in apertam hæresim erupit contra divinitatem Verbi, an. 317.

In quo porro positus foret error Arianus, exponit Alexander Patriarcha Alexandrinus in his Litteris quas ea de re ad singulos Episcopos direxit.

Socrates l. 5. c. 6. p. 10 & 11.

1. *Deus*, inquiunt, *non semper fuit Pater, sed tempus extitit cum minime esset Pater.*

2. *Verbum Dei non semper fuit, sed ortum est ex nihilo*, seu, ut vulgo loquebantur, *ex non extantibus, Deus enim qui est, illum qui non erat, ex eo quod non est procreavit. Proinde tempus aliquando fuit cum non esset.*

3. *Filius creatura est opusque. Neque vero similis est Patri secundum substantiam, neque verum ac genuinum Dei Verbum, nec vera ejusdem Sapientia.*

In tres sectas seu factiones divisi fuere Ariani.

Prima eorum fuit qui puri ac rigidi Ariani dicebantur, iis omnibus erroris capitibus, quæ mox relata sunt, tenacius addicti. Anomœi vocabantur, eo quod Filium Patri in omnibus dissimilem esse contenderent, ἀνόμοιο. Hujusce factionis duces præcipui fuere Aetius & Eunomius; unde dicti Aetiani & Eunomiani. Eunomius vero novi aliquid erroris Arii addidisse dicitur, nempe Verbum Dei non tanquam personam spectasse, sed ut meram qualitatem.

Secunda factio eorum fuit qui Semiariani nun-

nuncupati sunt, eo quod asperitatem Ariani dogmatis aliquo modo emollirent ac temperarent. Illi quidem vocem, ὁμόσιον, *consubstantialem*, rejiciebant, & Filium Patri ὁμοίσιον, id est in omnibus, adeoque & in essentia, similem prædicabant; & ita unius litteræ adjectione; sensum Catholici dogmatis a Concilio Nicæno generali primo definiti immutarunt in celebri fidei formula quam in Concilio Antiocheno anno 341. & postea in Ancyrano anno 358. condiderunt. Hujus factionis principes extitere Basilius Ancyranus, Georgius Laodicenus &c.

Tertia denique factio Arianorum, illorum fuit qui Filium Dei nec Patri ὁμόσιον, *consubstantialem*, cum Catholicis; nec ὁνσιόσιον, *similem in omnibus*, cum Semiarianis; nec etiam ἀνόμοιον, *dissimilem*, cum Aetianis & Eunomianis agnoscebant; sed ὅμοιον, id est, *similem*, non in natura, sed in alia quadam ratione. Nimirum sicut Statuarii seu Sculptores hominum viventium effigies ac simulacra in eorum similitudinem effingunt, quæ natura & substantia diversa & dissimilia, & externa duntaxat repræsentatione seu externis lineamentis sunt similia; sic Pater similem sibi Filium procreavit, non divinitate ac æternitate parem & æqualem. Factionis hujus caput ac princeps fuit Acacius Episcopus Cæsariensis, quem privatæ cum Cyrillo Hierosolymitano inimicitiæ a partibus Semiarianorum, quibus antea adhærebat, abstraxerunt, ac impulerunt ut propriam atque distinctam factionem conflaret. Hæc refert S. Epiphanius hæresi 73. num. 23. & 24.

V. Servetus natione Hispanus, professione me-

medicus, anno 1531. Arianorum perfidiam renovavit vel etiam auxit editis septem Libris quos inscripsit, *De erroribus Trinitatis*. Genevæ combustus fuit promovente Calvino.

VI. Servetus impietatis suæ socium habuit Valentinum Gentilem, qui similiter apud Helvetios eadem ex causa supplicio addictus est.

VII. Lælius Socinus Fausti patruus Sectæ totius caput, nobilis Senensis, Calvinianæ doctrinæ placitis primum innutritus, eo usque errando illa protendit, quo ipsa per sese ducunt, ad omnem scilicet, excussa Ecclesiæ auctoritate, Religionis subversionem.

Docuit 1. tres in Deo non esse distinctas personas, sed unum solummodo natura & persona Deum. Idem docuerant Valentinus, Praxeas, Noetus, Sabellius &c.

2. solum Patrem esse Deum illum unum & summum, æternum & immutabilem, ut natura sic & persona unicum.

3. Verbum Patris seu Filium, meram esse creaturam ex non extantibus conditam; quamquam aliis creaturis nobiliorem. Erat hoc ipsummet Arianorum dogma.

4. Christum esse purum hominem communi cæterorum more genitum ex Josepho & Maria, qui proinde non extitit, antequam ex Maria nasceretur, nisi saltem in mente Dei per idem atque prævisionem. Hoc ipsum docuerant Cerinthus, Ebion, Paulus Samosatenus, Photinus.

5. Christum a Deo quidem suscitatum & missum ad humani generis salutem, non tamen Deo pro eodem humano genere proprie satisfactionem obtulisse.

6. Christum appellari posse Deum, non qui-

quidem natura, sed gratia & adoptione, ob excellentem potestatem ac virtutem qua instructus a Deo Patre fuit.

Horum omnium agmen claudet Spinosa, vir omnis expers Religionis & vere Atheus. Adversus Christum & Spiritum sanctum impietatem aperuit in *Tractatu theologico* & in *Miscellaneis*.

Hæretici qui divinitatem Spiritus sancti & ipsius cum Patre & Filio consubstantialitatem impugnaverunt.

Omnium maxime famosus divinitatis Spiritus sancti hostis & impugnator Macedonius, novam hæresim condidit versus annum Christi 360. qua Spiritum sanctum divinitate spoliabat, affirmans illum meram esse creaturam seu ministrum Dei, natura, dignitate ac honore Deo longe inferiorem.

Damnata hæc hæresis fuit in multis Synodis, in Alexandrina post reditum S. Athanasii an. 362. in duplici Romana sub Damaso, demum in œcumenica secunda, quæ Constantinopolitana prima fuit generalis anno 381.

Sociniani, ut paulo ante observatum fuit, bellum etiam Spiritui sancto indixerunt, quem non natura & substantia Deum agnoscunt, sed tantum virtute & efficacia Dei ministrum.

QUÆSTIO TERTIA.

De divinarum personarum distinctione & numero.

DUo hic quæri solent. Primum, an sint in Deo plures personæ. Alterum, quot

sint. Utrumque istud unico Articulo complectemur.

ARTICULUS UNICUS.

An sint in Deo tres personæ realiter distinctæ.

NEgant 1. omnes fere antiquiores Hæretici, quales sunt Simon Magus, Valentinus, Marcion, Apelles, Hermogenes, Basilides, aliique similes qui pessime de sanctissima Trinitate senserunt.

Negant 2. Sabelliani eorumque socii, Praxeas, Noetus, Paulus Samosatenus &c. profitebantur quidem esse in Deo personas, sed nomine tenus, non reipsa distinctas.

Negant 3. Sociniani, qui renovato Sabellianorum errore docent 1. unicum esse verum & summum Deum & unicam ipsius personam, nempe Patrem; 2. Christum esse merum hominem qui ante B. Virginem nullatenus extitit; 3. definiunt Spiritum sanctum non esse personam vere divinam ac distinctam, sed Dei duntaxat virtutem & efficaciam.

Adversus hos omnes sit

CONCLUSIO.

Tres sunt in Deo personæ realiter distinctæ in una & eadem numero divina substantia.

Capitale istud fidei nostræ dogma ex verbo Dei tum scripto tum traditio demonstrandum nobis est,

Pri-

Prima probatio ex Scripturis.

Et veteri Testamento.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex iis locis in quibus Deus de seipso numero plurali loquitur.

Gen. 1. v. 26. Deus sic loquens adducitur: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & v. 27. *Creavit Deus hominem ad imaginem suam; ad imaginem Dei creavit illum.*

Et cap. 3. v. 22. *Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est.*

Cap. 11. v. 17. *Venite, descendamus, & confundamus ibi linguam eorum.*

Plurali numero Deus dicit, *faciamus*, *descendamus*, *confundamus* &c. ad designandam personarum pluralitatem, in singulari vero numero, *ad imaginem* &c. non ad imagines, ut unitas essentiæ designetur. Ita Theodoretus qu. 19. in Genesim, & ante ipsum Tertullianus Praxeam confutans.

Socinianorum evasio.

Respondent Sociniani I. Deum artificis in morem secum in plurali numero loqui; & ad creandum hominem seipsum quasi excitare & adhortari dicendo, *Faciamus*; perinde ac artifex sese ad opus accingens semetipsum adhortatur, inquiens, Age, fingamus statuam &c. ex quo certe, inquiunt, distinctio personarum in artifice non arguitur.

II. respondent, Deum de se numero plurali loqui honoris causa, instar Regum ac Principum cum aliquod imperium exprimunt.

III. addunt, in locis citatis non plures in Deo personas compellari, sed Angelos, adeoque pluralem numerum merito usurpari, non divinarum personarum, sed Angelorum.

Refellitur triplex Socinianorum responsio.

Prima per se absurda est, nugatoria, ab omni usu aliena, Deo prorsus indigna, sicuti probat adversus Judæos S. Basilius Hom. 9. in Hexameron. *Quis enim faber*, inquit, *inter suæ artis instrumenta desidens sibi ipsi admurmurat dicens, Faciamus gladium?* T. 1. p. 87.

Secunda responsio pariter refellitur, tum quia Deus ibidem loquitur in plurali, cum imperium non exprimit, *Ecce Adam quasi unus ex nobis*: tum quia Reges v. g. in suis edictis loquuntur in plurali, *Volumus*, quia tunc repræsentant totam rempublicam: secus vero si in aliis loquantur circumstantiis. V. g. Rex non dicit, Nos loquimur, nos ambulamus &c.

Tertia Socini responsio ex Judæis hausta est, quam irridet ac refellunt Tertullianus L. contra Praxeam cap. 12. S. Basilius Hom. 9. in Hexameron, & Theodoretus qu. 19. in Gen. Et vero verba quæ ibidem sequuntur, *ad imaginem & similitudinem nostram*, evasionem occludunt, homo enim factus est non ad Angelorum sed Dei similitudinem.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex iis locis in quibus sermo est de Deo uno & singulari, & distinctis in ipso personis.

Psalmo 2. v. 11. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Aperta hic

hic mentio fit Patris generantis Filium, & Filii geniti. Hunc porro textum de Christo Dei Filio intelligendum esse, ipse sacer contextus novi Testamenti declarat. Act. 13. v. 33. Heb. 5. v. 5. & cap. 5. v. 5.

Psalmo 109. v. 1. *Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis*: quæ verba de Messia seu de Christo dicta esse, Christus ipse demonstrat Matt. 22. v. 42.

Isai. 6. *Seraphim clamabant, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus &c.* Hæc trina repetitio non obscure innuit Deum esse trinum in personis, ut advertit S. Fulgentius Lib. de fide ad Petrum.

Secunda probatio ex novo Testamento.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex forma Baptismi a Christo instituti.

Matth. 2. v. 19. Christus Apostolos suos alloquens, *Euntes ergo*, inquit, *docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Ibi certe clarissime exprimitur mysterium sanctissimæ Trinitatis, quia tres personæ aperte distinguntur, & unica illis assignatur natura, virtus & auctoritas. *In nomine*, non *in nominibus*, ait Christus. Atque hoc testimonio usi sunt SS. Athanasius, uterque Gregorius, Basilius, Hilarius adversus Arianos, aliique passim SS. Patres.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex Missione Spiritus sancti.

Joan. 14. v. 16. Christus Spiritum sanctum mittendum promittit. *Ego*, inquit, *rogabo*

Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, & cap. 15. v. 26. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me.*

Quo in testimonio expressa habetur trium personarum distinctio : Filii rogantis, *Ego rogabo*: Patris quem rogat, *rogabo Patrem*; & Spiritus sancti qui mittendus est, *& alium Paraclitum dabit vobis*. Distinctas porro esse inter se personas illas nemo sanus negaverit. Hunc similiter textum in Arianos urgent mox laudati.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex versu 7. primæ Epistolæ sancti Joannis cap. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo; Pater Verbum, & Spiritus sanctus, & his tres unum sunt.

Hoc sane testimonio nihil illustrius desiderari potest ad adstruendum sanctissimæ Trinitatis mysterium, cum ex una parte Patris, Verbi, & Spiritus sancti distinctio exprimatur; dicuntur enim esse tres: & ex altera parte eorumdem etiam consubstantialitas asseratur; dicuntur enim esse unum quid inter se.

Nihil non moliuntur Sociniani ut hujusce testimonii, quo mirum in modum premuntur, veritatem elevent, & sensum alio detorqueant. Utrumque adversus ipsos vindicare remittimus ad calcem hujusce Quæstionis, ne scilicet series & ordo nostrarum probationum longius intercipiantur.

Ter-

Tertia probatio ex constanti & perpetua Ecclesiæ Traditione.

Duplici via demonstrari potest constans illa & perpetua Ecclesiæ Traditio.

I. generalioribus quibusdam, iisque certissimis momentis.

II. referendo testimonia SS. Patrum in quibus potissimum conservatur Ecclesiæ Traditio.

Generalia quædam momenta.

Primum petitur ex Baptismi ritu: in eo quippe trium personarum distincta mentio semper facta est, & olim ad eam clarius exprimendam, trina etiam immersio adhibita fuit.

Secundum, ex publicis fidei formulis seu professionibus, quæ in Symbolis Nicæno, Constantinopolitano (quæ quotidie recitabantur) continentur, atque tres in Deo personas, & unam essentiam seu substantiam exprimunt: quæ quidem argumenta ex usu & quotidiana Fidelium praxi deprompta, eo majorem habent vim ad probandum, quod ignorari penitus non possint, nec iisdem æquivocationibus pateant, quibus testimonia scriptis exarata.

Tertium desumitur ex publica reclamatione seu contradictione Fidelium ac Ecclesiæ totius adversus novitatem, quoties error aliquis contra receptam & avitam fidem exortus fuit. Sic Ebioni, Artemoni, Paulo Samosateno Arii antecessoribus universa Christianorum repugnavit Ecclesia, ut scribit Alexander Episcopus Alexandrinus ad Alexandrum Constantinopolitanum, apud Theodoretum Lib. 1. Hist. c. 4. Neque enim patienter ferunt Fideles, suam paternam & avitam fidei doctrinam impugnari. Pag. 1.

Testimonia SS. Patrum.

S. Justinus Apologia pro Christianis secunda jam citata, *Hunc patrem*, inquiebat, *& qui ab eo venit ∴ Filium & Spiritum propheticum colimus & adoramus, cum ratione & veritate venerantes.* Soli porro Deo debitus est adorationis cultus.

Pag. 56.

Athenagoras Legatione pro Christianis, *Deum asserimus*, inquit, *& ipsius Verbum, & Spiritum sanctum, tria quidem secundum potentiam, Patrem, Filium & Spiritum sanctum; actu vero & essentia unum.*

Edit. Oxon. Op. S. Justini p. 27.

Tertullianus L. contra Praxeam c. 3. sic loquitur, *Duos quidem definimus, Patrem & Filium, & jam tres cum Spiritu sancto, secundum rationem œconomiæ, quæ facit numerum ∴ Duos tamen Deos & duos Dominos, nunquam ex ore nostro proferimus.*

Pag. 507.

Sanctus denique Gregorius Nyssenus, ut alios recentiores omittam de quibus nulla lis esse potest, Oratione 3. contra Eunomium postulantem claram ex divinis Scripturis divinitatis Christi & Spiritus sancti probationem, ait: *Sufficit ad nostri sermonis demonstrationem, quod habeamus a Patribus venientem ad nos Traditionem, velut hæreditatem quamdam per successionem ex Apostolis per sanctos sequentes transmissam.*

Tom. 2. p. 226.

Et certe non alio fundamento, neque aliis armis Concilium Nicænum Oecumenicorum primum ann. 325. hæresim Arii expugnavit, quam quæ Ecclesiæ Traditio suppeditabat: alia etenim via fingi non potest, per quam ab Apostolis ad Patres usque Nicænos defluxerit vera de sanctissima Trinitate doctrina, quam per constantem ac perpetuam

Tra-

Traditionem; cujus filum si interciſum & aliquando abruptum ſupponeretur, dicatur nobis qua tandem machina reſumi illud ac colligari rurſus potuiſſet; quandoquidem certum eſt poſt Apoſtolos nullam de novo factam eſſe myſteriorum fidei revelationem.

His omnibus accedit, Gentiles non ſemel Chriſtianis objeciſſe quod tres Deos colerent; eumque ut veri nominis Deum haberent, qui ultimo ſupplicio addictus fuerat. Conſtat id ex ſancto Juſtino Apologia prima, ex Origene Lib. 8 contra Celſum, ex Tertulliano adverſus Praxeam, aliiſque antiquis fidei noſtræ Apologiſtis.

Ex iſta porro Gentilium in Chriſtianos accuſatione invicte contra Socinianos demonſtramus, vigaiſſe apud Patres Antenicænos fidem trium perſonarum divinarum in unitate ejuſdem ſubſtantiæ. Namque objicientibus Paganis tres Deos in tribus perſonis a Chriſtianis coli & adorari, hominemque ultimo ſupplicio affectum pro Deo ab illis haberi, facillime repoſuiſſent Chriſtianæ Religionis Apologiſtæ, ſi cum Socinianis ſenſiſſent, ſe nullatenus Filium & Spiritum Sanctum pro vero Deo habere; ſed Filium ut excellentem duntaxat creaturam, & Spiritum ſanctum ut Dei virtutem & efficaciam. Atqui longe abeſt ut tale quid illi repoſuerint, imo potius publice ac intrepide, etiam inter acerbiſſima tormenta, conteſtabantur ſe credere res eſſe diſtinctas in Deo perſonas, & unam numero ſingularem naturam ſeu ſubſtantiam; ergo certa fuit ac conſtans, etiam primis Eccleſiæ ſæculis Chriſtianorum fides ac doctrina, tres eſſe in Deo perſonas, unumque in illis verum & ſummum Deum.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Ubi sunt tres personæ realiter distinctæ, quarum quælibet Deus est, ibi sunt tres Dii, atqui tres Deos esse, non tantum fides, sed & humana ratio dicere abhorret; ergo neque sunt in Deo tres distinctæ personæ.

Resp. nego maj. Scriptura enim utrumque admittit, & tres personas, & unum Deum. Ratio vero cur sint tres personæ, & unus Deus, hæc decretoria perfertur a sanctis Patribus, tum quia una est numero, singularis & individua in tribus personis essentia, non multiplex, non divisa: tum quia unum est principium seu fons totius divinitatis, Pater scilicet, qui idcirco dicitur Deus a se, qui a nullo procedit, & a quo procedunt Filius & Spiritus sanctus; & ita nihilominus procedunt, ut in eo maneant, *Pater in me est, & ego in Patre.* Jo. 10. v. 38.

Unde majoris claritatis causa potest eadem major argumenti propositio distingui: ubi sunt tres personæ quarum quælibet Deus est, ibi sunt tres Dii, si divisa sit ac multiplex in illis divinitatis essentia, concedo: si una, indivisa, numerica, singularis & individua: nego.

Instabis 1. Juxta Boetium & omnes Philosophos ac Theologos, persona nihil aliud est quam naturæ rationalis individua substantia; ergo ubi tres sunt personæ, ibi tres substantias individuas esse oportet: ac proinde si in Deo triplex sit persona, triplex quoque erit in eo substantia, ac per consequens tres erunt dii.

Respondeo, dist. ant. individua substantia, id est, subsistentia individualis, concedo: individua sub-

substantia, id est natura & essentia, nego. Cum persona definitur a Boetio & aliis, *naturæ rationalis individua substantia*, substantiæ nomine non ipsa natura seu essentia intelligitur; sed subsistentia, quæ naturæ quidam modus est, ut probat S. Thomas 1. p. q. 30. art. 1. ad 1. unde additur in definitione adducta, *individua substantia*, id est singularis, alteri tanquam supposito incommunicabilis.

Et certe cum substantia & natura idem significent, si nomine substantiæ natura intelligeretur, res eadem bis in ejusmodi definitione repeteretur.

Instabis 2. Nomen personæ substantiam subindicat; ergo pro numero personarum ipsa substantia dividitur ac multiplicatur. Ratio est, quia nomina substantiva plurali numero non enuntiantur, quin formæ ipsæ multiplicentur: ita Petrus & Paulus duo sunt homines, quia non eadem est numero in ipsis humanitas, sed diversa.

Resp. dist. ant. Nomen personæ substantiam subindicat, indirecte & in obliquo, ut vocant, concedo: directe seu in recto, nego. Nomen personæ directe, proprie ac per se personalitatem sonat, tanquam formam; est enim persona idem quod *habens personalitatem*: cum vero personalitas ultimum sit naturæ rationalis complementum, ex obliquo ac indirecte naturam ac substantiam significat. Porro cum nomina substantiva (quale est nomen personæ) plurali numero efferuntur, ea duntaxat formæ multiplicantur, quæ nominibus illis proprie & directe significantur; adeoque tres sunt personalitates, non vero tres substantiæ.

Objicies 2. Ubi unica est natura, ibi non

possunt esse plures personæ; hoc est enim receptum apud omnes effatum, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*; ergo si personæ divinæ sint quid unum & idem cum natura, non possunt a se invicem distingui.

Resp. nego maj. Ad probationem petitam ex recepto scholæ effato, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se.*

Dico 1. effatum istud pure philosophicum esse, rebusque duntaxat creatis applicari debere, non divinis, quæ infinito inter se distant intervallo. Et vero non minus obtinet apud veteres Philosophos illud aliud effatum; *Ex nihilo nihil fit*, attamen suam exceptionem patitur, & in iis duntaxat locum habet, quæ naturaliter agunt, non in aliis: agnoscunt enim Catholici, mundum ex nihilo creatum a Deo, imo & istud quoque agnoscunt Sociniani.

Dico 2. ad laudatum axioma. *Quæ sunt eadem &c.* distinguo: respectu illius in quo conveniunt cum uno tertio, concedo: respectu illius in quo non conveniunt, nego. Et ita quia personæ divinæ conveniunt in essentia divina, idem etiam sunt inter se quoad essentiam divinam; ac consequenter recte quidem dici possunt *idem* sed non *iidem*: quia vero non conveniunt ratione personæ, non possunt dici eædem personæ.

Dico 3. aliter distingui seu exponi posse dictum axioma: Quæ sunt eadem uni tertio singulari & incommunicabili, sunt eadem inter se, concedo: uni tertio universali, vel saltem communicabili, nego. Sic v. g. Petrus & Paulus sunt unum in natura humana specifice sumpta, sed non sunt unum inter se numerice; quia natura humana communis & uni-

ver-

versalis est, quæ multis communicari potest. Ratio est, quia cum natura multis communicatur, necesse est inter eum, qui naturam communicat, & eum cui communicatur, relativam intercedere oppositionem, adeoque & realem distinctionem: quia ergo tres personæ divinæ conveniunt in una essentia, idem sunt cum illa; quia vero essentia illa communicatur a Patre Filio & Spiritui sancto, necesse est Patrem realiter distingui a Filio & Spiritu sancto.

Dico 4. aliter adhuc exponi posse vulgare pronuntiatum: Quæ sunt eadem uni tertio adæquate sumpto, eadem sunt inter se, conc. inadæquate sumpto, nego. Sic non concludit iste syllogismus, Petrus est homo, Paulus est homo; ergo Petrus est Paulus. Non concludit, inquam, quia terminus ille, *homo*, in quo sunt quid unum, adæquate non sumitur: at pariter cum dicitur, Pater est Deus: Filius est Deus, terminus ille, *Deus* seu essentia divina, non sumitur adæquate.

Dico denique 5. rursus alio modo distingui posse axioma, *Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se*. Si illud tertium non sit virtualiter multiplex, concedo: si sit virtualiter multiplex, nego: tunc enim res eadem licet simplicissima æquivalet pluribus ex natura rei distinctis. Porro natura divina ita simplicissima est, ut tamen virtualiter sit multiplex. Scilicet continet omnes perfectiones tum absolutas, tum relativas: juxta id quod habet absoluti, identificatur cum Patre; juxta vero id quod habet relativi, ab ipso distinguitur.

Instabis. Si tres personæ a se invicem realiter distinguerentur, & simul unum quid identice so-

forent cum divina essentia, absurdum istud sequeretur, unam scilicet & eandem rem simul distingui & non distingui; plures esse, & unum; communicari, & non communicari, quæ certe manifestam contradictionem involvunt.

Resp. rem eamdem sub vario respectu distingui & non distingui, communicari & non communicari, beneficio scilicet distinctionis virtualis, qua fit ut una & eadem entitas Dei infinita multis rebus distinctis æquivaleat; atque quatenus absoluta, communicetur tribus personis, una numero & indivisa remanens, quatenus vero relativo æquivalet, non communicetur; unde nulla proprie dicta hic intervenit contradictio; hæc quippe, ut vera sit, debet esse de eodem sub eodem respectu: porro sub diverso respectu eadem Dei entitas communicatur vel non communicatur. Infinita propemodum hujuscemodi exempla occurrunt in rebus etiam creatis. V. g. natura humana quæ est in Petro, communicatur quatenus specifice consideratur; non communicatur vero quatenus singularis & individua. Pariter idem modo immortalis dicitur & mortalis, ratiocinari & non ratiocinari: immortalis est ratione animæ, mortalis ratione corporis; ratiocinatur quatenus intelligentia præditus est, non ratiocinatur quatenus animal.

Objicies 3. Persona divina infinita est, ergo unica; infinitum enim unicum est: atque hac ratione demonstrant Theologi, Deum unum esse, quia infinitus est in omni genere perfectionis.

Respondeo ex infinitate Dei consequens esse non posse existere plures Deos, quia nempe

unus

unus non includeret alterius perfectionem. At ex infinitate personæ non sequitur non posse plures esse personas: quia licet inter se distinguantur, nulla tamen est perfectio in una persona, quam altera non contineat.

Discriminis hujus quasi fons & origo est, quod inter plures Deos nihil esset revera commune in quo identificarentur; imo a se se invicem forent sejuncti ac secreti, ut plures homines. At non ita est de personis divinis: singulæ enim sunt quid idem cum essentia divina, quæ vicissim est quid idem cum singulis personis; atque adeo nulla est perfectio in singulis personis, quæ eadem non insit naturæ. Singulæ autem personæ naturam eandem habent, ac proinde unaquæque persona divina omnes continet aliarum personarum perfectiones: absolutas quidem *formaliter*; relativas autem, identice & quatenus cum essentia identificantur. Atque hinc per admirabilem & reciprocam divinarum personarum in se invicem inexistentiam & circumincessionem, Pater est in Filio, & Filius in Patre, & Spiritus sanctus in utroque.

Nunc vindicanda est fides & auctoritas celeberrimi testimonii 1 Joan. 5. *Tres sunt &c.* quod supra diximus decretorium esse ad adstruendum SS. Trinitatis mysterium.

Expenditur celeberrimus textus ex v. 7. I *Epistolæ S. Joannis cap. 5. desumptus:* Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo; Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt,

Socinus L. 1 p. 239 Selictingius t. 6 in Epistolam S. Joa.

Duo hoc in testimonio distinguenda: textus veritas, & sensus: utrumque acriter impu-

pugnant Sociniani; utrumque ab eorum argutiis & vitiligationibus vindicandum.

Vendicatur fides, auctoritas & veritas versus 7 capitis 5. Epistolæ I. S. Joannis.

Quinque potissimum argumentis id perficiemus.

I. ex manuscriptis optimæ notæ codicibus, in quibus versus ille legitur.

II. ex testimoniis Veterum, a quibus versus ille laudatus est.

III. ex consensu Ecclesiæ utriusque Græcæ ac Latinæ.

IV. ex ipsa serie contextus Epistolæ S. Joannis.

V. denique ostendemus quam leves sint ac futiles conjecturæ quibus nituntur adversarii, & citati textus veritatem ac sinceritatem in suspicionem falsi adducant.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex Codicibus manuscriptis optimæ notæ.

Fatemur versum illum in quibusdam Codicibus manuscriptis integrum desiderari: fatemur in nonnullis verba ista, *in cælo*; & ista versus 8. *in terra*; & ista, *& hi tres unum sunt*, seu, ut fert textus græcus, *in unum sunt*, pariter non reperiri. Fatemur etiam in aliquibus Codicibus versum 7. perturbato testium ordine referri: at in tanta Codicum manuscriptorum varietate ac discrepantia prudens ac Catholicus criticus iis palmam haud dubie referre debet, qui numero, vetustate ac auctoritate plures sunt, maxime si ad mentem atque usum Ecclesiæ citatum versum retinent, ex quo ad rem Catho-

tholicam promovendam adversus Arianos & Sabellianos tantum præsidii accedit.

Porro laudatum textum, quidquid e contra reclament adversarii, in multo pluribus Codicibus reperiri agnoscunt ac fatentur rerum istarum periti.

Codex Britannicus.

I. Extat in Codice Britannico, cujus ob vetustatem tanta erat apud Erasmum auctoritas, ut ex eo versum hunc in præcedentibus suis duabus novi Testamenti editionibus omissum, in tertia & quarta restituerit.

Editio Complutensis.

II. legitur in Codicibus quibus usi fuere auctores editionis Complutensis anno 1517. de qua testatur in præfatione Cardinalis Ximenius, *maximam laborum partem in eo præcipue fuisse versatam, ut castigatissima omni ex parte vetustissimaque Exemplaria Hebræa, Græca & Latina pro archetypis haberemus; ex quibus Græca, ex Bibliotheca Vaticana missa sunt.*

Robertus Stephanus.

III. Robertus Stephanus in eleganti editione quam adornavit novi Testamenti anno 1550. ex sexdecim vetustis Exemplaribus græcis, ab Italia, Hispania & Gallia summa cura conquisitis, septem duntaxat notat, p. 167. 2. partis, in quibus, non quidem integer versus desideratur, sed tantum fine his verbis, *in cœlo*.

Theologi Lovanienses.

IV. Theologi Lovanienses, ex magno illo Manuscriptorum numero ad quæ vulgatam Scripturæ edictionem recognovere anno 1580. testantur quinque duntaxat reperta in quibus versus ille 7. non legitur; quantum vero spectat versum 8. de testibus terrestribus, iidem Theologi observant, in quindecim Codicibus manuscriptis verba ista, *& hi tres unum sunt*, non reperiri: unde clare infer-

tur,

tur, in iisdem quindecim & forte pluribus aliis, versum 7. extare.

Correctorium Bibliæ. V. *Correctorium Bibliæ*, quod circa decimum sæculum editum est, & in Bibliotheca Sorbonica asservatur, ad hunc versum 7. *Hic*, inquit, *corrupti sunt quidam Libri Græcorum, ut ait B. Hieronymus, qui hoc capitulum non habent, in quo maxime fides Catholica roboratur.*

Cassiodorus. VI. Multos alios Codices, imprimis perantiquum Corbejensem, laudant in rem nostram doctissimi Monachi Benedictini, in Annotationibus ad Prologum Hieronymi in Epistolas Canonicas.

VII. Codices quibus usi sunt Veteres, Tertullianus, Cyprianus, Hieronymus &c. quibus versus ille laudatus fuit, haud dubie illum continebant; neque enim de suo illum protulerunt.

Denique, testem damus omni exceptione majorem, cujus testimonio haud dubie cessisset Criticus noster, si perspectum illud habuisset; Cassiodorum intelligo, qui sexto Ecclesiæ sæculo floruit. Opus ille adornavit, cui titulus, *Cassiodori Senatoris Complexiones in Epistolas & Acta Apostolorum & Apocalypsim*. Diu latuit Codex ille manu exaratus, donec a clarissimo viro D. Maffei e tenebris ac pulvere Bibliothecæ Capituli Veronensis, ubi consepultus jacebat, eductus fuit, ac Florentiæ typis excusus anno 1721.

Porro in eo Opere, Cassiodorus Summarium recensens capitis 5. Epistolæ I. S. Joan. versus 7. apertam habet mentionem. En verba: *Qui Deum Jesum credit, ex Deo Patre natus est: iste sine dubitatione fidelis est; & qui diligit Genitorem, amat eum qui ex eo natus est Christus ... Cui rei testificantur in*

ter-

terra tria mysteria, aqua, sanguis & spiritus; quæ in passione Domini leguntur impleta; in cœlo autem, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, & hi tres unus est Deus. Ergo in Codicibus manuscriptis quibus utebatur Cassiodorus V. & VI. sæculo, (quinto enim sæculo natus post annum 463. diu in vivis fuit, ac labente sæculo sexto, anno 562. de Paschali computo adhuc scribebat) in Codicibus, inquam, hujus ætatis extabat versus 7. de quo hic agimus.

Neque vero est quod suspicetur quis, ita loqui Cassiodorum per allegoriam ad versum 8. Namque 1. ne umbra quidem extat allegoricæ interpretationis in hocce Cassiodori sermone: 2. quia absonum plane videtur, ut in brevi Summario, allegorica interpretatio proferatur; 3. quia utrumque versum separatim, & tanquam genuinum sancti Joannis textum laudat, & unum opponit alteri. *in terra .·. in cœlo autem*; 4. denique, quia Cassiodorus nihil de suo adjicit, sed tantum summatim redigit doctrinam sancti Joannis.

Nec est etiam quod aliquis opponat, quo tempore florebat Cassiodorus, jam corruptos fuisse manuscriptos Codices sacrorum Bibliorum, atque forte in manus Cassiodori deveniisse unum ex his depravatis Codicibus, in quibus versus ille septimus pia alicujus fraude insertus jam fuerat.

Namque ipsemet Cassiodorus testatur Lib. Institutionum divinarum cap. 3. & in præfatione ejusdem Operis. Codices sacros quos potuit antiquiores & emendatiores undequaque collegisse; eos summa cura & diligentia, tum inter se, tum ad fidem antiquorum

rum manuscriptorum contulisse, emendasse: in nullo tamen ex his vetustissimis Codicibus versiculum nostrum deesse usquam observavit Cassiodorus; qua igitur fronte posset quis fidem, veritatem ac sinceritatem hujus versus in dubium & suspicionem adducere?

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex testimoniis veterum Scriptorum.

pag. 515 I. Tertullianus in Libro adversus Praxeam cap. 25. *Connexus Patris in Filio*, inquit, *& Filii in Paracleto tres efficit cohærentes ∴ qui tres unum sunt, non unus.* Ad versum septimum Epistolæ sancti Joannis hic Tertullianum respicere, verba ista, *tres unum sunt*, clare indicant.

II. S. Cyprianus Lib. de unitate Ecclesiæ non multo post initium, ut probet servandam in Ecclesia unitatem, hæc refert: *Ego* pag 181 *& Pater unum sumus, & iterum*, inquit, *de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, & hi tres unum sunt.* Non alibi porro scriptum illud legimus, quam in cap. 2. I. Epist. S. Joan. v. 7.

III. S. Hieronymus, aut qui est auctor Prologi ad Epistolas canonicas qui ad minimum scripsit sæculo septimo, conqueritur ab infidelibus translatoribus vitiatam fuisse primam T. 1. p. 1667. sancti Joannis Epistolam: *In qua*, inquit, *ab infidelibus translatoribus multum erratum esse fidei veritate comperimus: trium tantum vocabula, hoc est, aquæ, sanguinis, & spiritus, in sua editione ponentibus, & Patris, Verbique ac Spiritus sancti testimonium omittentibus; in quo maxime & fides catholica*

robo-

roboratur, & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti una divinitatis substantia comprobatur.

Ferri hic non potest impudens Erasmi & Socini protervia, qui Hieronymum Prologi auctorem agnoscunt quidem, sed falsarium, cum omnium primus versum 7. textui sancti Joannis inserere ausus fuerit.

IV. Vigilius Tapsensis ejusdem versus 7. mentionem habet quinto Ecclesiæ sæculo, Lib. adversus Varimadium Arianum cap. 5. his verbis: *Joannes Evangelista ait. . . ad Parchos. Tres sunt . . . qui testimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Bibliot. P. P. T. 5. p. 709.

Victor Vitensis Lib. 3. de persecutione Africana, *Ut*, inquit, *adhuc luce clarius unius divinitatis esse cum Patre & Filio Spiritum Sanctum doceamus. Joannis Evangelistæ testimonio comprobatur: ait enim, tres sunt qui testimonium perhibent in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.* T. 8. p. 616. Bibliot. P. P.

Hanc porro fidei professionem ab Episcopis diversarum Provinciarum Africæ, Mauritaniæ, Sardiniæ, Corsicæ, numero fere quadringentis subsignatam Eugenius Carthaginensis Episcopus anno 484. obtulit Hunerico Regi Vandalorum Ariano, ut referunt ibidem. Victor Vitensis & Gennadius Lib. de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 97. quod invicto est argumento tunc omnes Africæ Episcopos hunc septimum versiculum habuisse in suis Bibliorum Codicibus, quem confidenter adversus Arianos laudarunt nullis reclamantibus.

Ex tot positivis, quæ hactenus adducta sunt, testimoniis ad probandam veritatem versus 7. toties memorati, facile intelligere est vix ali-

aliquid ponderis ac momenti habere negativum argumentum, quod ex silentio aliquorum Veterum, Athanasii, Hilarii, Gregorii Nazianzeni &c. nonnulli opponunt. Quasi vero aut omnia Patrum scripta supersint, aut non potuerint ab invidis fidei ea premi malitiose, in quibus hic locus extaret; aut non aliqua verba ab iis omitti, qui memoriter textum scripturæ retinebant ac recitabant; aut mendosus Codex in eorum manus incidere.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex consensu utriusque Ecclesiæ.

Certissimum est utramque Ecclesiam, Græcam & Latinam, hunc versiculum septimum sancti Joannis ut legitimum agnoscere ac retinere,

De Latina res omnino certa.

De Græca etiam patet ex eorum Lectionario; idque confitentur adversarii, atque imprimis auctor *Historiæ criticæ veteris & novi Testamenti cap.* 18.

Ri. chard Simon.

Jam vero hæ Ecclesiæ simul junctæ numero & auctoritate longe superant Ecclesias Syriæ, Arabiæ, Æthiopiæ, quas in suæ sententiæ patrocinium (quanquam immerito) adducunt Sociniani.

Confirmatur tertium istud argumentum ex decreto Concilii Trid. de Scripturis canonicis, quo recipiendos jubet singulos libros editionis vulgatæ cum omnibus patribus suis, & prout in Ecclesia catholica legi consueverunt. *Si quis*, inquit, *libros ipsos integros* (veteris ac novi Testamenti) *cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi* con-

consueverunt, & in veteri vulgata editione habentur; pro sacris & canonicis non suscepit . . . anathema sit. Porro in Ecclesia catholica legitur Epistolæ sancti Joannis cum citato sæpius versu 7.

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex ipsa serie contextus Epistolæ S. Joannis.

Non est certior criticæ regula qua judicari possit in aliquo textu particulam quamdam non esse insertam, quam si ea posita oratio sit fluens & aperta, ea vero sublata, sensus orationis coactus sit & confusus: porro ita est in præsenti negotio, posito versu 7. omnia optime cohærent, eo autem omisso, sensus Apostoli coactus est, confusus & omnino involutus.

Scilicet versu 7 sic habetur: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & tres unum sunt.* V. 8. *Et tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis, & hi tres unum sunt.* Omnia hic recte cohærent ac connexa sunt: nitida & aperta oratio Apostoli, si nullum ab illa membrum divellatur; secus vero confusa, male cum antecedentibus & consequentibus cohærens. Quorsum enim particula conjunctiva &, versus 8. nisi quia supponit versum 7. cui opponitur? Duo enim hæc extrema, *testimonium in cœlo, testimonium in terra*, ad se referuntur & simul opponuntur: nulla porro foret oppositio, si versum 7. sustuleris. Quapropter versu 9. utrumque conjungit Joannes. *Si testimonium*, inquit, *hominum accipimus; testimonium Dei majus est. Quoniam hoc est testi-*

stimonium Dei, quod majus est, quoniam testificatus est de Filio suo.

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex infirmitate momentorum quibus nititur adversariorum sententia.

Quam infirma sunt ac futilia ista momenta aperte patebit ea sigillatim recensendo ac refellendo.

Asserunt 1. versiculum 7. sancti Joannis in antiquioribus & probatissimis examplaribus desiderari.

Verum ex dictis argumento primo ad illud effugium aperte patet responsio. Scilicet in tanta Codicum manuscriptorum varietate & discrepantia, iis potissimum fides adhibenda qui numero, antiquitate, ac auctoritate plures sunt. Porro laudatum textum in multo pluribus reperiri ibidem ostendimus.

Cur versiculus ille 7. in multis codicibus MS desideretur? Conjecturæ.

At, inquies, quo casu contingere potuit ut versus ille 7. in multis Codicibus tum græcis, tum latinis desideretur?

Resp. 1. duplicis generis distingui posse Codices, seu Exemplaria tum veteris, tum novi Testamenti manu exarata: alia, quæ omnium pene Fidelium manibus quotidie tererentur, oculis legerentur; memoria discerentur: alia quæ reconderentur in forulis Bibliothecarum; & priora quidem multo difficilius corrumpi ac violari potuisse, propter frequentem ac quotidianum usum, ac promptam, si quis fuisset, violatoris pœnam. Ad fidem istorum manuscriptorum Codicum, quos Traditio & perpetuus Fidelium usus incorruptos servavit, exacti fuere Libri sacri nostræ vulgatæ Editionis, ac prælo subinde

inde commissi, cum inventa est, sæculo nempe decimo quinto, ars Typographiæ. Alia vero Exemplaria, quę non in angulis Bibliothecarum recondebantur, longe facilius fraudi ac corruptelæ patebant Exscriptorum, sive ex negligentia, sive ex malitia, nempe ut posteros fallerent specie vetustatis: quo casu Codices manuscripti qui numero, antiquitate & auctoritate ceteros vincunt, præferendi sunt tanquam magis probati ac castigati, & posteriores ad eorum fidem & normam corrigendi.

Resp. 2. non improbabili conjectura dici posse, in nonnullis Codicibus versum 7. c. 5. Epist. I. S. Joann. desiderari vitio & incuria Exscriptoris, qui cum textum descripsisset usque ad hæc verba ὅτι τρεῖς ἐσιν οἱ μαρτυροῦντες; *Quoniam tres sunt qui testimonium dant;* errante oculo transivit ad versum 8. ubi eadem verba repetuntur; atque ita versum 7. ex incuria prætermisit. Lapsus ille seu error manus & oculorum non est infrequens in iis qui aliena describunt, cum nullo fere interposito intervallo eadem verba repetuntur, ut revera est in versu 7. & 8. cujus lapsus exempla proferunt doctissimi Benedictini in suis ad Prologum S. Hieronymi in Epistolas Canonicas Observationibus, quas consule.

Resp. 3. non immerito supponi posse versum illum ab Arianis in iis, quos potuerunt, Codicibus expunctum de industria fuisse, quod eo se maxime premi intelligerent; quod quidem fraudis ac perfidiæ vitium sæpius ipsis exprobrat S. Ambrosius Lib. 2. de fide cap. 15. num. 335. & Lib. 5. cap. 16. nu. 193. sed præsertim Lib. 3. de Spiritu sancto c. 10.

initio, ubi conqueritur Arianos locum istum, *Quoniam Deus Spiritus est*, de suis Codicibus deleviſſe. *Atque utinam*, inquit, *de vestris, & non etiam de Ecclesiæ Codicibus tolleretis! Eo enim tempore quo impiæ infidelitatis Auxentius Mediolanensem Ecclesiam armis exercituque occupaverat, vel a Valente atque Ursatio, nutantibus Sacerdotibus suis incursabatur Ecclesia Sirmiensis, falsum hoc & sacrilegium vestrum in Ecclesiasticis Codicibus deprehensum est. Et fortasse hoc etiam in Oriente feciſtis. Et litteras quidem potuiſtis abolere, sed fidem non potuiſtis auferre.* Hæc S. Ambroſius. T. 2. p. 670.

S. Hieronymus in Prologo ad Epiſtolas Canonicas, eandem querimoniam inſtituit adverſus Arianos, occaſione verſus de quo loquimur.

Quin & Socrates adulteratæ ab Hæreticis Scripturæ exemplum profert ex hac ipſa prima Epiſtola S. Joannis c. 4. v. 2. ubi dicitur, *In hoc cognoſcitur Spiritus Dei: omnis Spiritus qui confitetur Jeſum Chriſtum in carne veniſſe, ex Deo eſt; & omnis Spiritus qui ſolvit Jeſum, ex Deo non eſt.* Quem locum ab Arianis expunctum fuiſſe obſervat Socrates.

Aſſerunt 1. textum hunc falſi ac ſuppoſitionis merito argui, eoquod 2. nullo ex Veteribus ante Victorem Vitenſem, qui quinto ſæculo florebat, laudatus fuerit; & quod maxime obſervandum.

I. multi ex iis diu & acriter cum Arianis congreſſi ſunt. Ita Athanaſius, Hilarius, Chryſoſtomus, Ambroſius, Gregorius Nazianzenus, Didymus &c. At incredibile prorſus eſt, tot ac tantos auctores in ſacris

Lit-

Litteris exercitatissimos, versum hunc confodiendo errori Ariano adeo accommodatum, omisisse, si eum habuissent, & ut genuinum Apostoli fœtum agnovissent.

II. Inter eos nonnulli, ut S. Clemens Alexandrinus Lib 14. thesauri c. 5. S. Ambrosius L. 1. de Spiritu sancto cap. 6. S. Augustinus L. 2. contra Maximinum cap. 22. citant disertis verbis versum octavum, *tres sunt qui testimonium dant in terra*, nulla mentione facta versiculi 7.

III. S. Hieronymus qui in exponendis & emendandis sacris Codicibus summo studio ac labore incubuit, cum recenset primam Epistolam sancti Joannis, versum septimum, *tres sunt qui testimonium dant in cœlo, &c.* prætermittit.

Ex his omnibus concludunt adversarii, versiculum septimum spurium esse & adulterinum, & incaute ac mala corrupti alicujus Codicis fide, textui sancti Joannis fuisse assutum.

Resp. equidem nonnullos esse ex antiquis SS. Patribus & Scriptoribus ecclesiasticis qui versiculum hunc data occasione non laudant: at sunt alii, etiam ex antiquioribus, ut constat ex dictis probatione secunda, qui ipsum commemorant. Nemo autem nescit vix aliquid momenti ac ponderis habere argumenta negativa, cum ex altera parte extant positiva.

Quod si quis quærat, qui factum est ut SS. Patres agentes contra Arianos textum hunc filuerint? responderi potest id contigisse de variis causis.

1. quia eo ipso textu abutebantur Ariani: ex eo siquidem inferebant, Patrem & Verbum

non esse qui unum inter se unitate essentiæ seu substantiæ, sed duntaxat unitate testimonii, qualis est unitas de qua dicitur versu 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis, & aqua, & hi tres unum sunt.*

2. ad confutandam impietatem Arianam aliud extat in Scripturis testimonium omnino decretorium: scilicet istud, *Ego & Pater unum sumus*; non mirum ergo si plerique sancti Patres Arianos debellantes, in eo textu vim potissimum faciant, alio, ex versu 7. sancti Joannis, omisso.

3. dici potest nonnullos ex istis SS. Patribus forte incidisse in mendosos Codices e quibus ab invidis fidei malitiose suppressus fuerat versiculus de quo agitur.

Asserunt 3. sententiam quæ genuinum docet S. Joannis versiculum, nisi potissimum auctoritate sancti Cypriani Lib. de unitate Ecclesiæ antea citato: at, inquit auctor Historiæ criticæ, S. Cyprianus per allegoriam ac sensu accomodatitio versum 8. de testibus terrestribus, Patri, & Filio & Spiritui sancto adaprat, more Africanorum qui hujuscemodi allegoriis delectabantur; unde concludit lectum a Cypriano versum 8. non 7. Probat autem auctoritate tum Facundi Hermianensis, tum sancti Augustini.

Facundus Lib. 1. pro defensione trium Capitulorum cap. 3. laudat istum versiculum 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres unum sunt. In Spiritu*, inquit; *significans Patrem. in aqua Spiritum sanctum. in sanguine vero Filium.* Quod postquam testimoniis Scripturæ probavit, sic pergit: *Quod testimonium B. Joannis Apostoli, Beatus Cyprianus Carthaginen-*

Pag. 7.

Ibid.

nensis Antistes & Martyr in Epistola sive Libro quem de Trinitate scripsit (error est, dicere debuisset, de unitate Ecclesiæ) de Patre, & Filio, & Spiritu sancto intelligit.

S. Augustinus, quem totum hac in parte describit Facundus, eandem interpretationem sequitur versus 8. Libro 2. cotra Maximinum Arianum cap. 22.

Verum facile est refellere quæ opponit Criticus ad firmandum argumentum quod ex auctoritate S. Cypriani colligimus.

I. Facundo sanctum opponimus Fulgentium, ætate non minus quam auctoritate Facundo longe superiorem. Is in tribus Operum suorum locis, Lib. de Trinitate cap. 4. Lib. de Fide Catholica, sed præsertim in suis responsionibus ad objectiones Arianorum, respondens ad ultimam objectionem expresse testatur versiculum 7. a sancto Cypriano laudatum fuisse. *In Patre ergo*, inquit, *& Filio, & Spiritu sancto unitatem substantiæ accipimus, personas confundere non audemus. Beatus Joannes Apostolus testatur dicens: Tres sunt qui testimonium perhibent in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus, & tres unum sunt. Quod etiam Beatissimus Martyr Cyprianus in Epistola de Unitate Ecclesiæ testatur dicens &c.* Refert deinde quæ mox a nobis laudata sunt, Cypriani verba. S. Fulgentius pag. 68.

II. Qui fieri potuit ut S. Cyprianus verbis relatis ad versum 8. respexerit, cujus versus nullam omnino in Libris suis mentionem feciisse legitur? Deinde vero, unitas de qua S. Joannes versu 8. non naturæ est, sed testimonii duntaxat; atque in textu græco non legimus, & hi tres *unum sunt*, sed, *in unum sunt*; hoc est, in unum testificandum

seu declarandum. An vero probabile videtur, sanctum Cyprianum ad demonstrandam unitatem essentiæ Patris, & Filii, & Spiritus sancti, adduxisse unitatem duntaxat testimonii spiritus, sanguinis & aquæ?

III. (quod magis urgere videtur) verba ista versiculi 8. *Et hi tres unum*, seu, *in unum sunt*, in Codicibus numero pluribus & quidem vetustioribus non exstant: quomodo igitur ad ea oculos intendere potuit S. Cyprianus? Id vero ita esse constat auctoritate ac testimonio IV. Concilii Lateranensis sub Innocentio III. an. 1215. multisque aliis momentis quæ refert Hesselius Theologus Lovanienſis, Commentario in primam Epistolam S. Joannis ad versum 8. capitis 5. cujus hæc verba sunt.

T. 14. Conc. P. 144.

Hesselius.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. celebratum (cui etiam Patriarchæ Græci interfuerunt) Can. 2. ostendit Codices suo tempore sic habuisse, sicuti nunc legimus. Admonet nihilominus diligenter, eo quod Abbas quidam nomine Joachim docuerit non esse veram unitatem trium personarum, sed ea sic dici unum, sicut illi quorum est una voluntas. Utebatur autem argumento ex hoc loco sumpto, quia videlicet sicut de Patre, & Filio, & Spiritu sancto scriptum est, quod tres unum sint; sic eodem loco de spiritu, aqua & sanguine, quod tres unum sint. Proinde autem addit Concilium, sicut in quibusdam Codicibus invenitur; satis indicans illud, Et hi tres unum sunt, non in omnibus Codicibus, spiritui, aquæ & sanguini, additum reperiri. S. quoque Thomas exponens Decretalem jam dictam Concilii Lateranensis Opsculo 24. Tres sunt, ait, qui testimonium dant in terra, scilicet, spiritus, aqua &

& sanguis: *in quibusdam Libris additur, Et hi tres unum sunt; sed hoc in veris Exemplaribus non habetur, sed in quibusdam Libris dicitur esse appositum ab Hæreticis Arianis, ad pervertendum sanum intellectum auctoritatis præmissæ de unitate essentiali trium personarum. Hæc Thomas* ∴ *Vidi ego*, pergit Hesselius, *tria vetusta Missalia, unum scriptum, duo impressa, in quibus etiam hæc particula deerat, quemadmodum & in Exemplari quodam quod extat Lovanii in Bibliotheca Ecclesiæ sancti Petri, altero item quod ibidem in Abbatia D. Gertrudis asservatur: ex quibus omnibus hæc videtur vera esse hujus loci lectio, Quoniam tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & sanguis; aut potius, ut Codex quidam apud nos Ecclesiæ S. Petri habet, tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus, aqua & sanguis. Et tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt.*

His ex Hesselio momentis addi debet: 1. Doctores Lovanienses testari se quindecim Codices lustrasse, in quibus clausula hæc versus 8. *Et hi tres unum sunt*, non legebatur; 2. idem de multis Codicibus fateri Lucam Burgensem in suis correctionibus Romanis; 3. Arianum Montanum clausulam illam non inseruisse, nec in græco nec in latino textu Bibliæ Polyglottæ Philippi II.

Jam vero recurrit prius argumentum nostrum: Si verba ista, *Et hi tres unum*, vel, *in unum sunt*, non extabant olim in versu 8. quomodo Tertullianus, quomodo Cyprianus, alludere ad ea potuerunt, & per allegoriam

ea transferre ad Patrem, Filium & Spiritum sanctum?

At Facundus, ait noster Criticus, ea sic interpretatus est, ac Cyprianum laudat ejusdem interpretationis auctorem. Fatemur; sed deceptus ille fuit, nec Cypriani mentem satis est assecutus. At Augustinus, pergit Criticus, allegorice ea exposuit. Fatemur adhuc; sed quid inde ad Cyprianum? Quæsta, quæso, consecutio? Sanctus Augustinus hunc Scripturæ textum sensu allegorico exposuit; ergo & Tertullianus, & Cyprianus, & Fulgentius pariter exposuerunt. Quid absurdius? Sed aptissimus fuisset versus 7. Maximino Ariano confutando; cur ergo illum omisit S. Augustinus? nescio. Forte vel quia non extaret in eo Codice quo utebatur; vel quia de illo litigare Arianos noverat, quam facti controversiam aggredi noluit, cum tot alia clara & expressa præsto essent, ad veritatem Catholicam demonstrandam, Scripturæ testimonia.

Huc usque defendimus contra Socinianos & alios nonnullos fidem ac veritatem versus 7. cap. 5. I. Epistolæ S. Joannis, nunc paucis contra eosdem Socinianos vindicandus est verus ac legitimus sensus hujusce textus.

Vindicatur verus ac legitimus sensus versus 7. c. 5. I. Epistolæ sancti Joannis.

Sociniani negant ex hoc textu probari posse tres esse in Deo realiter distinctas personas, & unam in illis numericam naturam seu essentiam.

Verum nihil insulsius excogitari potest, & verborum obviæ significationi magis repugnans.

Nam-

Namque *Tres sunt*, ait S. Joannes, *qui testimonium dant. Si tres*; ergo non unica persona. Continuo addit idem Apostolus, *& hi tres unum sunt*; ergo non multiplex, sed una substantia: tres scilicet sunt personæ & una natura.

Et vero, Pater & Filius nonne duæ sunt, vel ipso non diffitente Socino, personæ? ergo & Spiritus sanctus qui eodem pariter modo ac tenore appellatur, vera quoque est divina persona, non mera Dei virtus, efficacia, energia, ut Sociniani fabulantur. Si enim una & eadem persona foret, quæ per diffusas a se virtutes testimonium diceret, falso affirmaret Joannes tres esse qui testimonium dant in cœlo; neque enim testis & virtus per quam testatur, diversum habent testimonium.

At inquiunt Sociniani, unitas de qua in versu 7. est duntaxat testimonii, similis illi de qua dicitur versu 8. *Tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, sanguis & aqua, & hi tres unum sunt.* At quomodo unum? Natura & essentia? Quis ita desipiat? Unum ergo sunt unitate duntaxat testimonii, quia de Christo pariter testantur, quod si veritas: ita quoque Pater, Verbum & Spiritus sanctus unum dicuntur, quia conspirant in idem de Christo testimonium.

Verum istud leve est ac facile refellitur. Resp. itaque falso supponi non aliam versu 7. unitatem designari, quam quæ testimonii est expressa ibidem versu 8. namque apertum est in ipso textu sacro discrimen. De Patre enim & Filio, & Spiritu sancto dicitur, *Et hi tres unum sunt*, de spiritu vero, aqua & sanguine v. 8. *Et hi tres in unum sunt*, ut fert textus græcus, id est, in unum & idem

testimonium conspirant, οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, *Et hi tres unum sunt*. Adde quod, ut supra notatum est, postrema ista verba, *Et hi tres in unum sunt*, in bene multis Codicibus manuscriptis vetustioribus desiderentur: quomodo igitur unitas, de qua versu 7. intelligi posset de unitate de qua versus 8.

QUÆSTIO QUARTA.

De trium sanctissimæ Trinitatis personarum consubstantialitate.

IN tres Articulos gravissimam hanc Quæstionem partiemur.

In primo demonstrabimus Patrem esse secundum se Deum.

In secundo, Filium divinum esse Patri suo consubstantialem.

In tertio, Spiritum sanctum esse Patri & Filio consubstantialem.

ARTICULUS PRIMUS.

An Pater æternus sit secundum se Deus.

ABbas Joachim damnatus in Concilio Lateranensi IV. sub Innocentio III. docuit Deum exurgere ex trium personarum collectione, ut populus ex plurium civium multitudine conflatur; ac proinde naturam unam tribus personis communem rejiciebat, & negabat Patrem seorsim sumptum Deum esse.

Huic errori præiverunt nonnulli de quibus agit S. Augustinus Lib. de hæresibus hæresi 7. Hi divinitatem spectabant ut totum quod-

quoddam ex variis & distinctis partibus constans, quarum una esset Pater, alia Filius, alia Spiritus sanctus. Juxta illos Pater non erat Deus, uti nec Filius, nec Spiritus sanctus. Contra hos sit

CONCLUSIO.

Pater secundum se est Deus.

Probatur 1. ex Scripturis. Joan. 17. v. 3. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* 1. Cor. 5. v. 2. *Gratia vobis & pax a Deo Patre & Domino Jesu Christo.*

2. in Concilio Lateranensi IV. sub Innoc. III. Can. 2. definitur contra Abbatem Joachim, quod *una quædam summa res est*, (nempe divinitas) *quæ aciter est Pater, Filius & Spiritus sanctus.* Ibi concilium intendit excludere errorem Abbatis Joachim qui contendebat tres personas sola collectione unum Deum esse, sicuti populus ex civium multitudine conflatur: sicque Pater est Deus non solum ut cum Filio, & Spiritu sancto; sed ut secundum se ac veluti seorsim accipitur.

3. si Pater secundum se non est Deus; ergo naturam habet finitam: at non potest dici habere naturam finitam. Si enim quælibet persona sanctissimæ Trinitatis finita esset, ex tribus simul junctis nusquam coalesceret Deus; infinitum siquidem exurgere non potest e tribus secundum se finitis.

Objicies: Si tres sunt in Deo personæ, quarum quælibet Deus est secundum se & non secundum collectionem, quaternitas erit in

Deo & non trinitas: atqui non est quaternitas in Deo; ergo &c.

R. quaternitatem eo ipso tolli in Deo, quod tres personæ sint una & summa res, puta essentia, in qua conveniunt.

ARTICULUS II.

An Filius divinus sit Deo Patri consubstantialis.

CUm divinitas Christi præcipuum sit fidei ac Religionis Christianę fundamentum, quo everso, totam funditus illam subverti necesse foret, exigit officii ac instituti nostri ratio, atque Socinianorum pervicacia, ut paulo diutius pro rei gravitate, in hoc versando argumento immoremur.

Observanda.

Observandum 1. tres potissimum distingui posse Hæreticorum ordines qui Christi divinitatem evertere conati sunt.

Primus est eorum qui ipsum nullatenus ante B. Virginem extitisse docuerunt. Ita Cerinthiani, Ebionitæ, Paulianistæ, Photiniani, hodieque omnium perniciosissimi Sociniani.

Secundus est Arianorum qui etsi pariter Christum Deum esse negarent, ipsum tamen Dei Verbum esse fatebantur, per quod omnia facta sunt. Contendebant scilicet, Deum cum rerum universitatem condere vellet, prius Verbum creasse, a quo deinceps cetera creata sunt.

Tertius est Semi-arianorum, qui in everten-

tenda Christi divinitate utrisque consentientes, Christum nihilominus ut Dei Verbum ab æterno extitisse contendebant.

Observandum 2. duo præsertim esse circa præsentem quæstionem impietatis Socinianæ capita.

Primum est, Christum non extitisse priusquam ex B. Virgine nasceretur, nisi in mente Dei per ideam, prævisionem atque prædestinationem; quo in capite Arianos impietate superant: licet enim isti negaverint Verbum esse Patri consubstantiale ac coæternum, fatebantur nihilominus illud ante omnem creaturam a Deo conditum fuisse, tanquam instrumentum quo usus est Deus ad mundi creationem.

Secundum erroris caput est, Christum Patri consubstantialem non esse, nec verum natura & substantia Deum, sed tantum per gratiam, auctoritatem & adoptionem; attamen ut simplicioribus & incautis illudant, Christum frequenter Deum appellare non dedignantur. Ita Socinus in responsione ad quatuor priora capita Wieki. *Aperte*, inquit, *falsissimum est, nos palam affirmare Christum non esse verum Deum; imo contrarium publice profitemur, & in nostris tam Latina quam Polonica lingua non paucis editis Scriptis, Christum verum esse Deum asserimus.* Et Smalcius in responsione ad secundam partem refutationis Semiglecii cap. 3. *Christus*, ait, *Deus noster & Deus verus summo jure appellandus est: & reipsa est.* Sed cavete, dolus est: eodem enim sensu Christum Deum appellant, quo Moyses dictus fuit Pharaonis Deus; & Judices seu Viri præcellentes ac in auctoritate constituti, aliquando in Scripturis

dii appellantur, improprio scilicet ac metaphorico sensu.

Ut vero plena & accurata sit hæc de Christi divinitate tractatio, & simul claritati ac brevitati consulamus, præsentem Articulum in duas Sectiones distribuemus.

In prima demonstrabimus ex Scripturis contra Socinianos, Arianos & Semi-arianos, Christum vere ac proprie seu natura & essentia Deum esse Patri consubstantialem.

In secunda, eandem veritatem catholicam asseremus ex constanti ac perpetua SS. Patrum ac Ecclesiæ totius Traditione.

SECTIO PRIMA.

Demonstratur ex Scripturis Christi divinitas, seu ipsius cum Deo Patre consubstantialitas.

In ingenti Scripturæ testimoniorum quæ sese offerunt, ad probandam Christi divinitatem, copia, insigniora duntaxat seligemus, eaque in varias classes, perspicuitatis causa, distribuemus.

I. itaque argumenta colligemus ex nominibus quæ Deo propria sunt, & Christo tribuuntur.

II. ex ipsa essentia seu natura Dei.

III ex divinis proprietatibus, seu attributis ac perfectionibus divinis, quæ de Christo proprie & in recto, ut ajunt, prædicantur.

IV. ex divinis operationibus, quas Christus habet cum Patre communes.

V. denique, ex cultu & adoratione quæ soli Deo debetur, & Christo impenditur. Sit itaque

PRI-

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex nominibus quæ Deo propria sunt, & Christo Domino tribuuntur.

Multa sunt Dei nomina, tum substantiva, tum adjectiva, quæ in sacris Litteris Deo adaptantur. Tria potissimum, scilicet nomen, *Jehovah*: nomen, *El*, nomen *Deus*, simpliciter & in singulari. Ex illo triplici nomine Socinianos aliosque adversarios revincemus.

PRIMUM TESTIMONIUM.

Ex capite 22. Jeremiæ v. 5. & 6. ubi Messias Christus appellatur Jehovah.

Nullum est augustius nomen, Deo magis proprium ac minus cuilibet alteri communicabile, quam istud *Jehovah*, quod Deus sibimetipsi imposuit, ac sæpe usurpavit. Isaiæ 24. v. 8. *Ego Dominus*: in Hebræo, *Ego Jehovah hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.*

Nomen illud augustum soli Deo proprie convenit, nec ulli creaturæ potest communicari. Istud agnoscere ac fateri videtur Wolchelius, cum ait L. 1. de vera Religione c. 11. nomen *Jehovah* absolute sumptum, nec Angelis, nec Christo in seipsis spectatis convenire, sed tantum cum addito, quando nempe Dei personam sustinent ac repræsentant. Unde sic arguimus:

Ille Deus est natura & substantia, cui proprie, absolute ac sine addito convenit *Jehovæ* nomen: atqui Christo proprie, absolute, ac sine addito nomen *Jehovæ* convenit; ergo &c. Major certa est. Minor probatur ex cap. 21. Jeremiæ v. 5. & 6. *Ecce dies*

veniunt, dicit Dominus, & suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra. In diebus illis salvabitur Juda, & Israel habitabit confidenter, & hoc est nomen quod vocabunt eum, Dominus justus noster. In hebræo legitur. Et hoc est nomen quo vocabit eum, Jehovah justitia nostra.

Par. 371. col. 2. Egregium istud testimonium de Messia intelligi debere non diffitentur Judæi veteres, sicut erudite ostendit Illustrissimus Huetius Lib. Demonstrationis Evangelicæ propositione 7. num. 16.

Confirmatur istud argumentum, quin & 70. Interpretes, & Apostoli & Evangelistæ nomen hebraicum *Jehovah*, reddunt per κύριον, *Dominum*, ac Christo adaptant, quicenties *Dominus* appellatur antonomastice seu per excellentiam.

SEGUNDUM TESTIMONIUM.

Ex c. 9. Isaiæ v. 6. ubi futurus Messias Christus vocatur Deus, El.

Alterum est Dei nomen in Codicibus sacris maxime pervulgatum, nempe *El*: porro hoc nomine insignitur Christus loco mox laudato. Hæc sunt Prophetæ verba: *Parvulus natus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum ejus, & vocabitur nomen ejus, Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* Nullum effugium admittere posse videntur verba hæc, adeo per sese clara & perspicua sunt: vel ipsimet veteres Judæi ac etiam Sociniani hæc de Messia Christo dicta fuisse profitentur.

Por-

Porro ibidem Messias dicitur *Deus*, *El*, & quidem *fortis*, ergo &c.

Grotius more suo alio ea detorquet, nempe ad Ezechiam; verum nemo sanæ mentis Ezechiæ tribuat, quæ hic enumerat Propheta. Soli Christo convenit esse Deum admirabilem, Deum fortem, consiliarium Dei, patrem futuri sæculi, pacis principem.

Et vero additio attributi, *fortis &c.* longe magis Socinianis adversatur; siquidem etiam cum emphasi significat summum & fortissimum Deum cui omnia serviunt. Ita enim in Scripturis Deus summus depingi seu describi solet. Deuter. 10. v. 17. & Nehemiæ 9. v. 32. Dicitur *Deus magnus, fortis & terribilis.* Psalm. 23. v. 8. *Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio.* Quibus in locis prædicatum *fortis* cum nomine *Jehovah* jungitur, quo nedum imminuitur, sed augetur magis nominis Dei significatio.

TERTIUM TESTIMONIUM.

Ex c. 1. S. Joannis v. 1. &c. quo in loco Christus nomine Dei *absolute & sine addito insignitur.*

In principio erat Verbum, inquit S. Joannes, *& Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt &c.* Ex quibus sic arguo: Verbum quod caro factum est, Christus est Salvator: porro Verbum illud caro factum clare & expresse ibi simpliciter & sine addito Deus appellatur, *& Deus erat Verbum.*

Tria respondent Sociniani.

I. post ista verba, *& Deus erat*, interpunctionem apponendam esse; ita ut legi debeat,

In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat apud Deum. Qua suppositâ interpunctione, istud, *Deus erat*, non refertur ad Verbum, sed hoc unum significat, Deum nempe extitisse.

Quam ridicula & insulsa responsio! 1. quia gratis omnino ad effugium conficta; 2. quia plane inutilis; quasi necesse fuisset S. Joannem admonere Deum extitisse eo ipso tempore, quo *Verbum erat apud ipsum*. Quid absonum magis? An extitisse Deum quis dubitabat? An quo tempore *Verbum apud ipsum erat*, ipse cogitari poterat non esse? Nihil est quod magis desperatam causam demonstret, quam tam misera & deplorata responsio.

II Respondent, Dei nomine non summum & unicum natura Deum designari, sed Deum dependentem, inferiorem. Probant, ex eo quod ubicumque nomen Dei usurpatur ad designandum eum, qui natura & substantia summus Deus est, semper in græco textu apponitur articulus emphaticus ὁ θεός. Porro desideratur articulus ille in loco citato; simpliciter enim ac nude legitur καὶ θεὸς ἦν ὁ λόγος, *& Deus erat Verbum*, non autem, *& ille Deus erat Verbum*.

Verum, nec firmior est ista responsio quam prima. Nihil certe levius, incertius nihil observatione Socinianorum circa articulum emphaticum ὁ, nomini Dei præfixum, aut præfigi solitum: siquidem articulus ille sæpius in hoc ipso cap. 1. sancti Joannis omittitur, cum tamen Deus summus appellatur. V. g. versu 6. dicitur, *Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes*; in græco nullus

lus præfigitur articulus nomini *Deo*. Idem legere est versibus 12. 13. & 18. In aliis vero Scripturæ locis, articulus aliquando nomini Dei præfigitur, aliquando non præfigitur. Matth. 14. v. 33. & cap. 27. v. 43. 1. Corinth. 8. v. 4. & 6. Rom. 1. v. 7. Ephes. 4. v. 6. & alibi, sæpius nomen Dei usurpatur ad verum & summum Deum significandum, nec tamen in græco legitur articulus ὁ; sed quod amplius est, omnemque Socinianorum machinam subvertit, nomen Dei idolo applicatur cum præfixo articulo, Act. 7. v. 43. 11. Corinth. 4. v. 4. Galat. 4. v. 8. Quod si momenti ac ponderis aliquid hæc observatio haberet, necdum causam obtinerent Sociniani; Christus enim etiam cum præfixo articulo Deus appellatur, sicut observat sanctus Chrysostomus Hom. 3. in Joan. ubi difficultatem illam diluit. Rom. 9. v. 5. *Ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus,* ὁ ὢν πάντων θεὸς. *Edit. Commel. p. 28.*

III. Respondent, Dei nomen non naturæ esse, sed dignitatis & auctoritatis, quod idcirco multis accomodari potest, qui veri non sunt dii natura & substantia; dii tamen ob potestatem & dignitatem aliquando nuncupantur, ut Angeli, Judices & Magistratus, Psalm. 81. v. 6. *Ego dixi, Dii estis*: quem locum etiam laudat & probat Christus Joh. 10. v. 34. & Apostolus 1. Cor. 8. v. 5. fatetur multos esse *qui dicuntur dii sive in cœlo sive in terra*. Imo Ex. 7. v. 1. Moyses vocatur Pharaonis deus *Ecce constitui te Deum Pharaonis*.

Refellitur tertia hæc responsio. Negamus absolute Dei nomen appellativum esse, ac multis posse convenire proprie, absolute ac in fin-

singulari neque ullum eam in rem exemplum proferre possunt Sociniani: quod ita verum est, ut Herodes propterea ab Angelo percussus & exesus a vermibus fuerit, quod acclamante populo, *Vox Dei & non hominis, Deo gloriam non dediſſet*, sicut refertur Act. 12. v. 22. & 23.

Ad exempla vero quæ nobis Sociniani objiciunt,

Observandum 1. Angelos & homines deos interdum appellari in veteri duntaxat Lege, nusquam in nova. Christus etenim Joan. 10. v. 34. non ex se, sed ex Psalmo 81. dictum a Davide refert, *Ego dixi, Dii estis*. Apostolus pariter 1. Cor. 8 non ex sua, sed Paganorum sententia, quam evertit, ait *multos esse qui dicuntur dii; nobis autem*, subjungit statim, *unus est Deus*.

Observandum 2. nomen Dei nusquam, ne in veteri quidem Testamento, Angelis, vel hominibus datum fuisse numero singulari, aut absolute & simpliciter; sed cum addito, cum restrictione ac modificatione. Sic Angeli collective & in plurali *dii* nuncupantur; & si eorum aliquis in numero singulari *Jehovah* aliquando dictus fuit, non tam ipse spectabatur, quam Dei Filius, qui verus est *Jehovah*, qui in Angelo erat, apparebat, loquebatur, agebat, ut antea diximus. Magistratus & Judices semel tantum dii vocantur Psalm. 81. at in plurali, nusquam numero singulari; neque etiam absolute, illimitate ac simpliciter, sed appositа clausula quæ significationem nominis Dei multum temperat. *Ego dixi Dii estis & filii Excelsi omnes*, ait Psalmista: *vos autem*, addit statim v. 7. *sicut homines moriemini, &*

sicut

sicut unus de principibus cadetis. Moyses similiter non dicitur absolute & illimitate Deus, sed cum addito *Deus Pharaonis*; hoc est, illius respectu & occasione: nimirum propter mira & stupenda prodigia, quæ coram ipso patravit.

Ex his invicte demonstratur Christum, qui Deus dicitur, vere natura atque substantia Deum esse; tum quia singulari numero, tum quia simpliciter & absolute sine ulla restrictione ac limitatione Deus appellatur.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex natura Dei, quæ Christo tribuitur in Scripturis.

PRIMUM TESTIMONIUM.

Ex capite 6. Isaiæ v. 1. & seq.

Refert eo loci Propheta se vidisse gloriam Dei: *Vidi*, ait v. 1. *Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum, & ea quæ sub ipso erant replebant Templum*; & cetera quæ de Deo summo intelligenda esse ambigit nemo.

Deus enim ille Deus est exercituum, ad cujus thronum procumbunt Seraphim clamantes, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quæ certe verum ac summum Deum indicant.

Porro ex ipso sancto Joanne cap. 12. v. 39. Christus ille ipse est cujus gloriam vidit Isaias, *Hæc dixit Isaias*, inquit S. Evangelista, *quando vidit gloriam ejus & locutus est de eo*, nempe Christo.

SECUNDUM TESTIMONIUM.

Ex capite 10. *S. Joannis versu* 30.

Decretorium plane est argumentum quod hic petitur ex perfecta unitate qua Filius seu Christus unum quid esse dicitur cum Patre. *Ego & Pater*, ait Christus Joan 10. v. 30. *unum sumus*: & v. 38. *Pater in me est, & ego in Patre*. Aut verbis nativa & recepta significatio detrahenda, aut quæ mox relata sunt, perfectam demonstrant Filii cum Patre unitatem identitatis & substantiæ, quæ consubstantialitas vocatur.

Ex illa perfecta Christi cum Patre substantiæ unitate ac identitate, Christus Judæis demonstrabat se eadem prorsus operari quæ Pater. Joan. 5. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*. Unde identitatem naturæ ac essentiæ nexu tam necessario fluere intelligebant Judæi, ut propterea Christum tanquam blasphemum ad mortem quærerent. *Propterea*, inquit S. Joannes ibidem v. 18. *magis quærebant eum Judæi interficere, quia non solum solvebat sabbatum, sed & Patrem suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo*. Quam Judæorum mentem tantum abest ut Christus corrigat, quin confirmat magis variis argumentis, tum ab æqualitate vitæ seu essentiæ viventis, v. 26. *sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semeptipso*: tum ab æqualitate operationis, v 19. *Quæcumque fecerit*, (Pater) *hæc & Filius similiter facit*: tum ab æqualitate honoris & cultus soli Deo debiti, v. 23. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium,*

sicut

sicut honorificant Patrem. Ergo Filius perfecta gaudet cum Patre naturæ æqualitate seu consubstantialitate.

TERTIUM TESTIMONIUM.

Ex his verbis Apostoli ad Philipp. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei esset*, (Christus) *non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

Ex quibus verbis egregium pro Christi divinitate argumentum deducitur.

I. quidem sic: Ille vere Deus est, qui est *in forma*, hoc est in natura Dei, quique non arbitratur rapinam esse, id est, rem a se alienam & externam, quod sit Deo æqualis: atqui, ipso pronuntiante Apostolo, talis est Christus; ergo Christus verus Deus est natura atque substantia. Hanc ex hocce testimonio probationem hic non attingimus, de qua sectione 3. De una præexistentia Christi hic loquimur.

II. Qui cum esset in forma Dei semetipsum exinanivit formam servi accipiens, is prius fuit in forma Dei, quam in forma servi: atqui cum Christus esset in forma Dei, semetipsum exinanivit formam servi accipiens, ergo prius fuit in forma Dei, quam in forma servi.

TER-

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex attributis divinis quæ de Christo prædicantur.

Effatum est apud Philosophos receptissimum, proprietates esse naturæ indices.

Probatur itaque Christi divinitas percurrendo præcipua Dei attributa, quæ Christo maxime propria sunt.

Æternitas. Apocal. 1. v. 8. *Ego sum alpha & omega, principium & finis, qui est, qui erat & qui venturus est.*

Hebr. 13. v. 8. *Jesus Christus heri, hodie; & ipse in sæcula.*

Omnipotentia. Apoc. 1. *Ego sum primus & novissimus, qui est, & qui erat, & qui venturus est omnipotens.* Idem repetitur c. 11. v. 17.

Hebr. 1. v. 3. *Portans omnia verbo virtutis suæ.*

Et Coloss. 1. v. 16. *Omnia per ipsum & in ipso creata sunt.*

Omniscientia. Joan. 12. v. 17. *Domine, tu omnia nosti.*

Coloss. 2. v. 3. *In quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi.*

Immutabilitas denique. Heb. 1. v. 12. *Opera manuum tuarum sunt Cœli: Ipsi peribunt... tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.*

QUARTUM ARGUMENTUM.

Ex operationibus Dei quæ sunt Christo communes.

Joan. 5. v. 17. *Pater meus*, ait Christus, *usque modo operatur, & ego operor.* & v. 19.

Qua-

Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Generalis est illa Christi propositio, spectatque tum rerum creationem, tum reparationem & salutem humani generis.

I. rerum omnium creatio & conservatio Christo tribuitur. Colos. 1. v. 16. *Quoniam in ipso condita sunt universa in Cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum & in ipso creata sunt.* Non poterat Apostolus verbis apertioribus & significatioribus dogma nostrum Catholicum confirmare.

II. Christum gratiæ auctorem esse, redemptionis ac justitiæ nostræ, omnes novi Testamenti paginæ loquuntur: 1. ad Timoth. 2. v. 5. & 6. *Unus mediator Dei & hominum Christus Jesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.*

QUINTUM ARGUMENTUM.

Ex cultu soli Deo debito, & qui Christo exhibetur.

I. Nihil est quod in Scripturis sæpius ac disertius exprimatur, quam Deum solum esse adorandum. Deuteronomii 6. v. 13. hoc primum ac summum præceptum imponitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ita Matth. 4. v. 10.

Atqui quilibet religiosus cultus etiam latriæ seu adorationis, & externus & internus, Christo Domino nostro debitus est, ac semper impensus. Joan. 5. v. 22. *Pater omne judicium dedit Filio, ut omnes honorificent Filium sicut honorificant Patrem.* Audis parem honorem seu cultum Filio, sicut & Patri exhibendum esse.

II. ut in Deum credimus, sic oportet credere in Christum. Joan. 14. v. 1. *Creditis in Deum, & in me credite.*

III. in Christo pariter spem seu fiduciam omnem collocare debemus. 1. ad Tim. 1. v. 1. *Paulus Apostolus Jesu Christi &c. Spei nostræ.* Porro Jeremiæ 17. v. dicitur, *Maledictus homo qui confidit in homine.*

IV. Dei cultus in charitate potissimum positus est: at quomodo Deum diligere necesse est, sic & Christum Joan. 14. v. 23. *Si quis diligit me*, inquit Christus, *Pater meus diliget eum.*

V. certum est Deum solum invocari posse ut gratiæ auctorem; porro a Christo directe gratiam, ceteraque dona cœlestia suppliciter efflagitamus. Act. 9. v. 14. & 1. Cor. 1. v. 42. ergo Christus merus homo non est, sed Deus.

Solvuntur Objectiones.

Hactenus Scripturæ loca quibus Christi divinitas apertissime confirmatur, adversus Socinianos exposuimus: solvendæ jam nobis supersunt objectiones quas ex iisdem Scripturis adversus capitale istud fidei ac Religionis nostræ dogma contorquere solent.

Solvuntur Objectiones Socinianorum ex Scripturis.

Inter Socinianos Crellius præsertim omnes fere quæ adversus mysterium sanctissimæ Trinitatis difficultates proponi possunt, sive ex Scripturis, sive ex humana ratione, duobus integris Libris collegit ac complexus est. Quas ex humana ratione deprompsit, supra, ubi de trinitate personarum in Deo, exposui-

fuimus ac diluimus; supereſt igitur ut eas hic expendamus ac ſolvamus, quas ex ſacris Codicibus eruit.

Objicit itaque 1. Solus Patér per excluſionem Filii & Spiritus ſancti Deus in Scripturis dicitur. Joan. 17. v. 3. *Hæc eſt vita æterna*, inquit Chriſtus, *ut cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum*. Ibi de Patre dicitur quod ſolus ſit verus Deus; ergo. Ea quippe eſt, ait Crellius, vis excluſivæ, *ſolus*, ut omnes alios excludat a communione prædicati; præter eum cui apponitur: is vero cui apponitur vox, *ſolus*, eſt Pater Jeſu Chriſti; unde vox, *ſolus*, excludit a communione hujus prædicati omnes præter Patrem, ac conſequenter Filium & Spiritum ſanctum.

Reſp. 1. negamus quod Crellius tanquam certum ſupponit, nempe excluſivam, *ſolum*, connecti debere cum antecedente pronomine, *te*, quo Pater deſignatur: connecti quippe debet cum ſequente adjectivo nomine, *verum Deum*, ita ut ſenſus ſit: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum, qui ſolus eſt verus Deus*. Favet textus græcus: namque inter vocem, *ſolum*, &, *verum Deum*, articulus interponitur, cujus interpoſitu excluſiva, *ſolus*, disjungitur a pronomine, *te*, & jungitur cum nomine ſubſtantivo, *verum Deum*; neque enim temere ac caſu articulum illum interpoſuit auctor ſacer divinitus inſpiratus. Sic legimus in textu græco, σὲ τὸν μόνον ἀληθινὸν θεὸν; *te illum ſolum verum Deum*. Hoc autem ſuppoſito funditus ruit Crellii objectio; ex eo enim quod Pater ſit ille Deus qui ſolus eſt verus Deus, non continuo ac neceſſario conſequens eſt ut Filius

non sit verus Deus : aliud enim est Patrem solum esse divinitate præditum, aliud esse præditum ea divinitate quæ sola vera est divinitas.

Resp. 2. dato & non concesso particulam exclusivam, *solum* Patrem ipsum afficere, non tamen inde merito inferri potest, Filium & Spiritum sanctum excludi a communione prædicati veri Dei ; excluduntur enim duntaxat personæ alienæ & extraneæ, id est, falsi Gentilium dii, non illæ quæ Deo internæ sunt, ejusdem prorsus cum Patre substantiæ.

Quod vero exclusivæ particulæ vis ea non sit, ut omnes etiam coæquales personas excludat, multis demonstrari potest Scripturæ testimoniis. Lucæ 9. v. 35. & 36. vox facta est de nube dicens: *Hic est Filius meus dilectus, ipsum audite: & dum fieret vox, inventus est Jesus solus.* Aderant tamen Petrus, Joannes & Jacobus. Solus ergo dicitur, quia non apparuere tunc Moyses & Elias. Joan. 16. v. 32. cum dixisset Christus discipulis suis: *Me solum reliquistis*, statim subjungit, *& non sum solus, quia Pater mecum est.* Quemadmodum igitur Filius dicitur relictus solus, & non solus, solus respectu discipulorum, non solus respectu Patris; ita Pater dicitur verus Deus solus, & non solus, solus idolorum respectu, non solus respectu Filii & Spiritus sancti & Matth. 11. v. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.* An idcirco Pater & Filius a sua ipsorum cognitione excluduntur? Exclusiva igitur, *solus*, Patri adjuncta personas duntaxat a Patre alienas & sejunctas excludit, falsos scilicet deos, non eas quæ

cum

cum ipso unius & ejusdem sunt naturæ: quo sensu Deuteronomii 32. v. 12. dicitur, *Dominus solus dux ejus fuit, & non erat cum eo deus alienus.*

Resp. 3. quod si vox, *solus*, Patri affixa excludat a prædicato, *veri Dei*, Filium necesse sit Socinianos fateri, Filium non esse verum Deum: istud tamen apertissime negant; profitentur enim, ut antea vidimus ex Socino & Crellio, se agnoscere Christum tanquam verum Deum, (non quidem natura & substantia, sed gratia & adoptione) qua nominis æquivocatione nobis turpiter illudunt.

Huic responsioni triplici addi & alia potest communis & pervulgata, nempe Patrem solum Deum appellari, non quod excludantur Filius & Spiritus sanctus, sed quia Pater est fons & origo totius divinitatis, & Deus, ut vocant, a se, quia nullo procedit, & a quo procedunt aliæ duæ divinæ personæ.

Objicit 2. 1. Cor. 8. v. 4. 5. 6. & 7. *Scimus*, ait Apostolus, *quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi unus. Nam etsi sunt qui dicantur dii, sive in Cœlo sive in terra (siquidem sunt dii multi & domini multi) nobis tamen unus, Deus, Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus Jesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Quo in loco, ait Crellius, Paulus explicans quis sit ille unus Deus, simpliciter dicit esse Patrem, non Patrem, & Filium & Spiritum sanctum.

Resp. Patrem ab Apostolo unum Deum appellari, per exclusionem falsorum deorum, quos eo loci vero & summo Deo Apostolus opponit, ut ex ipsa textus lectione mani-

festum est. Et vero cum Apostolus Patrem appellat *solum verum Deum*, non magis excludere voluit a consortio divinitatis Filium & Spiritum sanctum, quam, cum ibidem Christum appellat *unum Dominum*, voluit excludere Patrem. At non dicent procul dubio Sociniani, Apostoli mentem fuisse excludere Patrem tanquam Dominum, cum dixit Christum esse *unum Dominum*.

Ratio autem qua, juxta S. Chrysostomum, Hom. 20. in priorem Epistolam ad Cor. ductus est S. Paulus ut Patrem solum Deum diceret, ista fuit, quia Corinthiis nuper a gentili superstitione conversis loquebatur, ac timebat, ne si plures in Deo personas distincte proposuisset, plures illi deos excogitassent, ac se ad priorem, unde recesserant, superstitionem delapsos esse arbitrati fuissent. Itaque prudentiæ fuit Apostoli, ut illis tanquam infantibus lac doctrinæ propinaret, non solidiores cibos, sicut loquitur ipsemet Paulus in eadem Epistola c. 3. v. 1. & 2. id est, ea summa Religionis capita quæ captu difficillima sunt, ac firmissimam exigunt fidem, nonnisi obscure proponeret.

Objicit 3. ea Scripturæ testimonia quæ Christo Domino ea denegare videntur, quæ vero Deo denegari non possunt.

I. Matth. 24. v. 36. Christus ignorat diem ultimi Judicii *De die autem illa & hora nemo scit, neque Angeli Cœlorum, nisi solus Pater*. Idem legitur apud S. Marcum c. 13. v. 32. *De die autem illo vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius, nisi Pater*.

II. Solus Pater bonus dicitur, excluso Filio. Matth. 19. v. 17. *Quid me interrogas de bono? unus bonus Deus*, & Marci 10. v. 18.

Quid

Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi solus Deus.

III. Christus plenam non habet in res omnes potestatem. Matt. 20. v. 23. *Sedere ad dextram & sinistram non est meum dare.*

Resp. ad primum; rerum omnium scientiam Christum habuisse tam disertis testimoniis supra ostensum est, ut mirum videri debeat qua ratione a Socinianis negari possit. Quomodo diem ultimi Judicii potuit ignorare, qui constitutus a Deo est Judex vivorum & mortuorum, per quem *Deus fecit omnia sæcula*, Hebr. 1. v. 2. qui omnes illius diei circumstantias novit; horam, Lucæ 17. locum, Matth. 24. signa & causas, Lucæ 21. Ad hæc attendens S. Ambrosius Lib. 5. de fide c. 16. n. 204. *Quomodo*, inquiebat *nescivit Judicii diem, qui horam Judicii, & locum & signa expressit & causas?* T. 2. p. 581.

Omissa nonnullorum Veterum solutione, qui respondent aut textum S. Matthæi ab Arianis interpolatum fuisse, aut ignorantiam illam cadere in Christum quatenus homo est, non quatenus Deus,

Dico longe probabilius esse, ac modo loquendi Scripturæ magis accommodatum, quod reponit S. Augustinus Lib. 83. quæstionum, quæstione 60. Christum scilicet diem Judicii hoc sensu ignorare, quia ignorantes nos facit, seu non aperit nobis nec revelat; in phrasi quippe Scripturæ, Deus rem aliquam cognoscere primum dicitur, quando eam aliis manifestam facit. V. g. Genes. 22. ad Abraham dicit: *Nunc cognovi quod timeas Dominum.* An ignorabat antea? non certe: sed fidem illam aperto & publico experimento nondum comprobaverat. T. 6. p. 33.

Ita pariter Christus diem ultimi Judicii fingitur ignorare, quia illum nobis non aperit nec manifestat. Audiendus S. August. loco mox indicato: *Quod dictum est, nescire Filium, sic dictum est, quia facit nescire homines, id est, non prodit eis quod inutiliter scirent.*

At, inquies, hoc sensu non tantum Filius, sed & Pater Judicii diem ignorare dici potest, qui eum non revelat nec manifestat. Non ita est: quia nempe Pater per semetipsum immediate non loquitur nobis, nec quidquam manifestat, sed per Filium suum. *Multifariam, multisque modis*, ait Apostolus Heb. 1. v. 1. *olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Ergo non Pater, sed Filius ignorare id dici potest, quod non aperit. Diem autem Judicii sapienter omnino nos ignorare vult, ut nimirum vigiles semper & arrecti, ac in bonis operibus ferventes simus. *Expectatio quippe perpetua ferventiores ad pietatem facit, cognitio negligentes*, ait sanctus Basilius L. 4. contra Eunomium. T. 2. p. 290.

Ad secundum: Tacite eo loci Christus adolescentem carpit ac informat qui cum existimaret Christum esse purum hominem, eum tamen appellabat bonum; quasi diceret: Me Deum non putas, & tamen bonum dicis; solus enim Deus per excellentiam bonus est; ergo vel bonum me non appella, vel Deum me esse crede. Ita S. Augustinus Lib. 3. contra Maximinum c. 23. & S. Ambrosius L. 1. de fide cap. 1.

Ad tertium: Declarat ipsemet Christus, sibi datam esse omnem potestatem: *Omnis potestas*, inquit Matth. 28. v. 18. *data est mihi*

in

in Cœlo & in terra; ad mentem igitur interrogantium respondet, suum non esse eas sedes distribuere, quas postulabant filii Zebedæi. Petebant illi a Christo, tanquam ab homine sibi affinitate sanguinis conjuncto & affectu quodam carnali, ut concederet sedes illas cœlestes: quibus merito respondet, suum non esse, eo modo quo illi cogitabant, sedes illas distribuere; simulque tacite illos admonet, prius bibendum ipsis tribulationum calicem, quam sedes illas assequantur.

Objicit 4. multa in Scripturis de Christo dici, quæ de vero summo Deo affirmari non possunt.

I. Christus factus & creatus dicitur. Proverb. 8. v. 22. *Dominus creavit me in initio viarum suarum*. Sapientia ipsa loquitur, quam SS. Patres ajunt esse ipsummet Christum, seu Sapientiam incarnatam. Joan. 1. v. 15. Joannes ait: *Qui post me venturus est, ante me factus est*. Denique Coloss. 1. v. 15. *primogenitus* dicitur *omnis creaturæ*.

II. Christus Deo Patre minor est ac inferior, cujus mandata observare tenetur. Joan. 14. v. 28. *Vado ad Patrem, quia Pater major me est*. 1. Cor. 15. v. 28. *Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse subjectus erit ei*.

III. denique Christus Dei Filius dicitur, hominum Mediator, Sacerdos, homo, filius hominis. Ista porro de Deo uno & summo nullatenus dici possunt.

Resp. ad primum: Christus factus & creatus dicitur, secundum naturam humanam, concedo: secundum naturam divinam, subdistinguo: factus & creatus, id est, genitus: concedo: id est, e nihilo eductus, nego.

Cum ergo in Christo duplex sit natura, simul creatus & increatus, factus & non factus dici potest: factus & creatus quatenus homo; nec factus, nec creatus, sed solummodo genitus, quatenus natura divina præditus.

Atque ut paucis testimonia objecta sigillatim solvamus.

Prov. 8. & Eccli. 14. verbum *creare*, improprie sumitur, & idem est quod generare. Apud Græcos enim *creare* & *gignere* promiscue sumitur, ut constat ex Psalm. 89. v. 2. & c. 32. v. 18. Deuteronomii, ubi apud Septuaginta idem verbum græcum γίνομαι *sum*, vel, *gignor*, usurpatur ad generationem perinde ac creationem significandam. Quin etiam & apud Latinos non raro *creare* ac *generare* promiscue ad idem significandum sumitur, ut observant S. Hieronymus in caput 4. Epist. ad Ephes. & S. Augustinus Lib. de fide & Symbolo.

Joannis 1. Christus ante Joannem factus *dicitur*, id est, ipsi Joanni præpositus seu prælatus; cujus quidem prælationis causa & ratio statim ibidem redditur, *quia prior me erat*; id est, quia æternitate prior, idcirco & dignitate me præstantior, *cujus non sum dignus ut solvam ejus corrigiam calceamenti*, ut ait ibidem v. 27. S. Joannes. Ita locum hunc exponit S. Ambrosius Lib. 3. de fide.

Coloss. 1. Christus revera primogenitus appellatur omnis creaturæ, non quidem ratione creationis & ordinis, quasi ipse creatura foret, sed ratione dignitatis & causalitatis, quia reipsa ante omnes creaturas ab æterno conditus fuit, quarum ipse causa est atque principium: *Omnia per ipsum facta sunt*. Hanc esse mentem Apostoli demonstrant verba

ba versus 18. *Ut sit*, inquit, *in omnibus ipse primatum tenens*, & v. 6. *Primogenitus omnis creaturæ, quoniam in ipso condita sunt universa in cœlis & in terra.*

Ad secundum objectionis caput respondeo, Patrem Filio majorem esse ratione humanitatis, non vero divinæ essentiæ: *Ego enim & Pater unum sumus*, ait ipse Christus. Solutio manifesta fit ex scopo ipso seu instituto Christi loco qui objicitur. Discipulos nimirum ob proximum suum e terris discessum tristes consolatur, isto potissimum motivo, quod rediturus esset ad Patrem, & gloriam ipsius recipiendus, unde gaudere magis, quam tristari deberent. Ea ipsa autem ratione Patrem se majorem dicit, qua erat ad ipsum rediturus, ratione scilicet assumptæ humanitatis, non autem divinæ naturæ, quam semper unam numero cum Patre retinuit: *Pater in me est & ego in Patre.*

Hoc ipso sensu, ratione scilicet humanitatis assumptæ, Christus Patri subditus est, ejusque præcepta ex vera obedientia exequitur: sic autem ea exequitur, ut significet liberum sibi esse, si vellet, ea non observare, quæ nonnisi volens ac lubens acceptavit. *Nemo tollit animam meam a me*, inquit Joan. 10. v. 18. *sed ego pono eam a me ipso; & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Aperte duplex in Christo natura hic distinguitur; quæ distinctio præ oculis haberi semper debet, ut ea diluantur & exponantur quæ in speciem divinæ Christi naturæ adversari videntur. *Pia mens*, T. 2. P. 571. ait S. Ambrosius L. 5. de fide c. 8. n. 115. *quæ leguntur secundum carnem divinitatemque*

distinguit: sacrilega confundit, & ad divinitatis detorquet injuriam, quidquid secundum humilitatem carnis est dictum.

Ad tertium Objectionis caput, solutio patet ex ante dictis. Recte Christus Filius Dei dicitur & est, *ex utero ante luciferum genitus*: generatio quippe in personam ipsam seu suppositum cadit, non in naturam. Cum ergo una sit in Christo persona, recte Christus Dei Filius dicitur; propter humanam autem naturam, dicitur Sacerdos, Mediator, Filius hominis, nec in his omnibus ulla occurrit contradictio vel imperfectio.

Objicit 5. Christus alloquens Judæos Joan. 10. innuit se non alia ratione dici *Filium Dei*, quam Judices & Prophetæ olim dicti sunt *dii*: *Respondit eis Jesus*, inquit S. Evangelista v. 34. *Nonne scriptum est in Lege vestra, quia Ego dixi, Dii estis? Si illos dixit deos ad quos sermo Dei factus est: quem Pater sanctificavit & misit in mundum, vos dicitis, Quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum.*

Quo in loco Christus colligit se merito *Filium Dei* dicere potuisse, quia ii ad quos sermo Dei factus est, *dii* vocati sunt. Ergo non alia ratione se dicebat *Filium Dei*, quam Judices & Prophetæ dicti sunt dii: porro Judices ac Prophetæ non proprie & ex natura, sed figurate duntaxat ac metaphorice *dii* appellati sunt.

Resp. Christum eo loci probare, non quidem a pari, ut volunt Sociniani, sed a minori ad majus, non immerito se *Filium Dei* dicere potuisse; ita ut verborum Christi sensus sit iste: Si Judices & Prophetæ aliique majores & excelsi apud vos & in libris vestris dii appellantur, quanto magis possum dici

Deus,

Deus, cum a Patre fuerim sanctificatus eximia quadam ac substantiali sanctitate, atque ab eodem missus ad vitam æternam hominibus largiendam? Hac autem semel posita expositione funditus ruit Socinianorum objectio.

Imo nullus ferme extat Scripturæ locus ex quo validius firmari possit Christi divinitas. Namque 1. ibidem v. 28. Christus asserit se vitam æternam dare ovibus suis: porro id soli Deo eximium est.

2. versu 3. *Ego*, inquit, *& Pater unum sumus*: atque ex ea unitate infert se eadem potestate præditum esse cum Patre. Porro si eadem est potestas Patris & Filii, una est utriusque natura; potestas quippe Dei ab ejus essentia non differt.

3. verba hæc adeo clara erant, ut cum audirent Judæi Christum asserentem se unum esse cum Patre, lapidibus illum obruere voluerunt, propter unitatem scilicet essentiæ ac potestatis, quam in eorum opinione, Christus non sine blasphemia sibi arrogabat. *Non lapidamus te*, inquiebant versu 33. *de bono opere, sed de blasphemia, quia tu cum homo sis, facis teipsum Deum.*

4. hanc Judæorum opinionem non emendat Christus nec corrigit, imo confirmat magis variis argumentis, maxime vero ex operibus suis v. 37. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite.* Porro Christus pro ea qua erat æquitate & indulgentia, dictum suum revocasset, ac Judæorum opinionem tanquam falsam emendasset, si reipsa unus non esset natura & essentia cum Patre Deus, quomodo intelligebant Judæi, unde offensi & scandalizati fuerant,

Ob-

Objicit 6. illud Joan. 17. v. 11. ubi Christus pro suis discipulis orat his verbis: *Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos.* Ex quo sic arguit: Christus postulat pro discipulis suis eandem unitatem quam ipse habebat cum Patre suo: atqui non postulat pro ipsis unitate in essentia, quæ nimirum erat impossibilis; ergo non habebat unitatem in essentia cum Patre suo.

Resp. dist. maj. postulat eandem unitatem secundum quid, id est, unitatem concordiæ & consensus, cujus capaces duntaxat illi erant, concedo: eandem unitatem simpliciter, in natura scilicet & essentia, quæ quidem unitas clare exprimitur in adductis supra inter probationes testimoniis, nego.

Eo scilicet modo ac sensu Christus loco citato rogat a Patre pro suis discipulis unitatem seu unionem, quo Matth. 5. v. 48. iisdem præscribit, *ut sint perfecti, sicut & Pater cœlestis perfectus est.* Porro ibi eam duntaxat perfectionem ab illis exigit, ad quam aspirare homo mortalis potest pro tenuitate ac infirmitate humanæ conditionis; pariter igitur eam duntaxat pro iis unitatem seu unionem a Patre postulat cujus illi capaces erant, concordiæ nimirum charitatis & consensus.

Paulo fusius hactenus immorati sumus in evolvendis Scripturæ testimoniis quibus abutuntur Sociniani ad convellendam Christi Domini divinitatem, quæ fidei ac totius Religionis nostræ caput est ac fundamentum; nunc idem dogma ex constanti ac perpetua totius Ecclesiæ Traditione vindicandum.

SE-

SECTIO SECUNDA.

Asseritur Christi divinitas, ipsiusque cum Patre æterno consubstantialitas, ex constanti ac perpetua totius Ecclesiæ Traditione.

Methodi ac perspicuitatis causa hic sigillatim expendemus 1. quid senserint circa Verbi divinitatem Patres Antenicæni, sive Græci, sive Latini; 2. quid in præsenti quæstione definierit Concilium Nicænum I. 3. tandem quid senserint Patres qui post Nicænam primam Synodum floruerunt. Ac ne lectoris distrahatur animus; ad unum quodque SS. Patrum testimonium ea subnectemus, quæ ab adversariis ex eodem sancto Patre catholicis objici solent; atque ita & probationes & objectiones ex Traditione depromptæ in unum simul collectæ reperientur. Tria hæc capita distinctis Articulis discutiemus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid de Verbi divinitate senserint Patres Antenicæni, sive Græci, sive Latini.

ANtequam ad Traditionem accedamus, nonnulla sunt observanda.

Primum est, consentire inter se omnes Socinianos in recusanda Traditionum auctoritate; dissentire vero ab invicem, in ejusdem agnoscenda veritate circa præsens SS. Trinitatis argumentum. Aliqui enim cum Matthæo Radecio ajunt, post ipsos Apostolos plenam defectionem in Ecclesia statim contigisse; sublatumque ex eo tempore fundamentum, cum videlicet catholicum Trinita-

nitatis dogma (quod ipse erroneum impie credit) jam tum universim obtinuerint; alii e contra cum Socino in sua 2. ad Radecium Epistola quæ extat Tom. 1. Operum ipsius, volunt Trinitatis dogma ignotum fuisse ante Concilium Nicænum, a quo in fide fuit innovatum; *Quod liquet*, inquit ille, *ex omnium qui tunc extiterunt, Scriptis*. Quanquam idem Socinus, parum sibi, ut solet, constans, in Epistola 3. ad eundem Radecium, fatetur ab ipso ferme nascentis Ecclesiæ exordio tot viros non minus pietate quam doctrina clarissimos, tot Christi sanctissimos Martyres errorem illum gravissimum secutos fuisse, Christum nempe unum illum esse ac summum Deum, qui omnia creavit.

Pag. 374

Secundum est, Juriæum verbi divini pseudoministrum Rotherodami: non ita pridem scribere ausum fuisse in sexta Pastorali Epistola an. 1689. SS. Trinitatis fidem ad Concilium usque Nicænum, imo & Constantinopolitanum, informem fuisse ac plane imperfectam. Hunc pari eloquentia & eruditione invicte premit Illustrissimus Bossuetius Episcopus Meldensis, in sexta ad Protestantes Admonitione.

Tertium est, nonnullos etiam e nostris in quamplures Antenicænos Patres minus æquos ac propensos, ut Petavius, Huetius, existimasse Trinitatis dogmati adversatos illos fuisse. *Nonnulli Veterum*, ait Petavius Tom. 2. Lib. I. de Trinitate cap. 5. n. 7. *Filium a supremo Deo, ac Patre productum esse dixerunt, cum hanc rerum universitatem moliri statuit, ut illum velut administrum adhiberet. Quam sententiam alii clarius, obscurius alii significant; sed isti fere, Athenagoras, Tatianus,*

T. 2. Pag. 30.

Theo-

Theophilus, Tertullianus, & Lactantius: Tam ii vero, quam reliqui, ævo, dignitate ac potentia superiorem esse Verbo Patrem arbitrati sunt ∴. nec minus, quam creaturas, initium habuisse, hoc est minime ex æterno distinctam hypostasim fuisse putarunt. Idem fere repetit eodem Libro cap. 8. n. 2. In eumdem fere cum Petavio sensum conspirat Illustrissimus Huetius, Origenianorum L. 2. c. 2. quæst. 2. n. 10. pag. 42

Sententiæ suæ asperitatem subinde temperavit ac emollivit doctissimus Petavius in Præfatione ejusdem Tomi II. cap. 1. n. 12.

Momentum istud fuse ac erudite prosecutus est Bullus Presbyter Anglicanus in Libro cui titulus, *Defensio fidei Nicænæ*, qui tamen caute legendus est; nonnunquam enim, quasi aliud agens, nonnulla Ecclesiæ suæ erronea interserit.

Summa dexteritate, eruditione ac eloquentia abstrusissimum istud de SS. Trinitate mysterium sanctosque Patres evolvit, a nobis non semel laudatus nec satis laudandus Illustrissimus Bossuetius Meldensis Episcopus, in sexta ad Protestantes Admonitione. His præsuppositis sit

CONCLUSIO.

Constans ac perpetua ab Apostolis & a SS. Patribus usque ad Concilium Nicænum defluxit Traditio de Verbi divinitate, ac ipsius cum Patre æterno consubstantialitate.

Conclusionem hanc demonstrabimus, 1. ex SS. Patribus Græcis; 2. ex SS. Patribus Latinis.

Pro-

Probatur 1. ex SS. Patribus Græcis.

Sanctus Ignatius.

Obiit anno 108. Imperii Trajani 10.

S. Ignatius vir apostolicus & martyr, in Antiochena Sede sancti Petri successor, Christi divinitatem sæpius adstruit. Epist. ad Ephesios: *Nihil latet*, inquit, *Dominum, sed & arcana nostra prope ipsum sunt. Omnia igitur faciamus, sicut ipso in nobis habitante, ut illius simus templa, & ipse sit in nobis Deus noster.* In eadem Epistola sic Christum describit: *Unus medicus est, carnalis & spiritualis, genitus & ingenitus, in carne factus Deus, in morte vita vera, & ex Maria & ex Deo; primo passibilis & tunc impassibilis*; quem Ignatii locum citat Theodoretus Dialogo primo, & S. Athanasius Lib. de Synodis. Denique Epist. ad Magnesios Verbi divini æternam generationem expresse docet: *Deus unus est*, inquit, *qui manifestavit seipsum per Jesum Christum filium ipsius, qui est ipsius Verbum æternum non a silentio progrediens.*

Edit. Cotel. p. 857.

Tom. 4. pag. 341

To. 1. p. 751.

Sanctus Polycarpus.

Ob. an. 167.

Sanctus Polycarpus Ignatii discipulus & Episcopus Smyrnensis, & cum illo tota Smyrnensis Ecclesia, in ea celebri Epistola quam de martyrio S. Polycarpi scripsit ad Ecclesias Ponti, apud Euseb. Lib. 4. Hist. cap 15. communis fidei circa mysterium SS. Trinitatis & Filii divinitatem testis est egregius. Sic enim paulo ante mortem inducitur Deum rogans Polycarpus: *Pater unigeniti & benedicti Filii tui Jesu Christi, per quem tui notitiam accepimus . . . benedico te qui me in hunc*

pag. 133

diem

diem perducere dignatus es, ut partem caperem in consortio martyrum & in calice Christi tui, in resurrectionem vitæ æternæ animæ simul & corporis, in incorruptione Spiritus sancti ... Quamobrem de omnibus te laudo, te benedico, te glorifico per sempiternum Pontificem Jesum Christum unigenitum Filium tuum, per quem tibi una cum ipso in Spiritu sancto gloria nunc & in sæcula sæculorum.

Quo in testimonio habes 1. tres divinas personas eadem gloria honorandas, edeoque inter se plane coæquales; 2. Jesum Christum esse Filium Dei unigenitum, ac sempiternum Pontificem, adeoque vere Deum, ab æterno ex substantia Patris genitum. Nonnulla alia ex S. Polycarpo adducere promptum foret, tum ex Epistola ipsius ac Philippenses, tum ex fragmentis quibusdam quæ extant Tom. 1. Bibliot. Patrum p. 106. in quibus Christus Deus agnoscitur & prædicatur.

Sanctus Justinus.

S. Justinus Philosophus & Martyr 1. Verbi divini generationem diserte exprimit Apologia 1. his verbis: *Porro Filius ejus, qui solus proprie dicitur Filius, Verbum, simul cum illo ante creaturas & existens, & nascens, quoniam primitus per eum cuncta condidit & ornavit.* Vides Dei ibi Filium, Verbum primitus ante creaturas omnes genitum, & proprie Filium esse ac dici. Ob. an. 161. Pag. 44.

2. Apologia 2. *Cum Verbum*, inquit, *primogenitus Dei sit, Deus etiam est* Superius dixerat: *Jesus Christus, unus & solus proprie Filius Deo genitus est, qui nimirum ratio & verbum ejus & primogenitus & virtus est.* Pag. 96. Pag. 68.

3. Eun-

3. Eundem Filium seu Christum vere Deum esse Patri coæqualem & ejusdem plane naturæ, probat Dialogo cum Tryphone, ubi prolixe ostendit Christum in veteris Testamenti Scripturis *Deum & Dominum*, *Dominum virtutum*, *Israelis Deum* appellari; illum esse qui Abrahamo, Moysi & Patriarchis apparuit, quem illi tanquam Deum suum adorarunt, quique nomine tetragmato a Spiritu sancto nuncupatur. Quin & ea Scripturæ testimonia, maxime Psalmorum, quæ de Deo summo & vero dicuntur, Christo convenire ostendit, quale istud est Davidis, *Thronus tuus, o Deus, in sæculum sæculi*. Et postea sic Judæos perstringit: *Si dicta Prophetarum intellexissetis, non inficiati essetis ipsum esse Deum, singularis & ingeniti ineffabilisque Dei Filium*. Plura omitto.

pag. 286 & 287.

pag. 355

Denique Apologia 2. refert a Gentilibus pro insanis habitos fuisse Christianos, quod hominem crucifixum adorarent: cui calumniæ nullus locus fuisset, eamque facillime diluissent Christiani, si Christum ut purum hominem Deo inferiorem coluissent. Adde quod S. Justinus, qui totus est ut contra Paganos Dei unitatem demonstret, dum plures in Deo personas esse ostendit, haud dubie eas in natura plane coæquales & consubstantiales esse credit: alias nec intentum haberet, nec sibi satis constaret, quam inconstantiam & contradictionem haud dubie non siluissent Pagani.

pag. 60.

Objicies: Multa sunt apud S. Justinum quæ Verbi divinitatem impugnant.

1. Dialogo cum Tryphone pag. 358 ait, Patrem esse causam Filii, seu auctorem ut sic. Ibidem ipsum Filium *alium* numero vocat a Pa-

Patre: & Apolog. 2. pag. 60. ait, Christianos Filium Dei *in secundo loco* habentes, *cum ratione venerari*, & ipsi secundas post incommutabilem & sempiternum Deum ac parentem omnium deferre. Non ergo Filium Dei verum esse ac summum Deum Patri coæqualem agnoscit S. Justinus.

2. S. Justinus Patrem esse invisibilem, Filium vero visibilem statuit, atque id ex professo probat in Dialogo cum Tryphone, ut ex hoc evincat Filium Dei, non vero Patrem veteribus Patriarchis apparuisse; *Non conditor*, inquit, *universitatis hujus Deus is fuit qui Mosi dixit se Deum esse Abrahæ &c.* pag. 83. *Nemo enim*, ut ait ibidem, *auctorem & parentem universi super cœlestia omnia reliquisse, & in pusilla terræ parte sese exhibuisse, dicere ausit.*

3. In eodem Dialogo cum Tryphone, Christum vocat *sententiæ Patris administrum*: pag. 317. si autem administer est; ergo non auctor, adeoque solum Patris instrumentum, quod Ariani contendebant.

4. denique, comparatio deducta tum ex humano verbo, tum ab igne alterum ignem accendente, qua utitur S. Justinus Dialogo cum Tryphone pag. 28. minus apta videtur exponendo Trinitatis mysterio. Namque licet ignis ignem alterum accendat sine ulla sui jactura & imminutione, potest tamen unus ignis extingui, alio non extincto. Similiter verbum humanum non est quid personale ac subsistens, quale Verbum est divinum; comparationes ergo illæ a S. Justino adductæ, fidem ejus suspectam merito reddunt.

Resp. ad singula.

Ad

Ad primum: Pater dicitur Filii causa, non creatione, sed generatione; non prioritate naturæ aut temporis, sed originis. Idem est apud Veteres, Patrem Filii esse causam, ac esse principium. Unde Filius ab illis dicitur habere principium, aliquando etiam dicitur non habere: principium habet originis & processionis, quia est a Patre; principium non habet durationis & temporis, quia est simul cum Patre & ei coæternus. Tam autem apud veteres Antenicænos Patres omni erroris suspicione caret vox illa, *causa*, ut etiam ab ipsis Patribus Nicæno Concilio posterioribus, quibus persuasum fuit Filium vere ac proprie esse Deum, usurpetur, ut a sancto Basilio L. 1. contra Eunomium, sancto Gregorio Nazianzeno Oratione 29. quæ est de dogmate, sancto Joanne Damasceno Lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 5.

Quando Filium numero *alium* a Patre docet Justinus, alium intelligit personа & hypostasi seu numero, quia Pater & Filius duo sunt; non *alium* natura & essentia, quam totam habet a Patre, non vero per recisionem, seu partem substantiæ, ut ibidem ait. Patet hæc solutio ex scopo S. Justini, qui ex professo ibi probat plures esse in Deo personas, non unam multiplici virtute & nomine instructam, ut nonnulli dicebant Hæretici, quos refellit.

Denique Filio secundas partes a Deo adscribit S. Justinus, ratione ordinis & originis, non ratione dignitatis & naturæ divinæ. Filius secunda est SS. Trinitatis persona, quia essentiam suam totam habet a Patre qui a nullo est: dici etiam potest Filium Deo esse *secundum*, ratione humanitatis quam assum-

assumpsit, juxta quam Christus ipse dixit, *Pater major me est.*

Ad secundum: Veterum hæc fuit opinio, Patrem invisibilem esse, Filium vero a multis visum fuisse in veteri Testamento: non quidem hoc sensu, quod filius non habeat naturam divinam, quæ ex se tam est invisibilis quam natura Patris, sæpius enim affirmat sanctus Justinus locis antea citatis, eum qui visus est ab antiquis, Deum esse Israelis; sed quod Filius solus destinatus ad humani generis reparationem Patris legatus & angelus, formam visibilem olim assumpserit; in qua jam tum cum hominibus conversari incipiebat.

Quando igitur S. Justinus probat. Patrem invisibilem esse, quia de loco moveri non potest, neque spatio circumscribi &c. Filium vero visibilem esse, quia & moveri potest & loco circumscribi, attendit unice S. Doctor ad humanam Christi naturam, vel ad eam speciem visibilem in qua olim apparuit, non vero ad divinam quam habet essentiam, ratione cujus æque est motus ac circumscriptionis incapax, ac Pater ipse.

Quod autem ea fit sancti Justini mens ac doctrina loco in objectione adducto, liquet ex ejus scopo. Ipsius siquidem propositum ibi est solummodo probare adversus Judæum Tryphonem, uti & adversus Patripassianos qui personas divinas confundebant, Filium Dei esse in persona distinctum a Patre rerum omnium conditore. Hanc autem personarum distinctionem ut evincat, hoc ferme utitur argumento: Invisibilis distinguitur ab eo qui visibilis est: atqui Pater in Scripturis describitur invisibilis, Filius vero perhibe-

tur

tur visus in terris & cum hominibus conversatus, ergo Pater persona est distincta a Filio.

Ceterum quidquid sit de isto sancti Doctoris ratiocinio, certum est eo usum fuisse tantum ut ostenderet distinctionem personarum Patris & Filii, non distinctionem naturarum; essentiam enim & naturam Patris & Filii eandem omnino; esse clare docet locis inter probationes adductis.

Ad tertium patet solutio ex dictis. Filius dicitur Patris administer, non quidem inferior, neque ut merum instrumentum quo Deus usus fuit ad creandum mundum, ut delirabant Ariani; sed administer ipsi Patri in omnibus æqualis, ac in potestate seu virtute omnino par: nihil quippe operatur Deus sine intelligentia & sapientia, Verbum autem sapientia & intelligentia Patris est subsistens ac personalis. Quapropter si ex Veteribus nonnulli Filium Patris *instrumentum* appellavere; non illi profecto instrumentum externum sejunctum ac separatum intellexerunt, sed internum ac necessitate naturæ conjunctum: *Per ipsum enim omnia facta sunt, & sine ipso factum est nihil.* Joan. 1.

Ad explicandam vero ineffabilem Verbi divini in sinu Patris generationem, usi sunt Veteres quibusdam ex rebus creatis exemplis, v. g. radii, qui a Sole; splendoris, qui a lumine; verbi humani, quod a mente nostra progreditur: imo & ipsimet Patres Nicæni in Symbolo fidei, ajunt Filium esse *Deum de Deo, lumen de lumine*. Absit autem ut sancti illi Doctores omnimodam paritatem ac similitudinem statuere voluerint inter modum quo res illæ creatæ producuntur, & modum quo Filius a Patre generatur. Infinitum in-

inter hæc stare discrimen, non ignorabant SS. illi Doctores; sed his exemplis usi sunt in subsidium infirmitatis nostræ, nempe ut exponerent 1. Patrem fontem esse ac plenitudinem divinitatis, unde Filius ac Spiritus sanctus profluunt seu procedunt, eo fere modo quo lumen a Sole, splendor & calor ab igne, verbum ab intellectu tanquam a principio producitur. 2. Filium ejusdem esse cum Patre a quo est, substantiæ, sicut radius a Sole diffusus natura non discrepat a Sole; 3. Filium a Patre suo divisum ac separatum non esse, nec subsistere, sicut nec radius a Sole, nec splendor ab igne disjungitur; 4. denique, Filium sine sui divisione, alteratione, seu mutatione totum esse a toto, integrum ab integro, æternum ab æterno, quemadmodum Sol absque ulla sui imminutione ac munitione jugi fluxu radios emittit, lumen aliud lumen, ignis calorem ac splendorem producit.

Sanctus Irenæus.

S. Irenæus Lugdunensis Episcopus & martyr, S. Polycarpi discipulus, passim ejusdem doctrinæ testis est ac vindex acerrimus. Ob an. 190.

Lib. 3. cap. 6. docet Filium Dei tam esse verum Deum, quam Patrem, & unicum esse cum Patre Deum; hancque fuisse Christi, Spiritus sancti, & Apostolorum doctrinam. *Neque igitur*, inquit, *Dominus, neque Spiritus sanctus, neque Apostoli, eum, qui non esset Deus, definitive & absolute nominassent aliquando, nisi esset vere Deus; neque Dominum appellassent aliquem ex sua persona, nisi qui dominatur omnium, Deum Patrem & Filium ejus.* Citat ibi illud Psalmi 109. *Dixit* Pag. 180. n. 1.

Dominus Domino meo: tum Psal. 44. *Unxit te Deus, Deus tuus*. Adde quod si S. Irenæus Christum natura & deitate inferiorem existimasset, ut contendunt Sociniani, quomodo reprimere usquam potuisset (quod tamen strenue præstat) Gnosticos, qui plures Deos sibi subordinatos admittebant?

Objicies: S. Irenæus nonnulla affirmat quæ cum Verbi consubstantialitate stare non possunt: 1. Lib. 3. adversus hæreses cap. 8. ait: *Quoniam ipse præcepit & creata sunt* ∴ *Cui ergo præcepit? Verbo scilicet*: quod certe inferioritatem ac dependentiam arguit: unde Lib. 4. cap. 17. Filium & Spiritum sanctum vocat Dei ministros; 2. Lib. 2. cap 49. *Patrem super omnia esse, & Filio majorem*, diserte significat.

Edit. Cotel. 1569. p. 25.

Ib. p. 334.

Ib. p. 207.

Resp. ad primum: Pater Filio imperat, non tanquam inferiori dependenti, sed tanquam æquali, & sine quo nihil facere potest. Id autem data opera contra Gnosticos probat S. Doctor, quod docerent, illi hunc mundum ab inferioribus potestatibus conditum fuisse contra voluntatem supremi Dei. Unde Filius & Spiritus sanctus ministri dicuntur Dei, non quidem extranei & a Deo sejuncti, sed intranei & conjuncti, non ex indigentia ex parte Patris, aut dependentia ex parte Filii, sed ex perfecta eorum æqualitate & necessaria actionis indivisione.

Ad secundum: Pater est super omnia, & major Filio, ratione humanitatis, non ratione divinitatis, nisi saltem propter solam originis prioritatem, quæ majorem in Patre perfectionem non involvit.

Ori-

Origenes.

Origenes Clementis Alexandrini discipulus ejusdemque cum eo circa mysterium SS. Trinitatis fidei assertor fuit. Nemo quidem antiquorum est, cujus fama magis in ambiguo versata fuerit, & doctrina magis variam fortunam experta, de quo tritum illud Cassiodori, *Ubi bene, nemo melius; ubi male, nemo pejus*. Plures ille, sive ex antiquis Patribus, sive ex recentioribus Scriptoribus, defensores habuit, plures etiam adversarios sanctitate & doctrina conspicuos. De Origenis mente ex Origenis Scriptis judicandum, ex iis præcipue quæ indubitata sunt, & malevolorum corruptelæ minus obnoxia fuere, Libros intelligo contra Celsum editos. Ob. an. 254. *Sandius p.* 28. *p.* 98. *& seq.*

Itaque Lib. 1. ubi de Magis loquitur, Christum vocat Deum, cui eo nomine thus ipsi obtulerunt. *Part. 2. p.* 427.

Lib. 3. objicienti Celso quod Christiani Jesum mortali corpore constantem credant esse Deum, respondet Origenes: *Sciant isti criminatores; hunc Jesum quem jam olim Deum Deique Filium esse credimus, ipsum esse Verbum, ipsam veritatem, ipsam sapientiam; ceterum mortale ejus corpus & humanam in eo animam, illius Verbi non solum communicatione, sed etiam unione & permixtione tantum divinitatis assumpsisse ut Deus fieret*. Vides ibi Christum diserte Deum declarari, & factam esse hypostaticam unionem divinitatis cum humanitate. *Ibid. p.* 452.

Lib. 8. objicienti Celso, immerito Ethnicos a Christianis accusari quod plures deos colerent, cum & ipsi Christum pro Deo haberent a Patre distinctum; reponit Origenes,

non pluribus diis servire Christianos, licet Patri & Filio servirent, cum unus & idem Pater & Filius essent, *Unum igitur Deum*, inquit, *Patrem & Filium colimus*. Et ex his Scripturæ locis, *Ego & Pater unum sumus; Pater in me est, & ego in Patre*, unum esse Deum Patrem & Filium demonstrat. Refellit ibidem alium errorem, Christum scilicet non extitisse priusquam ex B. Virgine nasceretur, & contrarium evincit ex illo Jo: 8. *Antequam Abraham fieret ego sum*.

Ibid. p. 520.

Ibid.

Denique ut alia omittam, Lib. 4. aliam Celsi calumniam diluens sic habet: *Adhuc responderi potest distinguendo Verbi divini naturam, qui Deus est, & Jesu animam*. Nihil certe expressius.

pag. 171

Objicies 1. Origenes Lib. 6. contra Celsum, Filium vocat *immediatum mundi opificem*; cui Pater *opifex primarius* jussit ut mundum crearet. Ergo Filius est duntaxat Patris instrumentum, eique subditum.

Lib. p. 301.

2. Idem Lib. 8. contra Celsum, ait nonnullos esse qui Christum esse illum *universorum Deum temere affirmant; quod nos*, inquit, *certe non facimus, qui credimus ipsi dicenti: Pater qui misit me, major me est*.

Ibid. p. 511.

3. Tom. 2. in Joannem, docet Verbum a Deo esse factum atque creatum; & ibidem observat, quoties in græco Scripturæ contextu Dei nomini apponitur articulus ὁ θεὸς: Deum Patrem seu summum Deum designari; cum vero articulus ille non apponitur, Dei Verbum intelligi, & alios qui participatione dii sunt. Addit Deum Patrem esse αὐτοθεὸν, *Deum a se & per se*; secus vero Filium, quem Deum secundum alibi appellat.

Ibid. p. 372. col. 2.

4. Lib. 1, Comment. in Job, ait, tria ce-

Part 1. p. 245.

nua

nua quæ diabolus assumpsit, figuraſſe tres Trinitatis personas. *Tria*, inquit, *cornua fecit diabolus in typum atque figuram trionymæ illius sectæ, triumque deorum hæresis, quæ universum orbem in modum tenebrarum replevit, quæ Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum aliquando tanquam tres colit, nonnumquam unum adorat, quemadmodum Græcorum lingua memoratur, Triada vel Homousion. Istam ergo Trinitatis sectam & hæresim atque infidelitatem jam olim de longe designans versutissimus ille diabolus, tria cornua misit ad Job deprædandum.*

Denique judicio sanctorum Hieronymi & Epiphanii, ad minus suspecta valde debet esse fides Origenis circa Trinitatis mysterium.

Resp. ad singula.

Ad primum: jam supra exponendo mentem S. Irenæi, diximus quo sensu Filius sit Patris minister & instrumentum; quomodo Pater ei aliquid imperat. Consule, ne sæpius eadem repetere cogamur.

Ad secundum: ibi redarguit Origenes Hæreticos Noetianos, qui Filium cum Patre confundebant, unamque esse personam temere affirmabant. Cum igitur ait Filium non esse illum summum Deum, Patris personam intelligit ad mentem Hæreticorum quos impugnat, non Patris naturam & essentiam: cum vero Filium Patre minorem dicit, recto sensu exponendus est, nempe ratione vel humanitatis, vel divinitatis propter solam originis prærogativam qua gaudet Pater, qui est origo totius divinitatis, principium sine principio.

Ad tertium; Verbum ab Origene dicitur aliquando genitum, & aliquando ingenitum,

factum & non factum, creatum & non creatum: verum sano ac recto sensu hæc intelligi possunt. Vario quippe respectu genitum dicitur & ingenitum: genitum, quia habet originis principium; ingenitum, quia nullum habet existentiæ suæ initium, quia semper extitit; factum autem & creatum idem sunt apud Origenem: ac genitum.

Quapropter ab Origene Verbum non dicitur αὐτὸ θεὸς, *Deus a se*, sicut Pater: quare? quia habet sui originem, nempe Patrem: tametsi vox illa, αὐτὸ θεὸς, idem significat apud Origenem, ac, Deus ipse; quo sensu Filius ab eodem appellatur. *ipsa vita, ipsa veritas, ipsa sapientia*, &c.

Ad id quod de articulo voci θεὸς, *Deus*, præfixo notat Origenes, certe legenti Origenis textum Tom. 2. in Joan. videbitur eum hoc unum velle, nempe præfixum articulum designare tum Patrem esse veram personam a Filio distinctam, tum eum esse totius divinitatis fontem & originem, a quo, quicumque dii dicuntur, suam & naturam & appellationem habent acceptam; adeoque Filium Dei ex Patre habere, ut Filius sit & verus Deus: alios vero qui dii dicuntur improprie ac metaphorice, a Deo etiam suam accepisse auctoritatem propter quam dicuntur dii. Ita benigne explicari potest ac debet Origenes.

Ad quartum: Quæ ex Lib. 1. in Job hic objiciuntur tam impia sunt, & iis quæ ex genuinis Origenis Operibus laudavimus tam directe & manifeste contraria, ut necesse sit agnoscere, aut verba quæ opponuntur, ariana manu inserta fuisse, aut Opus integrum, quale jam extat, Origenis non esse.

Mul-

Multi post Genebrardum, Sixtum Senensem, Possevinum, Bellarminum, ex eo capite suppositium judicant, quod in eo mentio fiat ὁμοσίου longe post tempora Origenis nati; & Luciani martyris, quem constat Origene posteriorem multis annis fuisse, ut recte observat Genebrardus in Collectaneis de vita Origenis.

Ad ultimum: jam præmonuimus doctrinam Origenis non ex suffragiis nonnullorum auctorum, a quibus vel damnata, vel probata illa fuit, æstimandam esse, sed ex genuinis & indubitatis ejus Operibus. Hieronymo, Epiphanio, aliisque Origenis censoribus opponimus Eusebium Cæsariensem, Pamphylum martyrem, S. Athanasium, Gregorium Thaumaturgum, Gregorium Nazianzenum, Basilium, aliosque Origenis defensores: sed his motivis externis sepositis, de Origene ex Origene ipso judicium ferendum est.

At, inquies, Origenes ab Anastasio Papa pluribusque aliis Romanis Pontificibus, tum a Synodo quinta œcumenica solemni judicio proscriptus est, quasi Filii divinitatem impetierit: ergo in præsenti negotio, illæsa Ecclesiæ auctoritate in damnandis libris eorumque auctoribus, ab errore vindicari non potest.

Resp. jure ac merito ab Ecclesia damnatum fuisse Origenem, non quod Verbi divinitatem impetierit, nullum enim extat Ecclesiæ decretum, quo manifestum sit eum propterea damnatum fuisse, sed quod pœnarum æternitatem, peccatum originale, aliaque fidei dogmata impugnaverit.

Et vero in quinta Synodo una cum Didymo

mo & Evagrio propter eosdem errores damnatus est: nemo autem nescit sanam ac orthodoxam fuisse Didymi & Evagri de Trinitate doctrinam.

Adde quod Justinianus in ea Epistola quam direxit ad Concilium quintum ad urgendam Origenis damnationem, quamvis ipsi multos errores exprobret, hunc tamen minime redarguit quasi de Filio male sensisset.

Probatur 2. ex Patribus Latinis.

Tertullianus.

floruit an. 215. Inter Latinos unum hic Tertullianum referemus, non quod desint alii; multi enim sunt, quos indicabimus, ejusdem fidei Nicænæ testes ac defensores ante ipsum etiam Nicænum Concilium; sed quod Tertullianum antiquissimum auctorem, suum esse præsertim glorientur Sociniani, utpote qui dura & minime castigata sua loquendi ratione, violatæ fidei circa SS. Trinitatis mysterium gravem suspicionem injiciat. Quanquam nihil causæ nostræ veritati noceret, si in tanta aliorum SS. Patrum nube, unum Tertullianum Socinianis dimitteremus; ipsum tamen Tertullianum nobis hac in parte eripi non patiemur, quem nemo Veterum erroris incusavit circa SS. Trinitatem, quique diserte, ut nullus alius magis, fidem Nicænam confirmat.

Ac 1. tres esse in Deo personas distinctas in unitate essentiæ, data opera toto Libro contra Praxeam demonstrat. Cap. 2. docet, pag. 501 regulam hanc esse fidei, *ut unum Deum agnoscat, qui sit Pater, Filius & Spiritus sanctus ... unitatem in Trinitate disponit, tres dirigens, Patrem, Filium & Spiritum sanctum.*

stum. Tres autem non statu, sed gradu; nec substantia sed forma, nec potestate sed specie: unius autem substantiæ, & unius status & unius potestatis; quia unus Deus, ex quo & gradus isti, & formæ & species, in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti deputantur: ubi vides tres personas esse unius substantiæ, status & potestatis. Per gradum autem intelligit haud dubie Tertullianus, ordinem illum originis, quo Filius est a Patre, & Spiritus sanctus ab utroque: ita ut Pater sit prima persona, Filius secunda, & Spiritus sanctus tertia: per formas vero & species, non naturam intelligit aut substantiam, ut constat, sed varios subsistendi modos, quibus Pater, Filius & Spiritus sanctus subsistunt, qui modi vocantur a Scholasticis relationes seu personalitates divinæ.

2. Verbi divini æternam generationem diserte docet eodem Libro contra Praxeam c. 5. *Ante omnia*, inquit, *Deus erat solus, ipse sibi & mundus & locus & omnia; solus autem, quia nihil aliud extrinsecus præter illum. Ceterum ne tunc quidem solus, habebat enim secum, quam habebat in semetipso, rationem suam scilicet*. Et c. 8. *Sermo ergo & in Patre semper, sicut dicit, Ego in Patre; & apud Deum semper, sicut scriptum est, Et sermo erat apud Deum; & nunquam separatus a Patre, aut alius a Patre, quia, Ego & Pater unum sumus*. Nihil hoc testimonio disertius potest desiderari. pag. 502 pag. 504

3. Filium ejusdem esse cum Patre substantiæ multis in locis inculcat Tertullianus. Apologetici cap. 21. *Hunc*, (nempe Dei Filium) *ex Deo prolatum didicimus, & prolatione generatum, & idcirco Filium Dei* pag. 19

& Deum dictum ex unitate substantiæ: nam & Deus Spiritus ∴ Ita de Spiritu Spiritus, & de Deo Deus, ut lumen de lumine. Quæ verba postea Nicænum Concilium in Symbolo fidei descripsit & adoptavit.

pag. 513 Lib. contra Praxeam cap. 22. testimonium Patris & Filii vocat testimonium *individuorum duorum*. Et ibidem ostendit opera Trinitatis esse indivisa, quia fiunt *ab una &*
pag. 514 *eadem virtute*. Et cap. 23. *Scimus*, inquit, *Deum etiam intra abyssos esse, & ubique consistere, sed vi & potestate; Filium quoque,*
pag. 515 *ut individuum, cum ipso ubique esse*. & c. 25. *Ego & Pater unum sumus; ad substantiæ*, inquit, *unitatem non ad numeri singularitatem*. Nihil his testimoniis disertius proferri potest ad comprobandam Filii cum Patre consubstantialitatem, seu *individuam* cum Patre naturam.

Objicies 1. Tertullianum Lib. contra Hermogenam, cap. 3. Hermogeni contendenti materiam æternam esse debere, eo quod Deus ab æterno & Deus sit & Dominus, Dominus autem esse non possit nisi extiterit ab æterno materia, in quam dominium suum exercuerit, respondet Tertullianus, Deum ab æterno Dominum non esse, adeoque nec materiam ab æterno existere; quod probat a simili: Deus scilicet ab æterno judex non est, neque pater, siquidem ab æterno nec delictum fuit, nec filius; ergo nec Dominus fuit ab æterno. En verba: *Quia*
pag. 234 *& pater Deus est, & judex Deus est; non tamen ideo pater & judex semper, quia Deus semper. Nam nec pater potuit esse ante filium, nec judex ante delictum. Fuit autem tempus, cum & delictum & filius non fuit,*

quod

quod judicem & qui patrem Dominum faceret.

Resp. 1. Tertullianum ibi non agere de æterna Verbi generatione, de qua controversia ipsi non erat cum Hermogene, sed de sola materiæ æternitate. Unde

Resp 2. Tertullianum non ex propria loqui sententia, sed ex principiis ab Hermogene admissis, quæ adversus ipsum contorquet. Nimirum istud est Tertulliani argumentum: Si Deus ab æterno Dominus est præcise quia Deus, adeoque materia æterna esse debet ut ipsi imperet, sicut videtur Hermogeni; pariter Deus ab æterno judex & pater erit, quia Deus semper est, tam quippe & judex & pater esse debet, quam Dominus: atqui ex ipsa Hermogenis sententia Deus ab æterno nec judex, nec pater est: non judex, quia nullus judex sine delicto de quo judicet: ab æterno autem nullum est delictum, materia quippe, quam Hermogenes æternam supponit, nullius delicti capax est, cum sit ab æterno informis omnisque actus expers. Non fuit etiam ab æterno pater, quia ille pater non est, qui nihil produxit extra se ab æterno, sed Deus ab æterno nihil produxit extra se, in principiis Hermogenis; materia enim de qua solum inter illos erat controversia, improducta est ac æterna; ergo Deus non est ab æterno pater, adeoque nec Dominus, quod habebat contra Hermogenem demonstrandum: in quo ratiocinio nulla plane mentio fit generationis Verbi æterni, de qua non erat quæstio.

Objicies 2. Lib. contra Praxeam cap. 6. & 7. de Verbo Dei seu sapientia Dei interna sic loquitur Tertullianus: *Ut primum Deus* p. 13. 503

voluit ea quæ cum Sophiæ ratione & sermone disposuerat intra se, in substantias & species suas edere, ipsum primum protulit sermonem; habentem in se individuas suas, Rationem & Sophiam, ut per ipsum fierent universa, per quem erant cogitata atque disposita, imo & facta jam quantum in Dei sensu. . . Tunc igitur etiam ipse sermo speciem & ornatum suum sumit, sonum & vocem, cum dicit Deus, Fiat lux. Hæc est nativitas perfecta sermonis dum ex Deo procedit: conditus ab eo primum ad cogitatum in nomine Sophiæ, Dominus condidit me initium viarum suarum. Dehinc generatus ad effectum.

Ex quo testimonio hæc urgeri solent, 1. Sermonem a Deo productum, quando exterius voluit emittere quod interius decreverat; 2. Sermonem speciem suam, ornatum & perfectam nativitatem habuisse, quando dixit Deus: *Fiat lux*; ergo ante mundi creationem sermo ille plene & perfecte genitus ac natus non erat.

Dissimulandum non est ista paulo duriora esse & explicatu difficilia: possunt tamen ac debent ex aliis, quæ laudata sunt, clarissimis pro fide Catholica SS. Trinitatis testimoniis lucem aliquam mutuari, & benigne exponi.

Resp. itaque Tertullianum cum nonnullis aliis veteribus Scriptoribus duplicem agnovisse Verbi divini nativitatem, unam æternam, Deo immanentem, propriam & naturalem, qua ut Deus de Deo, spiritus e spiritu, utque Dei Verbum a Patre prodiit: alteram externam, sensibilem, certoque duntaxat tempore factam, qua ad opificium mundi a Patre extrinsecus processit in forma

qua-

quadam sensibili. Scilicet existimabant Veteres illi, paulo ante mundi opificium, Verbum ad cuncta creanda speciem aliquam corporalem ac substantiam externam, imo humanam fortasse formam ac naturam induisse & assumpsisse, eo fere modo quo postea in veteri Lege Patriarchis videndum se exhibuit, aut etiam e B. Virgine prodiit.

De hac postrema nativitate externa, sensibili ac temporali loquitur Tertullianus locis in objectione adductis. Ista porro externa, ac temporalis Verbi nativitas, supponit æternam ejusdem Verbi generationem: namque, ut ipse ait Tertullianus eodem Lib. cap. 5. *Etsi Deus nondum sermonem suum miserat, proinde eum cum ipsa, & in ipsa ratione intra semetipsum habebat, tacite cogitando & disponendo secum quæ per sermonem mox erat dicturus.* Pag. 503.

Quando autem Tertullianus externam illam Verbi prolati nativitatem vocat *perfectam*, dure haud dubie loquitur; nativitas enim illa est impropria, & minus perfecta: perfecta tamen aliquo sensu dici potest, in quantum per illam declaratum fuit & exterius manifestatum Dei Verbum quod antea latebat & ignorabatur. Sic benigne interpretandam esse Tertulliani mentem nemo æquus negaverit, qui attenderit multa alia esse apud Tertullianum durissima, quæ tamen ad litteræ corticem usurpanda esse nullus affirmat; v. g. cum ait, *Deum seipsum quasi agitare, quando intra se rerum creationem molitur: Verbum illud a Deo per nisum quendam ac laborem exterius protrudi*: illud esse vocem & *sonum ex vulva cordis Dei exiens*, & cetera ejusmodi quæ emollienda esse

nemo

nemo diffitetur. Quidni ergo benigne interpretabimur, cum ait externam Verbi nativitatem perfectam esse?

Objicies 3. Tertullianus Lib. contra Praxeam c. 8. & 9. docet Filium a Patre procedere sicut radius a Sole, fluvius a fonte procedit: ipsum Patrem totam esse substantiam, Filium vero derivationem totius & portionem, sicut ipse profitetur, inquit: *Quia Pater major me est*; ergo non censet Filium esse Patri consubstantialem.

Resp. comparationes illas Solis & radii, fluvii & fontis frequenter a SS. Patribus usurpari in exponendo mysterio SS. Trinitatis, idque ob eas rationes quas attingimus supra cum de S. Justino egimus: has ibi consule. Tertullianus his comparationibus usus est, ut contra Praxeam ostenderet distinctionem personalem Filii a Patre in unitate essentiæ; hic enim unus videtur esse Tertulliani scopus ac finis: *Profiteor*, inquit c. 8. *me duos dicere, Deum & sermonem ejus, Patrem & filium ipsius: Nam & radix & frutex, duæ res sunt, sed conjunctæ; & fons & flumen duæ species sunt, sed indivisæ.* Pag. 504.

Cum itaque Filium dicit esse portionem substantiæ divinæ & derivationem, sensus ejus est, Filium esse a Patre per generationem, ac consequenter eum a Patre distingui persona & hypostasi, cum quo tamen individuus est natura & essentia, sicut in hoc ipso Libro repetit sæpius. Non alium autem esse Tertulliani sensum, constat ex eo ipso qui opponitur loco: *Alius*, inquit, *est qui generat, alius qui generatur; alius qui mittit, alius qui mittitur; alius qui facit, alius per quem fit*; quibus verbis solam personalem distinctionem Ibid.

Fi-

Filii a Patre urgebat adversus Praxeam, qui divinas confundebat personas. Si quando vero Filium Patre minorem dicit Tertullianus, ad Scripturæ, quam laudat, sensum intendit: minorem scilicet esse ratione humanæ naturæ, non divinæ. Vide quæ paulo ante in solutione Objectionum ex Scripturis, fusius eam in rem a nobis disputata sunt.

Ex his quæ ibi diximus ad solvendas Tertulliani Objectiones nullo negotio dilui possunt quæ ex aliis nonnullis antiquioribus auctoribus Tatiano, Athenagora, Theophylo, Hyppolyto martyre, Lactantio, Novatiano &c. objici solent. Idem enim ferme docent auctores illi ac Tertullianus locis in objectione adductis.

Multa alia hic brevitatis causa omittimus SS. Patrum Ecclesiæ Latinæ testimonia, S. Cypriani Lib. 2. testimoniorum adversus Judæos c. 6. Dionysii Romani in Epistola adversus Sabellianos, apud S. Athanasium Lib. de Decretis Synodi Nicænæ Tom. 1. pag. 231. Novatiani Lib. de Trinitate c. 31. ad calcem Operum Tertulliani, Firmiliani Epist. ad S. Cyprianum, Arnobii, Lactantii, & aliorum quos recenset eruditione (utinam & integra fide) commendandus Bullus Presbyter Anglicanus, in eximio Opere cui titulus, *Defensio fidei Nicænæ*. Ubi momentum istud fuse ac erudite prosequitur.

ARTICULUS II.

Quid circa Verbi divinitatem definierint Patres Nicæni.

HAc constanti ac perpetua, quam mox exposuimus, Ecclesiæ fide ac Traditione

in-

inspecta & diligenter discussa, trecenti decem & octo Patres in Concilio Nicæno generali primo, anno 325. sub Sylvestro S. Pontifice congregati, præsente ac protegente Constantino Magno Imperatore, in solemni fidei Symbolo declararunt ac definierunt, *Credere se in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei, ex Patre natum unigenitum, id est, ex substantia Patris, Deum ex Deo, lumen ex lumine, Deum verum ex Deo vero : natum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt.*

T. 2. Conc. p. 27.

Addunt æternum illum esse, ac contrarium sentientes anathemate percellunt his verbis: *Eos autem qui dicunt, Erat quando non erat, & priusquam nasceretur non erat, aut ex non extantibus factus est.*.. *hos anathemate ferit Catholica & Apostolica Ecclesia.*

Atque ad damnandam Arianorum hæresim, simul & consignandam catholicam fidem usi sunt, & quidam merito, voce *homoousion*, quæ certe aptissima est ad utrumque præstandum, nempe significat Verbum esse unius ac ejusdem substantiæ cum Patre, quod vero unius est & ejusdem substantiæ cum Patre, vere ac proprie Deus est sicut & Pater, proindeque factus non est, æternus est, &c.

Unum hic observabo, Patres Nicænos aliosque fidei catholicæ vindices qui sæculo quarto cum Arianis congressi sunt, Traditionis & auctoritatis antiquitatem, uti sibi certissime faventem, perpetuo ac confidenter Arianis objeciisse, idque inficiari ausi non fuerunt, sed econtra confessi sunt Ariani. Ita clare colligitur ex S. Athanasio Lib. de Decretis Nicænæ Synodi n. 27. S. Gregorio Nysseno Oratione 3. contra Eunomium, S. Hilario

rio Lib. 1. ad Constant. Augustum n. 5. Porro utrumque istud aperto argumento est non novam in Nicæno Concilio fidem, sed antiquam ac primævam sancitam esse.

Post celebrem Nicænæ Synodi definitionem, multi magni nominis viri in gravissimam apud multos violatæ fidei Nicænæ suspicionem venerunt, de quibus in utramque partem nostri disputant Theologi.

De iis auctoribus nunc paucis agendum Articulo sequenti.

ARTICULUS III.

Quid de Verbi divinitate ipsiusque cum Patre consubstantialitate senserint qui post Nicænam primam Synodum floruerunt.

Non hic agemus de Patribus quos certe constat acerrimos fuisse divinitatis Verbi assertores ac vindices, sed de iis tantum quorum fides eo in capite dubia esse potest. Ii autem præ ceteris sunt Eusebius Cæsarienſis, Liberius summus Pontifex, Osius Cordubensis, & Patres Concilii Ariminensis.

De fide Eusebii Cæsarienſis.

Fidem Eusebii circa Verbi consubstantialitatem in ambiguo versari, probant tam diversa de illo Scriptorum Ecclesiasticorum testimonia; accusantibus aliis, aliis vero defendentibus.

Ex tribus autem potissimum capitibus tentari ac dignosci debet Eusebii Cæsarienſis fides circa Verbi divinitatem:

1. ex agendi ratione; 2. ex Scriptis ipsius tum

tum ante, tum post Concilium Nicænum; 3. ex Antiquorum de fide ipsius judicio: quæ tria etsi seorsim sumpta decretoria non forent, si tamen conjuncta simul in ejus damnationem conspirent, certissime rectam & sanam non fuisse ipsius fidem apertissime convincent. Quæstio igitur est, fuitne Eusebius non tantum factione ac patrocinio, sed etiam doctrina & sententia Arianus?

Tria sunt quæ Eusebium accusant. Primo, agendi ratio.

Nostro quidem judicio, Eusebius ab ariana labe purgari omnino non potest, quem accusant ratio agendi, Scripta ipsius, & Veterum testimonia.

1. Ratio agendi hominem ex animo Arianum prorsus redolebat: summo studio, auctoritate, consilio, gratia qua valebat apud Principem, Arianos, quantum poterat, juvabat, promovebat errorem. Ante Nicænum Concilium in gratiam Arii scripsit ad Alexandrum Episcopum Alexandrinum, a quo primum damnatus est ac ejectus Arius, ut vellet eum communioni suæ restituere. Sedens in Concilio Nicæno, Symbolo fidei subscribere primum recusavit, moras sibi concedi postulans ut deliberaret; postridie tamen, Constantini qui Concilio præsens aderat, reverentia, seu potius exilio ac depositionis metu subscripsit. Unde porro tanta hæc hominis anxietas, nisi ex animo non satis in fide Nicæna confirmato? Post Concilium vero Nicænum, inito cum Arianis fœdere, S. Athanasium strenuum fidei Nicænæ vindicem plurimum divexavit.

In Concilio Tyriensi adversus sanctum illum Doctorem coacto, cui ipsemet præerat Eusebius; & in Antiocheno Conciliabulo, calumniarum ac depositionis sententiæ in magnum

gnum

gnum Eustathium Antiochenum Antistitem conscius ac particeps fuit una cum aliis Episcopis Arianis. In suis Historiæ Ecclesiasticæ Libris, altum de Ariana hæresi, ejusque damnatione silentium: cujus quidem affectati in re tanti momenti ac ponderis silentii, non alia causa & ratio fuit, quam quod suorum pudori parcere, ac Catholicis victoriæ gloriam eripere voluerit. Denique scribens adversus Marcellum, eum redarguit, quod Ecclesiæ Patres ac veræ fidei doctores incusare auderet; inter illos autem recenset Paulinum Tyriensem, Narcissum Nerodiadem, Eusebium Nicomediensem, Asterium Sophistam, qui publici ac declarati habebantur Ariani. Porro raro admodum contingit, ut qui tam impense Hæreticis favet, tacita non feratur in hæresim ipsam inclinatione & consensione.

2. Eusebii Scripta post Concilium Nicænum, mentem ejus plane arianam demonstrant. Etsi enim dissimulandum non sit, nonnulla esse, in iis præsertim quæ ante Nicænum Concilium elaboravit, quæ benigne explicari possent, sicut Veterum nonnulla paulo durius ac minus castigate dicta in bonum sensum nos ipsi adduximus; attamen spectato auctoris consilio, ac propenso semper in Hæreticos favore, benignam hanc interpretationem non meretur, ac summo jure cum ipso agendum. Secundo, Scripta ipsius.

Lib. 1. contra Marcellum cap. 1. ostendit Christum Deum illum summum non esse qui unicus est, sed diversum; quia Christus mediator est Deum inter & homines, nemo autem suimetipsius mediator esse potest. *Unus* inquit, *non est mediator idem, cum medius inter duos interponatur.* ∴ *Neque natura rei* *Ad calc. Dem. Evang. p. 8.*

pa-

patitur mediatorem de unoquoque definiri; Ideo non est unius alicujus iste, (Christus) sed medius necessario inter duos, ab utroque diversus, quorum statuitur mediator. Non est ergo existimandum, hunc esse Deum illum, qui est super omnia Deus; nedum de numero Angelorum aliquem, sed medium utrorumque & mediatorem.

T. 7. Conc. p. 859.

Epistola ad Euphrasionem Episcopum relata in septima generali Synodo Actione 6. hæc habet: *Non enim Filium Patri coexistere dicimus, sed Patrem ante Filium fuisse. Porro ipse Filius Dei hæc nobis omnibus exactius cognoscens, alterum seipsum; & minorem a Patre, subjectumque cognoscens, admodum valde pie nos id docet, dicens: Pater; qui misit me, major me est. Et inter alia: quoniam Filius*, pergit Eusebius, *& ipse quidem Deus, sed non verus Deus.* Si hæc arianum virus non spirant, nescio quid spirare possit.

Tertio, Scriptorum testimonia.

III. Eusebium impietatis arianæ bene multi gravissimi Scriptores accusant, quos recenset doctissimus Valesius in fronte Ecclesiasticæ Historiæ; ubi etiam, nec dissimulandum, nonnullos in ejus favorem appellat, præsertim Socratem qui ejus fidem, quantum potest, vindicat: at, inquit Baronius ad annum Christi 340. *Æthiopem dealbare nititur.*

Lib. 1. Hist. c. 31.

Illos vero tum defensores, tum accusatores Eusebii, legere poteris apud Valesium loco mox indicato.

Dices 1. Multa scripsit ac fecit Eusebius fidei Nicænæ plane consentanea.

I. Subscripsit Nicænæ Synodo, ac consubstantialem Patri Filium confessus est.

II. Lib. 1. de Ecclesiastica Theologia cap. 8, 9. & 10. aperte pronunciat, Filium esse

ante

ante omnia sæcula genitum; non esse creaturam ex nihilo productam, verum Deum esse.

Resp. ad primum, distinguo: Eusebius Nicæno Concilio subscripsit, ficto ac doloso animo, quomodo etiam subscripsere tandem Eusebius Nicomediensis, Theonas Marmaricæ, & Secundus Ptolemaidis, concedo: animo sincero ac veritati addicto, nego. Subscripserunt timore pœnæ, exilii ac depositionis, non amore justitiæ, seu veritatis; elapso enim periculo ad vomitum redierunt. Ita respondent Patres Synodi VII. generalis Actione 6. *Verum*, inquiunt, *labiis illum dicimus veritatem coluisse, corde autem longe ab ea fuisse, quemadmodum & omnes Epistolæ illius & Commentaria ostendunt. Quod si autem alias aliquando pro temporis & rei conditione mutatus apparuit, nunc hos laudans qui stabant a partibus Arii, nunc vero veritatem simulans: profecto ob id, secundum Jacobum fratrem Domini, homo duplicis animi, inconstans in omnibus viis suis dicetur.* Idem fere dixerat S. Athanasius Lib. de Decretis Synodi Nicænæ. T. 7. Conc. P. 8, 8. T. 1. p. 211.

Ad secundum: fatemur nonnulla in speciem catholica de mysterio SS. Trinitatis scripsisse Eusebium, communi cæterorum Hæreticorum more, qui sensa sua subobscuris quibusdam & specie tenus catholicis verbis involvunt, ne facile latens illorum error detegatur, qui, statim ac vivide illi premuntur, in apertum erumpit. Itaque vocem, *consubstantialem*, admisit quidem; at excludendo duntaxat sensum corporeum & materialem Pauli Samosateni, non eum spiritualem sensum quem indicabant Patres Nicæni; nem-

nempe ut perfecta unitas & identitas essentiæ seu substantiæ Patris & Filii significaretur.

Negat Filium esse ex nihilo & ex non extantibus productum; sed quo sensu? quia Filius nec pars Dei est, nec ex subjecta materia: quin & ipsemet Eusebius Lib. 4. Demonst. Evang. c. 1. docet nullam omnino rem de nihilo esse, vel ex non extantibus produci; non dicit autem Eusebius, Catholicorum sensu, Filium esse ex non extantibus, quia Patri coæternus ac consubstantialis. Filium quoque non esse creaturam libenter affirmat Eusebius; sed reticendo intra se, non esse creaturam similem aliis creaturis.

Pag. 147.

Dices 2. Eusebius inter Sanctos recensetur, cujus memoria cum religioso cultu celebratur die 21. Junii, teste Usuardo in Martyrologio. Idem patet ex veteri Breviario Ecclesiæ Lemovicensis, ubi tres leguntur pro festo S. Eusebii Cæsarienſis Lectiones: at verisimile non videtur, virum ariana fuligine tinctum inter Sanctos ab Ecclesia referri & honorari.

Resp 2. nos non affirmare Eusebium in errore suo pertinacem ad mortem usque perseveraſſe: judicium de sanctitate ipsius Deo reservamus; de doctrina ejus judicamus ex Scriptis.

Resp. 2. tantam non esse antiqui illius Breviarii Lemovicensis, uti nec Usuardi auctoritatem, ut prævalere possit contra auctoritatem VII. Synodi generalis, ac S. Athanasii mox laudati. Deceptioni haud dubie locum dedit affinitas nominis Eusebii Cæsarienſis, & Samosateni: iste strenuus fuit fidei Nicænæ assertor, eaque de causa a Constantio & Valente Imperatoribus Arianis male vexatus;

vir

vir sanctus, qui in odium fidei tegula obrutus ab Ariana muliere, martyr occubuit. Irrepsit, ut merito conjicere licet, nomen Eusebii Cæsarienſis, in locum Samosateni.

De Liberio summo Pontifice.

Liberius S. Pontifex strenuus primum fuit fidei Nicænæ & S. Athanasii vindex. Constantium Imperatorem generosa ac vere Christiana libertate increpavit, teste Athanasio Epistola ad Solitarios. Unde in odium constantiæ ac defensionis fidei Beroam in exilium mittitur an. 355. ibique per biennium commoratus, tandem ærumnis, tædio, ac recuperandæ Sedis suæ amore victus ac fractus, Imperatoris voluntati se facilem præbuit, damnavit Athanasium, rupta cum ipso communione; ac inito cum Orientalibus notoriis Arianis fœdere, formulæ Syrmienſi, quam S. Hilarius perfidiam arianam appellat, demum subscripsit. A culpa excusari non posse Liberium, qui Athanasium deseruit, cujus causa cum Ecclesiæ causa tam connexa erat, omnes profitentur: an vero lapsus a fide fuerit, approbata formula fidei Syrmienſi plane ariana, in dubium vocatur.

T. 1. p. 366.

Apud S. Hil. fragmento 6. p. 1336.

Observa autem, tres distingui debere fidei formulas quæ Syrmienſes dicuntur, quas Socrates Lib. 2. Hist. c. 30. perperam asserit in Concilio Syrmienſi an. 351. contra Photinum editas fuisse: certum quippe videtur, formulam quæ manifeste arianam impietatem respirat, & quæ secunda dicitur, supprimitque tum ὁμοούσιον, tum ὁμοιούσιον, in illo Concilio Syrmienſi an. 351. conditam non fuisse; in eo quippe Concilio præcipuas partes agebat Basilius Ancyranus hujus formulæ declaratus ho-

Variæ formulæ Syrmienſes dictæ.

hostis, quam in Ancyrana Synodo damnavit. Consule notas seu observationes in vitam gallice scriptam S. Athanasii, Tom. 1. p. 890. & Petavium in hæresim 73. S. Epiph. pag. 311. & sequentibus. Tres igitur illæ Syrmienses formulæ diversis temporibus editæ fuerunt.

Prima in Concilio Syrmiensi adversus Photinum anno 351. græce conscripta. Præter Symbolum; 27. Anathematismos complectitur: hanc referunt S. Athanasius L. de Synodis Ariminensi & Seleuciensi, S. Hilarius L. de Synodis. Formulam hanc expendit, ac in Catholicum sensum exponit S. Hilarius; econtra S. Athanasius L. de Synodis; illam ab aliis formulis aperte arianis non distinguit.

T. 1. p. 742.

Pag. 1174.

T. 1. p. 748.

Secunda fidei formula Syrmiensis scripta est ann. 357. quæ a S. Hilario L. de Synodis, appellatur *blasphemia per Osium & Potamium apud Syrmium conscripta*. Latine primum edita, tum græce: ut observat S. Athanasius L. de Synodis. In ea impietas ariana aperta fronte diffunditur; Filius non dicitur Patri consubstantialis, imo nec similis &c. Contra istam formulam summo ardore ac studio insurrexit Basilius Ancyranus, quam in Concilio Ancyrano gravi perstrinxit censura.

Pag. 1156.

T. 1. p. 740.

Tertia denique formula Syrmiensis scripta est an. 359. In ea vox, *consubstantialis*, expungitur quidem, sed Filius dicitur similis cum Patre substantiæ. Hoc singulare continet ista formula, quod in fronte ac titulo notentur Consules, annus, dies & mensis quo scripta illa fuit, quod inauditum huc usque fuerat, cum fides non sit temporum, sed eadem immota semper subsistere debeat:

quo

quo titulo explosam illam fuisse observat S. Athanasius Lib. de Synodis.

Disputant inter se eruditi, cui ex tribus istis formulis subscripserit Liberius: an primæ quæ ab Hilario benigne exponitur: an secundæ quæ est aperte ariana; an tertiæ. Baronius ad an. Christ. 357. existimat Liberium primæ formulæ subscripsisse. Blondellus L. de Primatu pag. 480. & 484. & Petavius in Observationibus ad S. Epiphanium pag. 316. secundæ. Valesius autem tertiæ.

Dico igitur 1. Liberium tertiæ formulæ non subscripsisse: ut enim Historia docet, formulæ sibi oblatæ subscripsit Liberius, ut ab exilio, quo Beroæ detinebatur, Orientalium, ad quos scripserat, favore revocaretur: porro cum hæc tertia formula edita fuit, non tantum ab exilio jam revocatus fuerat, sed & Romam redierat. Scilicet Liberius tertio exilii anno Sedem suam recuperavit, ut refert S. Athanasius cap. 37. aliique Scriptores, hoc est anno 358. Hæc autem tertia formula nonnisi anno 359 exarata fuit.

Dico 2. Liberium non subscripsisse secundæ impiæ formulæ Sirmiensi.

Probatur, 1. quia teste S. Hilario in fragmentis, fragmento 6. formula cui Liberius subscripsit ab Orientalibus condita fuit: ac secundam formulam ab Occidentalibus conscriptam fuisse declarat S. Athanasius L. de Synodis. Pag. 1137. T. 1. p. 744.

2. quia teste eodem S. Hilario ibidem, hæc à Liberio subscripta formula dicitur esse edita a Basilio Ancyrano, Theodoro Heracleensi, & Sylvano Tarsensi: porro illius formulæ auctor esse non potuit Basilius Ancyranus, quam vix in lucem emissam anathe-

mate confixit in Synodo Ancyrana; illius pariter conscius ac particeps esse non potuit Theodorus Heracleensis, siquidem jam obierat, anno circiter 355. antequam Liberius in exilium amandatus fuisset; nec etiam Sylvanus Tarsensis, qui adeo alienus fuit ab Anomæorum errore, & pura hæresi ariana, ut pro Catholico habitus fuerit, ac orthodoxam de divinitate Filii doctrinam adversus Anomæos in Concilio Seleucienſi coram Constantio Imperatore propugnaverit.

3. Si Liberius secundæ formulæ sibi a Demophilo oblatæ subscripsisset, cum hæc arianam impietatem undequaque respiret, haud dubie nihil amplius ab illo exigere debuissent Ariani, & ab exilio statim a subscriptione revocatus illè fuisset; atqui tamen non ita contigit. Liberius enim ad Episcopos Orientales scripsit, (Epistolam refert S. Hilarius Fragmento 6.) rogans ut pro ea qua apud Imperatorem valent gratia, suum ab exilio reditum obtineant, quem non prius obtinuit, quam alteri cuidam formulæ, tum cum ab Imperatore Syrmium vocatus est, subscripsisset: hæc autem formula non erat secunda Syrmiensis ipsimet Constantio Imperatori invisa, sed collectio quædam fuit tum formulæ adversus Photinum editæ, tum illius quæ in Synodo Antiochena in Encæniis sancita fuit, ut constat ex Sozomeno L. 4. Hist. cap. 15.

Par. 1333. & seq.

Dico 3. Liberium subscripsisse primæ formulæ Syrmiensi.

Probatur, quia constat inter eruditos, Liberium uni ex tribus Syrmiensibus formulis subscripsisse: atqui ex dictis patet nec secundam nec tertiam formulam Syrmiensem a Li-

Liberio fuisse subscriptam; supereſt igitur ut dicatur primæ subscripsisse.

Quod cum ita sit, equidem fatendum est Liberium in præsenti controversia graviter peccasse, sed tamen idcirco hæresim arianam approbasse dici non potest. Ut enim paulo ante vidimus ex S. Hilario, prima Syrmiensis formula merito excusari & in catholicum sensum adduci potest.

Dico 1. formulam Syrmiensem, quam Liberius ipse scribens ad Orientales declarat se probasse S. Hilarius in Fragmento 6. *perfidiam arianam appellat*, eamque ob causam ter ipsi ejusque sociis dicit anathema: *Anathema tibi a me dictum, Liberi, & sociis tuis. iterum tibi anathema & tertio, prævaricator Liberi.* Atqui sola secunda formula Syrmiensis hoc nomine inscribitur apud sanctum Hilarium Lib. de Synodis pag. 1156. *Exemplum blasphemiæ apud Syrmium per Osium & Potamium conscriptæ:* primam econtra excusat ac benigne interpretatur, ut videre est ibidem pag. 1177. & sequentibus; ergo formula cui Liberius subscripsit, secunda est, non prima: nisi volueris sanctum Hilarium ex levitate animi & inconstantia primam illam formulam modo excusasse in Libro de Synodis, & modo perfidiam appellasse in Libro Fragmentorum, quod certe de viro tam gravi ac sapiente suspicari nefas. Pag. 1330. & 1331.

Resp. dist. maj. formulam cui subscripsit Liberius, perfidiam arianam appellat S. Hilarius, habita ratione consilii & fraudis auctorum illius formulæ, imo & eventus qui successit, concedo: habita ratione verborum ac sententiarum quibus illa constat, nego. Sanctus itaque Hilarius absque ulla levitatis &

inconstantiæ nota potuit formulam primam Syrmiensem mox non improbare, imo benigne interpretari, mox perfidiam appellare, pro variis scilicet temporis circumstantiis. In Libro de Synodis, formulam nude in se & quantum ad verba expendit tantum; ac cupiens Orientales ad concordiam & unitatem, si fieri posset, adducere, eam benigne interpretatur: tum vero cognita fraude, ac perverso auctorum formulæ consilio, Liberii perspecta ignavia, qui latam contra S. Athanasium sententiam probaverat, rupta etiam cum ipso unitatis communione ac Litterarum commercio, eamdem formulam *perfidiam* appellat in Libro Fragmentorum, quod nempe a perfidis ac fraudulentis hominibus condita illa fuisset, quod Liberio lapsus causa fuisset, atque in fidei detrimentum suppressisset vocem ὁμόσιον: quapropter in Libro contra Constantium Augustum, Synodum Syrmiensem contra Photinum, tanquam arianam proscribit.

Ad aliud vero anathema quod ter Liberio intorquet Hilarius, non una est responsio.

Alii merito dictum anathema existimant multiplici de causa: 1. propterea quod suppressisset vocem *omousion* quæ in communem fidei Catholicæ tesseram suscepta fuerat, 2. quod Athanasium eo ipso tempore proscripsisset, quo Athanasii causa uti publica totius Ecclesiæ causa habebatur; 3. quia cum Arianis societatem iniisset. Qui ita sentiunt, verba ista, *Anathematibi a me dictum, Liberi*, tum a sancto Hilario prolata esse putant, cum ejusdem Pontificis plenam ignaviæ Epistolam accepit.

Alii conjiciunt, citata verba Hilarii forte

te aliena manu ad marginem exscripta, exinde in textum irrepsisse.

Alii denique ita factitatum suspicantur in causa præsenti. Hilarius lecta Liberii ad Orientales plena ignaviæ Epistola, raptim eam chartæ tradidit ac notavit; adjectis his indignantis animi verbis, *anathema Liberio*, quæ tamen subinde procul dubio suppressisset, si Opus absolvisset, quod tunc meditabatur. At illud revera non absolvit: fragmenta duntaxat quædam disuta nec satis ordinata reliquit, quæ viri docti Nicolai Fabri opera ex Bibliotheca P. Pithæi edita sunt anno 1598. Le Fevre.

Istud est hujus conjecturæ fundamentum, Librum Fragmentorum, omnium judicio, scriptum ab Hilario fuisse, quo tempore Liberius sibi restitutus Ecclesiæ fidem strenue tuebatur; ac incredibile videri, ut ei jam correcto, imo etiam acerrimo fidei patrono, tot anathemata diceret Hilarius, qui Orientalibus necdum recte sentientibus, quia tamen ad veritatem propius accederent, Libro de Synodis ita pepercit, ut nec laudes negarit. Verba sunt eruditorum Benedictinorum Præfatione in Librum Fragmentorum sancti Hilarii. Eandem conjecturam probaverat, suamque fecerat jam anno 1712. Quenellius, in responsione ad D. de Witte occasione famosi Libelli quo dictus de Witte infamem denuntiationem a se factam universæ Ecclesiæ Constitutionis Clementis XI. *Vineam Domini Sabaoth*, confirmare iterata temeritate nititur. p. 12. & seq.

Dices 2. Cum Demophilus obtulit Liberio Beroæ degenti formulam fidei subscribendam, eam haud dubie Syrmiensem obtulit quæ sola poterat Liberium Arianis conciliare,

re, & reditum ab exilio ipsi promereri: atqui secunda formula Syrmiensis sola poterat Liberium Arianis conciliare, & reditum ab exilio ipsi promereri; ergo &c.

Resp. etsi supponeretur Liberio ad subscribendum oblatam illam formulam secundam Syrmiensem, non inde certo concludi posset eam a Liberio probatam fuisse: potuit id postulare Demophilus, nec obtinere a Liberio; ac verisimile est rem ita contigisse. Quapropter non ita premendum Pontificem ratus Demophilus, satis sibi esse judicavit, si eum induceret ad subscribendam aliam formulam dolo & insidiis plenam, quam reipsa subscripsit: at tandem fraude detecta, Liberius priori suo fidei studio & ardore collecto, ignaviæ labem diluit, ac Episcopis Ariminensibus deficientibus, invicto animo stetit publica fidei Catholicæ professione, cujus causa post Synodum Ariminensem dure ad mortem usque a Constantio Imperatore divexatum illum fuisse narrat Baronius ad an. Christi 359. num. 38.

De Osio Cordubensi.

Osium Cordubensem in Hispania Episcopum, virum tam gravem totque Conciliorum parentem, secundæ formulæ Syrmiensi vi tormentorum compulsum subscripsisse, nemo est qui ignoret.

Ita significat S. Hilarius L. de Synodis, ubi formula Syrmiensis sic legitur inscripta, *Exemplum blasphemiæ apud Syrmium per Osium & Potamium conscriptæ*. In ea nec *homousion*, nec *homoiousion* legimus: quapropter S. Hilarius ibidem ajebat: *Oro vos, ne quisquam alius ex his præter senem Osium, &*

Pag. 1156. Pag. 1201.

ipsum

ipsum illum nimium sui sepulchri amantem, reperiatur, qui tacendum esse existimet de utroque. Idem constat ex sancto Phæbadio Aginnensi Episcopo Lib. contra Arianos, Epiphaniæ hæresi 73. Sulpitio Severo Lib. 2. Hist. sacræ.

Non tamen in hæresi ad mortem usque perstitisse Osium, sed in fide ac pace Ecclesiæ illum obiisse colligimus, tum ex sancto Athanasio, qui in Libris post mortem Osii scriptis honorifice de illo loquitur. *Instante*, inquit, *morte, vim sibi illatam quasi testamento declaravit, arianamque hæresim feriit anathemate, vetuitque ne quis illam reciperet.* Tum ex S. Augustino L. 1. contra Parmen. c. 2. ubi Osium etiam a calumniis Donatistarum vendicat, eumque in pace & communione Ecclesiæ obiisse testatur.

Ep. ad Monac. t. 1. p. 371.

T. 9. p. 15.

De Patribus Ariminensibus.

Ann. 358. cum absoluto Syrmiensi Concilio nova in dies inter Episcopos nascerentur dissidia, ad hæc componenda Constantius Imperator œcumenicam Synodum convocare statuit; eamque ex votis & consilio Arianorum in duas divisit, decernens ut Episcopi occidentales Arimini in Italia, Orientales vero Seleuciæ in Isauria convocarentur.

Itaque Ariminum convenerunt, teste S. Athanasio, *Episcopi plures quadringentis*, omnes fere Catholici. Faustum fuit Synodi initium: cum enim Ursacius & Valens Episcopi Ariani suorum omnium nomine Patribus proposuissent ut antiquatis omnibus fidei formulis antea conditis, tertia Syrmiensis formula, in qua vocibus *substantiæ* & *consubstantialitatis* omissis, Filius dicebatur *Pa-*

T. 1. p. 720.

tri similis, approbaretur, solaque deinceps retineretur; eam omnes unanimi consensu rejecerunt, quanquam ab Imperatore probata fuisset: insuper damnata hæresi Arii, Nicæno Concilio firmiter inhærendum esse statuerunt, & Ursacium ac Valentem aliosque Arianos Nicænæ fidei subscribere recusantes anathemate proscripserunt. His gestis Legatos ad Imperatorem direxerunt, ut ipsum de rebus in Concilio gestis certiorem facerent.

Synodi Legatos diu in conspectum suum admittere noluit Constantius. Interim eosdem mora diuturniore fatigatos, tædioque oppressos, minis, precibus, promissis, aliisque id genus artibus, eo tandem adduxit, ut formulæ arianæ, in qua Filius tantum dicebatur *similis Patri* subscriberent; voces *substantiæ* & *consubstantialitatis* reticere consentirent, ac denique latam a Synodo in Ursacium & Valentem sententiam rescinderent.

In eandem prævaricationem paulo post adducti sunt Patres Ariminenses: ii quippe ærumnis ac calamitatibus oppressi, atque Ursacii & Valentis, qui se Catholicos mentiebantur, fraudibus decepti, hanc ipsam formulam, quam paulo ante constanter damnaverant, misere approbaverunt.

Quæri hic solet utrum omnes illi Episcopi qui subscripsere formulæ sibi ab Ursacio & Valente oblatæ in arianam hæresim reipsa lapsi fuerint? Quæstionem hanc fuse pertractabimus, ubi de Ecclesia, nunc paucis eam expediemus.

Dico itaque Patres Ariminenses subscribendo formulæ sibi ab Arianis oblatæ, in arianam hæresim intus & animo lapsos non fuisse.

Pro-

Probatur. Illi enim reipsa a fide non defecerunt, qui subscripsere formulæ quæ secundum verborum corticem orthodoxa erat, qui id egere simplici ac catholico animo; qui denique fraude detecta arianam perfidiam publice detestati fuerunt: atqui Patres Ariminenses subscripsere formulæ &c. ergo &c.

Major evidens est; minor vero quoad singulas partes constat.

Ac 1. quidem formulam illam spectatis verbis quibus concipitur nihil nisi sanum & orthodoxum exprimere, aperte docent S. Hieronimus Dialogo adversus Luciferianos, & Sulpitius Severus L. 2. Hist. sacræ.

Et vero, ut observat ibidem S. Hieronymus, hujusce formulæ auctores clare profitebantur *se credere in unigenitum Filium Dei ante omnia sæcula & ante omne principium ex Deo genitum, per quem omnia facta sunt, unigenitum solum ex solo Patre, Deum ex Deo, similem Patri cui eum genuit &c.* quæ sane verba catholicam de æternitate & divinitate Verbi fidem exprimunt. *Quid est natum?* inquiebat Hieronymus, *certe non factum. Nativitas suspicionem auferebat creaturæ ∴ solum ex solo Patre ∴ sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat.* Dixerat paulo antea: *nihil sacrilegum præferebat.*

2. Patres Ariminenses bono, simplici, ac catholico animo subscripsisse formulæ sibi ab Arianis oblatæ, constat ex cautionibus quas adhibuerunt priusquam subscriberent. Scilicet, ut observat S. Hieronymus loco mox citato, cum rumor sparsus fuisset Ursacium & Valentem sub ambiguis vocibus errorem involvere, oblatæ formulæ subscribere

recusarunt Patres Ariminenses, donec Ursacius & Valens publicis declarationibus professi fuissent se ex animo arianam impietatem detestari.

3. denique detectis Hæreticorum fraudibus, pristinam subscriptionem revocarunt Patres. Scilicet cum Ursacius & Valens aliique arianarum partium socii triumphos agerent, ac ubique inclamarent Episcopos Occidentis secum de fide consentire, se Filium Dei non creaturam negasse, sed similem ceteris creaturis; tum ad fraudem reclamarunt Patres Ariminenses & Arianorum blasphemias detestati sunt. *Concurrebant Episcopi*, inquit S. Hieronymus ibidem, *Ariminensibus dolis irretiti ∴ contestantes Corpus Domini & quidquid in Ecclesia Dei sanctum est, se nihil mali in sua fide fuisse suspicatos. Putavimus*, aiebant, *sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus, Decepit nos bona de malis existimatio ∴ multaque alia quæ brevitatis studio prætereo, flentes asserebant, parati & subscriptionem pristinam & omnes Arianorum blasphemias condemnare.*

Atque hinc idem S. Hieronymus ab omni hæreseos labe Patres Ariminenses vindicat. Etenim Luciferianis conquerentibus de Catholicis, quod dictos Episcopos in pristinas Sedes recepissent, *Cur*, respondet, *damnassent eos qui Ariani non erant? Cur Ecclesiam scinderent in concordia fidei permanentem? Cur denique credentes bene, obstinatione sua facerent Arianos?* Eosdem dictos Patres Ariminenses ab errore in animo concepto excusant S. Greg. Nazianz. Orat. 21. Damasus

sus S. Pontifex in Epistola Synodica ad Episcopos Illyrici, Sulpitius Severus loco superius citato &c.

Et vero si quid esset cur de orthodoxia Patrum Ariminensium liceret dubitare, maxime quia voces, *substantiæ & consubstantialitatis*, silentio sopiri permiserint: porro ea ratio sufficiens non est, tum quia, cautiones adhibuerunt de quibus supra; tum quia, ut ait S. Hieronymus Dialogo sæpius citato contra Luciferianos, *non erat ipsis cura de vocabulo, cum sensus esset in tuto*, tum denique quia, ut observat S. Athanasius Lib. de Synodis n. 41. *viros autem qui alia quidem omnia Niceæ scripta recipiunt, de solo autem consubstantialis vocabulo ambigunt, non ut inimicos spectare par est: neque velut Ariomanitas, aut Patrum adversarios, homines aggredimur, sed disputamus velut fratres cum fratribus, qui eadem qua nos sunt sententia, solo nomine in controversiam adducto.*

Dices I. Liberius in Epistola 13. ad Orientales scribit, *Episcopos*, qui Ariminum convenerant, *a fide desciviſſe*.

II. S. Hieronymus toties hic citatus Dialogo adversus Luciferianos, *Tunc*, ait, *Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis & Arianum se esse miratus est.*

III. S. Hilarius in Fragmento 8. ait Patres Ariminenses *prævaricatos esse a vera fide.*

IV. S. Ambrosius eosdem vocat in caput 6. S. Lucæ, *perfidæ prævaricationis auctores.*

V. denique S. Augustinus Epist. 182. alias 50. ait, *eos* (Ariminenses) *veneno periisse ariano*,

Resp. ad primum, dist. Liberius scribit *Patres Ariminenses a fide descivisse*, apparenter &, ut ajunt, interpretative, propter silentium vocis, *consubstantialis*; & propter communionem cum Arianis qui tamen Catholici putabantur, nec non propter subscriptionem ambiguæ nec satis claræ fidei professioni ab Hæreticis contextæ, concedo: in rei veritate, nego. Illi enim reipsa intus & animo a fide non defecerunt, qui bono, simplici, ac catholico animo subscripserunt formulæ, quæ, si verba spectentur, nihil sane fidei contrarium continet, quique detectis Hæreticorum perverso consilio ac malis artibus, statim ad fraudem reclamarunt, pristinam subscriptionem revocarunt, atque Arianorum blasphemias detestati sunt: atqui ita esse gessere Patres Ariminenses, ut mox probavimus; ergo &c.

Ad secundum, distinguo: totus orbis miratus est se, quamvis invitum & ab ariana hæresi abhorrentem, attamen Arianum jactari & circumferri propter incautam Patrum Ariminensium subscriptionem, concedo; id est, se vere Arianum esse miratus est, nego. Stupor siquidem ille & admiratio denotat reipsa & in animo universum orbem Arianum non fuisse: ut quid enim miratus fuisset, si revera errorem animo conceptum habuisset? nemo certe miratur de eo quod in se est, sponte ex consilio & interiori conscientiæ. Miratus est ergo quod in novum, quod præter mentem, voluntatem ac conscientiam suam factum esset, ut ariano errori verbis fallentibus involuto, simplici quidem, sed bono animo subscripsisset.

Et vero S. Hieronymus loco in Objectione

ne laudato totus est ut Episcopos Arimi-nenses ab errore vindicet: ibidem probat Ecclesiam Christi universalem esse debere, nec usquam posse ad paucos redigi; igitur ex sancto Doctore nusquam fieri potuit ut universus orbis in rei veritatem esset Arianus.

Ad tertium, quartum & quintum, patet responsio ex his quæ diximus ad primum & secundum.

ARTICULUS IV.

An Spiritus sanctus sit persona divina Patri & Filio consubstantialis.

DUo hic sunt pestilentissimi Sociniano-rum erroris capita refellenda.

Primum, Spiritum sanctum veram non esse ac subsistentem personam, sed meram duntaxat Dei efficaciam ac virtutem: quod-dam Dei, qui unus est in persona sicuti & in natura, attributum.

Secundum, Spiritum sanctum natura & substantia Deum non esse, sed accidens quod-dam seu qualitatem. Sit itaque.

PRIMA CONCLUSIO.

Spiritus sanctus vera est ac per se subsi-stens persona.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex operationibus quæ personarum sunt, & Spiritui sancto tribuuntur.

Ex communi Scholæ effato, *Actiones sunt suppositorum*; si ergo Scriptura proprias Spi-ritui sancto tribuat operationes, idque constan-

ter

ter & ubique, certissime concludendum erit, Spiritum sanctum veram esse ac subsistentem personam: atqui veras, & quæ personarum sunt, operationes, Scriptura Spiritui sancto tribuit: v.g. *docere*, Joan. 14. v. 15. *testari*, Joan. 15. v. 26. *revelare futura*, 1. ad Timoth. 4. v. 1. *scrutari profunda Dei*, 1. Cor. 2. v. 10.

Et vero Spiritum sanctum exercere operationes omnis generis, ac dona multiplicis ordinis hominibus distribuere clare docet Apostolus 1. Cor. 12. ubi enumeratis multis donis cœlestibus, *Divisiones operationum sunt*, ait v. 9. *idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicuique autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ &c.* & v. 11. *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Ex quibus manifestum istud est, Spiritum sanctum illum ipsum esse Deum, qui omnia operatur in omnibus; ac consequenter veram esse ab subsistentem personam, cui donorum cœlestium distributio, aliæque hujuscemodi operationes, quæ personarum sunt, adscribuntur.

Reponunt Sociniani cum Wolkelio Lib. 4. de vera Religione c. 14. ex his operationibus certo inferri non posse Spiritum sanctum veram esse ac subsistentem personam, quia scilicet operationes illæ personales Spiritui sancto tribuuntur a Scriptura per figuram prosopopejæ, qua veluti persona inducitur loquens, cum tamen vera persona non sit. Duobus autem testimoniis & nonnullis exemplis figuram hanc probare conatur Wolkelius ibid.

Ve-

Verum nullo negotio refellitur ista Socinianorum evasio: 1. quia Spiritui sancto in Scripturis tribuuntur, idque constanter & ubique, illæ actiones quæ a solis personis elici possunt, & quæ puris qualitatibus seu accidentibus nusquam adscriptæ leguntur, v. g. *intelligere*, *velle*, *deliberare*, &c. 2. Si figurata esset Scripturæ locutio, nec reipsa Spiritus sanctus vera foret persona, istud procul dubio alicubi significasset sacer Contextus; neque enim cum tanto periculo & scandalo Fidelium de illo tanquam de vera subsistente persona tam constanter mentionem feciisset. 3. Si semel licitum fuerit Scripturæ verba ad figuram prosopopejæ deflectere, nihil erit tam firmum ac certum quod funditus non evertatur; ac poterit perditus aliquis ipsiusmet Christi personalitatem impugnare, & ea quæ de ipso dicuntur, de sapientia Dei per figuram prosopopejæ dicta esse contendere.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Spiritus sanctus non tantum a Patre & Filio distinctus, sed etiam alius, & ab utroque missus dicitur.

Joan. 14. v. 16. & cap. 15. v. 26. & 27. *Ego rogabo Patrem*, ait Christus, *& alium paracletum dabit vobis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* Quis porro dixerit eum qui a Patre & Filio distinctus, qui alius est, ac mittitur, veram non esse cum Patre & Filio personam? Accedit & *paracleti* nomen, quod Spiritui sancto proprium videtur, ac veram supponit personam: sicut enim nomen istud officium personale in Christo denotat,

tat, quatenus apud Patrem intercessorem & patronum nostrum agit; ita quoque & in Spiritu sancto, quatenus personaliter Patris & Filii paracletus apud nos, id est, interpres, munus obit consiliarii & consolatoris.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Spiritus sanctus eadem exterius cum Patre & Filio operatur.

Ex operationibus externis Patris & Filii recte infertur Patrem & Filium duas esse distinctas personas, si ergo Spiritus sanctus eadem exterius cum illis operetur, veram quoque personam illum esse affirmandum. Ita porro esse constat. Matth. 28. v. 12. Baptismus ex æquo dandus præscribitur, *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* 2. Cor. 13. v. 13. Spiritus sanctus cum Patre & Filio conjungitur in benedictione Apostolica quam Corinthiis precatur Paulus: *Gratia*, inquit, *Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Spiritus sancti cum omnibus vobis.* 1. Joan. 5. v. 7. Spiritus sanctus simul cum Patre & Filio dicitur in Cœlo testimonium dare: *Tres sunt qui testimonium dant in Cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Porro his in locis Patrem & Filium veras esse personas adversarii non diffitentur; ergo & sanctum quoque Spiritum veram personam esse fateantur necesse est.

Unum hic addi potest, scilicet, proprium esse personarum, non qualitatum, non accidentium, aut attributorum, speciem quamdam visibilem assumere, sub qua se conspiciendas exhibeant. Apparuit autem Spiritus sanctus in Baptismo Christi, *sub specie co-*

lum-

lumbæ, Matth. 3. v. 17. in die Pentecostes, *sub specie linguarum*, quæ visæ sunt dispertitæ instar ignis insidentis super capita Apostolorum, Act. 2. v. 3. Ergo Spiritus sanctus vera est ac subsistens persona.

SECUNDA CONCLUSIO.

Spiritus sanctus verus est Deus Patris & Filio consubstantialis.

Conclusionem hanc tum e Scripturis, tum e Traditione demonstrabimus.

Probatur 1. *ex Scripturis.*

Argumenta ex Scripturis, quibus Spiritus sancti divinitas invicte adstruitur, ex tribus potissimum fontibus hauriemus:

I. ex nomine ac natura Dei.
II. ex attributis divinis.
III. ex operationibus.

PRIMUM ARGUMENTUM.

Ex nomine & natura Dei.

Cui nomen & naturam Dei Scriptura proprie tribuit, ille verus est natura & substantia Deus: atqui Spiritui S. nomen & naturam Dei Scriptura proprie tribuit; ergo &c.

Major certa est, & a nobis superius demonstrata fuit Articulo I. hujusce quæstionis, expendendo primum ex Scripturis pro consubstantialitate Christi argumentum.

Minorem ex veteri Testamento cum novo collato sic evincimus: Qui in veteri Testamento *Jehovah* appellatur, ille ipse est qui in novo Spiritus sanctus dicitur: sed qui in veteri Testamento *Jehovah* appellatur,

est

est verus natura & substantia Deus, ergo Spiritus sanctus qui ille ipse est *Jehovah*, verus est natura & substantia Deus. Minor probatur. Isaiæ 6. v. 9. Deus (*Jehovah*) dixit Isaiæ: *Vade & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere &c.* atqui Act. 28. v. 25. Deus ille (*Jehovah*) Spiritus sanctus esse dicitur: *Bene Spiritus Sanctus locutus est per Isaiam ∴ Vade ad populum illum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* Ergo Spiritus sanctus verus est natura & substantia Deus.

Confirmatur primum istud argumentum ex novo Testamento.

I. Act. 5. v. 3. Ananiam, qui agri divenditi pretium integrum ad Apostolos non detulerat, sic Petrus alloquitur: *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, & fraudare de pretio agri? ∴ Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Ergo Spiritus sanctus, cui mentitus est Ananias, Deus est.

Mirum in modum Socinianos vexat ac torquet mox citatus Scripturæ textus.

1. contendunt, *Spiritus sancti* nomine intelligendos esse Apostolos in quibus habitabat Spiritus sanctus, quibus imponens Ananias, ipsimet Spiritui sancto imposuisse censendus est.

2. licet Ananias dicatur Spiritui sancto mentitus & Deo, exinde non sequi Spiritum sanctum esse Deum: neque enim valet ista ratiocinatio, Ananias mentitus est Deo, Ananias mentitus est eodem tempore Spiritui sancto; ergo Spiritus sanctus est Deus: sicut vitiosus est non absimilis iste syllogismus, Qui spernit Apostolos simul & spernit Chri-

Christum: sed hic homo spernit Apostolos; ergo Apostoli sunt Christus: cujus quidem ratio hæc est, quia potest quis mentiri Deo simul & Spiritui sancto, diversa ratione; Spiritui sancto immediate in Apostolis habitanti, & Deo mediate. Ita fere Crellius.

Refellitur utraque illa Crellii responsio.

Prima quidem: ubi enim legit unquam Crellius, Apostolos Spiritus sancti nomine donatos aliquando fuisse? Cum baptizamur in nomine Spiritus sancti, an quæso idem est ac nos baptizari in nomine Apostolorum? Pariter cum Spiritus sanctus dicitur e Cœlo descendisse, an ipsi Apostoli descendisse putandi sunt? Reipsa Spiritu sancto pleni erant Apostoli, & tamen Ananias, defraudando pretium agri divenditi, non ipsis Apostolis seu hominibus mentitus dicitur, sed Deo: *Non es mentitus hominibus*, inquit S. Petrus, *sed Deo*. quibus verbis Apostoli a Spiritu sancto secernuntur; igitur Spiritus sancti nomine Scriptura loco citato Apostolos non intelligit, sed Deum quem ab hominibus expresse distinguit.

Secunda responsio mera est fallacia, nobisque imponit. Hoc est argumentum nostrum: Ille cui Ananias mentitus fuit, est Deus: sed ille cui Ananias mentitus fuit, est Spiritus sanctus; ergo Spiritus sanctus est Deus. Syllogismus vero quem Crellius opponit, vitiosus est, qui aliquid in conclusione continet, quod non est in præmissis. Emendandus igitur est in hunc modum: Qui spernit Apostolos, Christum ipsum spernit: atqui hic homo spernit Apostolos; ergo spernit Christum: quæ conclusio recta est ac legitima. Verum Crellius per fraudem pro arbitrio

bitrio sophismata nobis imponit, ut ipse vera & putida sophismata rixandi animo nobis opponere possit.

II. Spiritus sanctus ab Apostolo, 1. Cor. 12. v. 16. *Deus* appellatur. *Divisiones operationum sunt*, ait, *idem vero Deus qui operatur omnia in omnibus*. Porro Deus ille, v. 11. dicitur Spiritus sanctus: *Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Ergo Spiritus sanctus vere Deus est.

III. denique ibidem cap. 3. v. 16. *Nescitis*, inquit, *quoniam templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & cap. 6. v. 19. *An nescitis quoniam membra vestra templum sunt Dei qui in vobis est?* Porro templum, ut & supremus adorationis cultus, soli Deo debetur; ergo Spiritus sanctus cujus nos templum sumus, Deus est.

Frustra reponunt Sociniani, Spiritui sancto, tanquam virtuti & efficaciæ Dei, templum deberi: namque constat ex mox probatis, Spiritum sanctum non esse meram Dei virtutem & efficaciam, sed esse veram ac per se subsistentem personam.

SECUNDUM ARGUMENTUM.

Ex divinis attributis.

Spiritui sancto divina conveniunt attributa: ergo vere Deus est.

Æternitas: jam enim ab initio creationis extabat; *ferebatur* enim *super aquas*: seu, ut alii vertunt, incubabat aquis, fœcunditatem ipsis impertiens. Gen. 1. v. 2.

Immensitas & ubique præsentia: Sap. 1. v. 7. *Spiritus Dominus replevit Orbem terrarum*,

rum. Psal. 138. v. 7. *Quo ibo a Spiritu tuo, & quo a facie tua fugiam.*

Omniscentia: 1. Cor. 2. v. 10. *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Joan. 16. v. 13. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.*

Omnipotentia: Psal. 32. v. 6. *Verbo Domini Cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus, omnis virtus eorum.* Unde Lucæ 1. v. 35. Spiritus sanctus dicitur *virtus Altissimi*, non essentialis aut attributalis, ut volunt Sociniani, sed personalis & subsistens.

Ad hæc momenta nihil aliud reponunt Sociniani, quam quod sæpius attritum a nobis jam fuit: scilicet, Spiritum sanctum esse Dei virtutem & efficaciam, non autem veram & subsistentem personam.

TERTIUM ARGUMENTUM.

Ex operationibus Dei propriis.

Dei opera vel naturæ sunt, vel gratiæ: utraque Spiritui S. tanquam auctori tribuuntur.

Opera naturæ, Creatio Gen. 1. v. 2. Psal. 32. v. 6. mox laudato. Conservatio & gubernatio rerum, Psal. 103. v. 30. *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur; & renovabis faciem terræ.* Operatio miraculorum, Matt. 12. v. 28. *In Spiritu Dei ejicio dæmones;* & 1. Cor. 12. v. 4.

Opera gratiæ: Christi conceptio, Lucæ 1. v. 35. Unctio & missio, Isaiæ 61. v. 1. Peccatorum remissio & regeneratio, 1. Cor. 6. v. 11. Regimen Ecclesiæ, Act. 13. v. 2. & cap. 15. v. 28. Collatio donorum. 1. Cor. 12. v. 7. Illuminatio, Ephes. 1. v. 17. & 18 Sanctificatio. 2. ad Thessal. 2. v. 13. & 1. Petri

tri. 1. v. 2. Diffusio charitatis, Rom. 5. v. 5. Resurrectio mortuorum, Rom. 8, v. 11.

Probatur 2. divinitas Spiritus sancti, ex Traditione SS. Patrum.

Quæ momenta nobis suppeditat Traditio, ea vel ex generalibus quibusdam Ecclesiæ usibus ac decretis, vel ex specialioribus SS. Patrum testimoniis deducuntur, quæ omnia hic paucis duntaxat indicabimus.

I itaque Traditio hæc constat ex forma Baptismi; baptizamur enim ex æquo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Argumentum istud sæpissime urgent SS. Patres, S. Athanasius Lib. de Spiritu sancto ad Serapionem, Didymus Lib. de Spiritu sancto, Hilarius Lib. 2. de Trinitate, Theodoretus Lib. 5. contra hæreses cap. de Spiritu sancto, S. Basilius Lib. 5. contra Eunomium cap. 10. S. Ambrosius L 1. de Spiritu sancto cap. 4. S. Augustinus Tract 6. in Joan.

II. ex precibus Ecclesiæ, quas Deo per Filium in Spiritu sancto oblatas fuisse testatur S. Justinus Apol. 2.

III. ex illa celebri & antiquissima glorificatione qua Ecclesiæ Hymni claudebantur, & etiamnum clauduntur his verbis, *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*; seu, *Gloria Patri cum Filio & Spiritu sancto*, vel, *per Filium in Spiritu sancto*; utroque enim modo antiquitus Doxologia terminabatur. Argumentum illud adversus Hæreticos urget imprimis S. Basilius Lib. de Spiritu sancto, cap. 25.

IV. Unanimis, illa Ecclesiæ fides vel ex eo maxime fit manifesta, quod statim ac quis Spiritus sancti divinitatem impugnare palam au-

ausus est, pro hæretico habitus fuit ab Ecclesia, nec alia via potuit Ecclesiæ communioni restitui, quam ejurata hæresi. Ita in Concilio Alexandrino anno 362. ab Hæreticis ad Ecclesiam redeuntibus postulabatur ut execrarentur Arianam hæresim, tum eos qui dicebant Spiritum sanctum esse creaturam. Ita S. Basilius Epist. 78. non prius Eustathium Sebastenum in communionem suam ascivit, quam Spiritus sancti divinitati subscripsisset. Idem erga Paulinum Antiochenum observavit Sanctus Epiphanius hæresi 77. Edit. vet. Tom. 2. pag. 89 & seq. To. 1 p. 1015.

V. Traditionem illam clare demonstrant multitudo SS. Patrum, quorum nonnulla testimonia proferre hic juvabit.

S. Justini Apolog. 2. *Filium*, inquit, *& Spiritum sanctum propheticum colimus & adoramus, & Deum solum adoramus.* Pag 56.

S. Irenæi Lib. 5. cap. 6. ubi ait hominem factum esse ad similitudinem Dei per manus Patris, id est, per Filium & Spiritum sanctum; & L. 4. cap. 33. alias 53. Spiritum sanctum eum esse ait, *qui ab initio in universis dispositionibus Dei adfuit hominibus, & futura annuntiavit, & præsentia ostendit, & præterita narrat.* pag. 163 col. 2. n. 5. pag 279 n. 1.

S. Cypriani Epistola ad Jubajanum: *Cum tres;* inquit, *unum sint, quomodo Spiritus sanctus placatus esse ei potest, qui aut Patris, aut Filii inimicus est.* pag. 125

Superfluum videtur multos alios hic congerere ejusdem Traditionis testes post duo Concilia generalia, Nicænum primum & Constantinopolitanum primum, a quibus fides illa Ecclesiæ clare & expresse cognita & declarata fuit.

Ni-

Nicænum Concilium in Symbolo fidei profitetur *se credere in Spiritum sanctum*; eadem igitur in Spiritum sanctum fides exigitur, quæ in Patrem & Filium: præcipuum autem fidei nostræ objectum, Deus est; ergo Spiritus sanctus, in quem credere tenemur, & Deus verus & summus.

Ann. 81 Concilium Constantinopolitanum primum, quod est secundum œcumenicum, adversus Macedonianos congregatum, expressius adhuc in Symbolo fidei Spiritus sancti divinitatem astruit his verbis, *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, ex Patre procedentem, & cum Patre & Filio adorandum & glorificandum, qui locutus est per Prophetas.*

To. 2. Con p. 893.

Quo autem tempore Orientales Constantinopoli congregati fidem divinitatis Spiritus sancti adversus impietatem Macedonii vindicabant, eamdem & Occidentales sub Damaso summo Pontifice Romæ coacti prædicabant & astruebant; & ita ex communi consensu Ecclesiæ utriusque, vere œcumenicum evasit Concilium Constantinopolitanum, quod centum duntaxat & quinquaginta Episcopis constabat.

Solvuntur Objectiones Socinianorum.

Objicies 1. cum Crellio & Wolkelio adversus primam Conclusionem: Spiritus sanctus frequenter in Scripturis appellatur Dei donum: ergo divina non est nec esse potest persona: nihil quippe potest esse sui ipsius donum.

Resp. distinguo ant. Spiritus sanctus dicitur donum Dei, personaliter ac subsistens, concedo:

cedo: accidentale, nego. Spiritus sanctus est quidem auctor donorum accidentalium a quibus distinguitur; ipse verum donum est Dei personale ac subsistens, quia a Deo Patre & Filio procedit. Ita Christus, quem Sociniani non negant esse veram personam, donum Dei dicitur Joan. 3. v. 16. imo & semetipsum donavit seu obtulit in redemptionem & salutem omnium hominum.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem, argumentum negativum quod proponit & urget Crellius: 1. Spiritus sanctus nunquam in Scripturis directe appellatur Deus, nusquam adorandus vel invocandus proponitur; 2. Cum Apostolus 1. Corinth. 8. v. 6. enumerat beneficia Dei in homines, Patris & Filii mentionem facit, nusquam Spiritus sancti; 3. Veteribus Philosophis incognitus fuit Spiritus sanctus, imo & primis Christianis. Act. 19. v. 2. cum Paulus baptizatos interrogasset, an Spiritum sanctum recepissent, responderunt: *Nequidem si Spiritus sanctus est audivimus.* Sed quod longe gravius videtur, ne in ipso quidem Concilio Constantinopolitano adversus Macedonium coacto, Spiritus sanctus Deus expresse ac directe nominatur.

Resp. ad primum, falsum esse Spiritum sanctum in Scripturis expresse Deum non appellari. Quid enim significant ista, quæ laudavimus, verba ex cap. 5. Act. Apost. v. 3. *Anania*, ait S. Petrus, *cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui sancto? .·. non es mentitus hominibus, sed Deo.* Spiritus ergo sanctus, cui Ananias mentitus fuerat, verus Deus est & appellatur.

Ad secundum, cum una vel altera nomi-

natur persona, alia non excluditur; illam excludi debere probare debuisset Crellius.

Ad tertium, mirum videri non debet, si Spiritus sanctus Philosophis veteribus cognitus non fuerit, tametsi cum Christianis commercio juncti fuissent; solebant enim Christiani obscurius de altissimis fidei nostræ mysteriis coram Paganis verba facere, ne forte ab illis irriderentur. Illi vero qui Paulo interroganti an Spiritum sanctum recepissent, responderunt, se nequidem audiviſse an sit Spiritus S. illi, inquam, Baptismo duntaxat Joannis baptizati fuerant, non Baptismo Christi: quapropter jubet Apostolus cap. 5. Act. Apost. eos baptizari Baptismo Christi.

In ipso autem Concilio Constantinopolitano, etsi Spiritus sanctus Deus expresse non appelletur, dicitur tamen cum Patre & Filio unam & consubstantialem habere naturam; illum cum Patre & Filio adorandum & conglorificandum; an non, quæso, idem est ac si expresse ac directe dixisset, *Spiritus sanctus est Deus.*

Objicies 3. Nonnulli ex veteribus sanctis Patribus vix Spiritum sanctum Deum appellare ausi fuere. S. Hilarius in Libris duodecim de Trinitate, a nomine Dei Spiritui sancto tribuendo abstinet.

S. præsertim Basilius non tantum eum Deum non appellat, sed Homil. 17. quæ est in sanctum Baptisma, negat Spiritum sanctum Deum esse dicendum. *Neque igitur*, inquit, *alienus est a gloria Dei Spiritus ex ineffabili ore ineffabiliter prolatus; neque ipse Deus est, sed Dei Spiritus, & apud Deum, qui & a Deo mittitur, & per Filium nobis suppeditatur.* Quapropter in suspicionem hæ-

Edit. vet. T. 1. pag. 571.

reseos

reseos a suis Monachis vocatum aliquando fuisse sanctum Basilium, patet ex Epistola ipsius 79. quam quidem accusationem merito diluit, quanquam a nomine Dei abstineat, cum de Spiritu sancto mentionem habet. Sancto Basilio adjungi debet ejus enconomiastes sanctus Gregorius Nazianzenus Oratione 22. quæ funebris est in laudem sancti Basilii, ubi cum ejus approbat rationem agendi, ad eum sententia accedere videtur. To. 1. Pag. 364

Resp. revera nonnullos e Veteribus ex œconomia noluisse Spiritum sanctum Deum expresse appellare, quod in iis versarentur temporum circumstantiis, in quibus ob præpotentem Hæreticorum factionem periculum erat, ne Catholici Præsules e suis Sedibus per vim dejecti, eas Hæreticis occupandas relinquerent. Hinc enim furebant in Catholicos Ariani, inde Macedoniani, qui, si juncto inter se fœdere vires omnes suas in Catholicos simul convertissent, gravissimum rei catholicæ damnum intulissent: quapropter ex prudenti œconomia tempori cedendum esse judicarunt, donec paulo sedato animorum furore, liceret aperte quod sentirent profiteri. Interim tamen non dissimulabant, imo palam in Scriptis declarabant unam & eandem esse Spiritus sancti cum Patre & Filio substantiam; eum inter creaturas non esse annumerandum; nos in nomine Spiritus sancti, perinde ac Patris & Filii baptizari, quod certe idem est, ac si Spiritum sanctum Deum appellassent.

QUÆSTIO QUINTA.

De divinis Processionibus.

QUæstionem præsentem in quinque Articulos distribuemus.

Primus erit de nomine & definitione divinarum processionum.

Secundus, de earum existentia & numero.

Tertius, de earumdem proprietatibus.

Quartus, de ipsarum principiis.

Quintus denique de discrimine processionis Filii a processione Spiritus sancti; seu quæ ratio sit, ut processio Filii sit & dicatur generatio, non item processio Spiritus sancti.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine & definitione divinarum Processionum.

VOx ista *processio*, generatim nihil aliud significat, quam originem, emanationem, emissionem; productionem unius personæ ab alia; sive ut loquitur sanctus Irenæus Lib. 2. adversus hæreses cap. 28. alias 48. *prolationem*, *nuncupationem*, *adapertionem*. Illa enim omnia synonyma sunt, ubi de origine seu processione personarum in Deo sermo instituitur. *pag. 258 n. 6*

Processio autem duplex distinguitur, una immanens, altera transiens.

Immanens terminum habet suo principio insitum & immanentem: talis est Filius Dei, qui est in Patre sicut Pater in ipso.

Transiens terminum habet a producente distinctum & extra illum positum: talis est

in

in creatis filius, qui a patre distinguitur & extra illum subsistit.

Rursus alia est physica seu imperfecta, & metaphysica seu perfecta.

Prior ea dicitur qua unum ab alio ita procedit, ut ab ipso pendeat, & natura, utpote accidens, differat: sic cum homo cogitat, verbum ex ejus mente procedit, ab homine pendens, naturaque ab eodem discrepans.

Posterior ea est, quæ citra dependentiam & naturæ differentiam fit; sic Verbum divinum a Patre æterno procedere fides docet.

De processione perfecta seu metaphysica hic loquimur, quæ recte definitur: Æterna unius personæ divinæ ab altera seu a duabus simul origo ac productio.

ARTICULUS II.

De existentia & numero Processionum divinarum.

Esse in Deo veras ex divina substantia processiones negarunt Hæretici quotquot vel personarum distinctionem, vel earumdem unitatem naturæ impugnavere, de quibus supra.

PRIMA CONCLUSIO.

Datur in Deo vera & proprie dicta processio.

Probatur 1. ex Scriptura. Psal. 109. v. 3. *Ex utero ante luciferum genui te.* Porro generatio sine aliqua processione concipi nequit.

Joan. 8. v. 42. *Ego ex Patre processi & veni*, inquit Christus. Quo loco verbo, *processi*, æternam suam generationem; verbo

autem, *veni*, temporalem in mundum missionem per Incarnationem designat.

Pater de Spiritu sancto dicitur Jo: 15. v. 26. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis; Spiritum veritatis qui a Patre procedit.*

Probatur 2. ex Symbolo Nicæno in quo Filius dicitur *Deus de Deo*, & Spiritus sanctus *de Patre procedere* asseritur.

Probatur 3. quia sunt in Deo plures personæ a se invicem distinctæ, ut ex dicendis constabit: atqui personarum distinctio fundatur in processione originis unius ab alia, juxta illud Scholæ effatum, *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Duæ sunt in Deo processiones.

Probatur 1. ex citatis mox Scripturæ testimoniis, in quibus non modo Verbi divini, sed etiam Spiritus sancti processio exprimitur.

Probatur 2. quia tot sunt processiones, quot sunt personæ procedentes: atqui duæ sunt personæ procedentes, nempe Filius & Spiritus sanctus, ergo duæ sunt in divinis processiones.

Probatur 3. Tot agnoscendæ sunt in agente intellectuali processiones, quot sunt facultates per quas agens intellectuale, qualis Deus est, potest intra se producere: sed illæ duæ sunt, intellectus scilicet & voluntas.

TERTIA CONCLUSIO.

Non sunt in Deo plures quam duæ processiones.

Probatur 1. ex Scripturis in quibus duæ duntaxat processiones memorantur.

Pro-

Probatur 2. Tot sunt in Deo processiones, quot sunt personæ procedentes: atqui duæ duntaxat sunt personæ divinæ procedentes; nempe Filius & Spiritus sanctus: Pater enim a nullo procedit: hinc dicitur Deus a se, a Scriptoribus Ecclesiasticis, ingenitus, innascibilis, principium sine principio, origo & fons totius divinitatis.

Probatur 3. Ut duæ sint duntaxat processiones, satis est quod in Deo sint solum duæ facultates immanenter operantes; & quod illæ facultates semper ac necessario agant: atqui 1. non sunt plures quam duæ facultates immanenter operantes, intellectus nempe & voluntas; 2. eæ facultates necessario agunt: Deus enim necessario intelligit & amat essentiam suam; 3. semper agunt, cum Deus non possit ab agendo *ad intra* abstinere ergo &c.

Et vero quidquid est infinitum, unicum est in suo ordine: atqui Verbum divinum, utpote terminus intellectionis divinæ, est infinitum; Spiritus quoque sanctus, qui terminus est divinæ volitionis est infinitus; ergo unicum est in Deo Verbum, unicus Spiritus sanctus; ergo non plures quam duæ processiones, ex quarum una Verbum, ex altera Spiritus sanctus procedunt.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam conclusionem: Deus est ens a se, seu nullam sui causam, nullum principium agnoscit: ergo procedere ab alio non potest.

Resp. dist. ant. Deus est ens a se, ratione essentiæ seu naturæ quæ nec ab alio procedit, nec generat nec generatur, concedo: est a se

ratione personæ, iterum distinguo: per exclusionem veræ causæ ac dependentiæ, concedo: per exclusionem originis seu processionis ab alio, adhuc distinguo: Deus Pater, concedo: ille quippe fons est & origo divinarum personarum quæ ab ipso procedunt, ipsa vero ab alio non procedit, unde per appropriationem appellatur *Deus a se*. Deus Filius & Spiritus sanctus, nego. Filius enim est a Patre, Spiritus sanctus a Patre & Filio. Porro cum Deus simpliciter dicitur ens a se, spectatur ratione essentiæ seu naturæ divinæ designatæ: ipsæ enim personæ Filii & Spiritus sancti aliquam sui originem, principium aliquod agnoscunt.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem: Quod infinitum est, unicum sit oportet. Hinc Dei unitatem probant Veteres, quod sit ens infinitum: duo autem esse non possunt, nec compati simul infinita; ergo cum processio in Deo infinita sit, unica esse debet.

Resp. dist. ant. Quod est infinitum, unicum est in suo ordine, &, ut dicitur, intensive, concedo. Ita quia processio per intellectum infinita est, unica quoque est, & unicum producit Verbum: idem dicendum de processione per voluntatem. Quod infinitum est, debet esse unicum extensive, & in alio quocumque ordine, nego. Ita processio per intellectum non excludit processionem per voluntatem, imo hanc importat, & utraque in suo ordine, ac quasi specie infinita est.

Instabis 1. Prima processio totam naturam communicat & exhaurit; ergo alteri processioni locum non relinquit.

Resp. dist. ant. totam exhaurit naturam, & non totaliter, seu non omnimodo, neque

in

in quolibet ordine; concedo: totam & totaliter, ac in quolibet ordine, nego.

Objicies 3. contra tertiam Conclusionem: Etsi vis spiritandi in Patre sit infinita & exhausta per processionem Spiritus sancti, nihilominus tamen Filio communicatur, qui simul cum Patre Spiritum sanctum producit, ergo etsi vis intelligendi Patris exhausta sit per generationem Verbi, quidni poterit Verbum aliud Verbum producere, & ita in infinitum?

Resp. nego conseq. & paritatem. Disparitas est quod Verbum accipiat intelligendi facultatem jam suiipsius productione exhaustam; non autem accipiat voluntatem termini sui processione exhaustam. Scilicet in illo priori instanti originis quo Pater producit Filium, nondum (nostro concipiendi modo) intelligitur exhausta ipsius vis spirandi; quia nondum intelligitur spirasse Spiritum sanctum, qui cum secundus sit origine a Filio, ab ipso ut & a Patre tanquam ab unico principio procedit. At intelligendi vis omnino exhausta est per productionem termini infiniti, Verbi scilicet divini, quod unicum sufficit, nec aliud est possibile.

Objicies 4. Fœcunditas quæ in generandi & spirandi facultate posita est, summa est in Deo perfectio; ergo si generandi facultate careat Filius, & utraque Spiritus sanctus, ipsis deerit summa aliqua perfectio: atqui personis divinis nulla deesse potest perfectio; ergo &c.

Resp. dist. ant. summa est perfectio in natura divina, concedo: in persona divina, subdistinguo: in persona Patris, concedo: in persona Filii & Spiritus sancti, nego.

Itaque fatemur 1. summam hanc esse naturæ divinæ perfectionem, quod fœcunda sit per intellectum & voluntatem. Fatemur 2. hanc esse quoque summa in Patre perfectionem. Fatemur 3. in Filio etiam perfectionem esse quod spirandi vim habeat. Verum in Patre utraque perfectio relativa est, ut & in Filio spirandi vis ipsi cum Patre communis: porro perfectiones relativæ nec postulant nec possunt esse omnes in singulis personis divinis; relata enim sibi opponuntur & sese invicem excludunt.

Neque tamen exinde sequitur Patrem perfectiorem esse Filio, & Filium Spiritu sancto: non enim minor est perfectio Filio quod generetur, quam Patri quod generet; idem dicendum de Spiritu sancto. Quam porro quævis persona divina perfectionem relativam non habet *formaliter*, hanc habet *identice*, propter naturæ ejusdem communionem, ut infra exponemus.

Quod autem Filius Verbum aliud non generet, & Spiritus sanctus alium voluntatis terminum non producat, id non ex defectu & impotentia oritur, imo potius ex summa & infinita eorum perfectione. Ideo enim Filius aliud Verbum non generat, quia ipse est Verbum infinitum adæquans totam naturæ divinæ in eo genere fœcunditatem; sic & Spiritus sanctus cum divinam exhauriat voluntatem, non potest alium producere ejusdem voluntatis terminum. Ita fere objectionem propositam solvunt SS. Patres, S. Gregorius Nazianzenus Orat. 37. S. Augustinus Lib. 2. adversus Maximinum.

Objicies 1. Subsistentia Patris, imo & omnes ejus perfectiones ab ejus divina essentia pro-

profluunt; ergo totidem sunt processiones distinctæ; ergo longe plures sunt in Deo processiones quam duæ.

Resp. dist. antecedens: Subsistentia Patris & omnes ejus perfectiones fluunt a divina essentia, tanquam a radice & fundamento, per simplicem, ut ajunt, metaphysicam, virtualem & improprie dictam emanationem, quomodo proprietates ab essentia fluere seu emanare dicuntur, concedo: fluunt ab essentia, tanquam a principio productivo & per emanationem physicam ac proprie dictam, quomodo Filius & Spiritus sanctus in Deo producuntur; ergo.

ARTICULUS III.

De divinarum Processionum proprietatibus.

CONCLUSIO.

Divinæ processiones immanentes sunt, æternæ, substantiales, necessariæ, metaphysicæ, ab omnibus creatæ productionis imperfectionibus longius sepositæ ac segregatæ.

Probantur singulæ partes.

I. Sunt immanentes, quia earum termini, Filius scilicet & Spiritus sanctus, in ipso Deo sunt; Joan. cap. 10. v. 18. *Pater in me est, & ego in Patre.* Ratio aperta est, quia intellectus & voluntas facultates sunt immanentes, quæ terminos habent internos & sibi intime conjunctos.

II. Sunt æternæ, quia ipsi Deo coævæ. *Egressus ejus* (Filii) *ex diebus æternitatis.* Mich. 5. v. 2. Idem prorsus dicendum de Spi-

ritu sancto. Sicut enim Pater seipsum ab æterno cognoscendo, producit Verbum: ita Pater & Filius seu Verbum sese mutuo amore prosequendo, producunt Spiritum sanctum, qui amor est seu charitas increata substantialis.

III. Sunt substantiales, id est terminos habent subsistentes ac personales, non vero accidentales & adventitios, quales sunt in nobis termini intellectionis & volitionis; in Deo quippe nihil est accidentale, adventitium nihil.

IV. Sunt necessariæ, quia ab illis temperare se non potest divina essentia; necessitate quippe naturæ Deus se ipsum cognoscit & amat.

V. Sunt metaphysicæ, hoc est citra omnem mutabilitatem, dependentiam aut naturæ diversitatem: divinæ siquidem processiones in suo conceptu important duntaxat originem unius personæ ab alia; absque ulla mutatione sive in subjecto, sive in termino; absque ulla prioritate temporis aut naturæ in una persona, absque ulla dependentia, divisione, partitione, separatione, sectione essentiæ; uno verbo, absque ulla earum imperfectionum quæ physicam productionem semper comitantur.

Ex quo inferes quam immerito Ariani divinam Verbi generationem ex humana metientes, illam tot imperfectionibus obnoxiam esse contenderent. Eos hac in parte refellunt sanctus Athanasius Epistola de Decretis Nicænæ Synodi, & S. Hilarius Lib. 7. de Trinitate,

AR-

ARTICULUS IV.

De principiis divinarum Processionum.

PRÆNOTANDA.

Observandum 1. duplex vulgo distingui a Philosophis actionis principium; unum *quod*, & est ipsum suppositum agens; alterum *quo*, & est forma per quam agit: quæ cum duplex sit, remota & proxima, duplex quoque distinguitur principium *quo*, remotum unum, & est ipsa natura; proximum alterum, & est naturæ facultas aut potentia. Sic v. g. Petrus intelligens est principium *quod*; anima rationalis est principium *quo* remotum, & intellectus est principium *quo* proximum intellectionis.

Observandum 2. quamvis in Deo, utpote simplicissimo, persona, natura, intellectus, voluntas, intellectio, volitio, sint reipsa quid unum & idem; nihilominus tamen Theologos in subsidium infirmitatis nostræ, atque ut mysterium SS. Trinitatis commodius exponant, singula ista mente secernere, idque cum fundamento in re, propter summam scilicet divinæ naturæ perfectionem, qua fit ut etsi omnino simplex, pluribus tamen distinctis æquivaleat.

His autem factis per mentem distinctionibus, varia divinarum processionum principia statuunt iidem Theologi.

Observandum 3 constare apud omnes Theologos, principium *quod* esse ipsammet personam producentem: principium vero *quo* remotum, naturam esse. Sed difficultas est

1. circa principium *quo* proximum, an nem-

nempe sit intellectus & voluntas, an immediate ac per se divina essentia præcisa ab operationibus vitalibus intellectus & voluntatis; aut aliud quodcumque.

II. supposito quod intellectus & voluntas sint principium immediatum ac proximum divinarum processionum, quærunt idem Theologi, per quos actus intelligendi & volendi personæ procedunt: an per illos qui essentiales appellantur, & communes sunt tribus personis divinis; an vero per actus qui notionales dicuntur, seu personales, & proprii sunt personarum, ut v. g. intelligendo verbum producere.

Opiniones Scholæ.

Circa primam quæstionem in tres potissimum partes Schola dividitur.

Prima opinio est Durandi Lib. 1. sent. dist. 6. qu. 2. ubi docet, principium immediatum & proximum divinarum processionum esse naturam divinam quatenus est fecunda & infinita, non vero quatenus est intelligens ac volens.

Secunda opinio eorum est, qui solas relationes originis assignant pro immediato ac proximo principio divinarum processionum. Dicitur esse S. Bonaventuræ & aliorum nonnullorum.

Tertia aliorum est vulgo Theologorum, qui statuunt intellectum & voluntatem esse principia proxima divinarum processionum, actiones vero productivas esse intellectionem & volitionem, prout connotant relationes, vel tanquam conditiones duntaxat necessarias, vel tanquam comprincipium; neque enim de his omnes consentiunt. Quippe cum ge-

generandi facultas & ipsa generatio Patri, spiratio autem activa Patri & Filio propriæ sint, unus vero in tribus personis sit intellectus, una intellectio, una voluntas, una volitio omnibus communis, necesse est assignare aliquid quo fiat ut intellectio Patris producat non intellectio Filii. Quid porro illud est? An intellectio essentialis? sed tribus personis illa communis est. An intellectio notionalis? sed quid illa sit, quidve addat intellectionis essentialis quæritur. An relatio tanquam mera conditio? An relatio tanquam comprincipium? Itaque

Circa secundam quæstionem Scotus in 1. dist. 2. q. 7. existimat intelligere, & dicere seu producere in Deo duos esse actus virtute distinctos, quorum primus essentialis dicitur, secundus vero notionalis: per essentialem terminum non produci affirmat, sed per notionalem; hincque rationem reddit, cur Filius intelligendo non producit, quia nempe intelligit tantum intellectione essentiali, non vero notionali. Sed dubium supereſt, quid sit illa notionalis intellectio.

Alii itaque Theologi putant essentialem, & notionalem intellectionem non distingui ut actus a se plane diversos; sed notionales actus esse ipsosmet essentiales, quatenus connotant relationes sibi proprias. Atque ita generatio est ipsamet divina intellectio affecta relatione paternitatis, adeo ut intellectio notionalis ab essentiali se tota non differat, sed tantum ut includens ab inclusa.

Sed rursus supereſt quæstio, quas nempe partes habeat illa relatio; an meræ conditionis non activæ, an comprincipii. Mire profecto hæc arguta & subtilia sunt, sed his non inutili-

ter

ter Schola nostra occupatur, quibus & aliquando occupati fuere antiquiores Doctores, ipsa subtilium Hæreticorum astutia, calliditate ac pervicacia compulsi. Itaque fit

PRIMA CONCLUSIO.

Essentia divina, præcisis per mentem intellectu & voluntate, non est per sese principium *quo* proximum & immediatum divinarum processionum.

Probatur 1. ex Scripturis, a quibus Filius appellatur Verbum Joan. 1. *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum.*∴ *Verbum caro factum est.* Porro verbum proxime ac immediate est ab intellectu.

Probatur 2. ex SS. Patribus, qui affirmant Filium ex intellectu seu mente Patris procedere.

T. 1. p. 236. S. Basilius Hom. 6. in illud, *in principio erat Verbum. Cur Verbum?* inquit, *ut perspicuum sit processisse ex mente.*

T. 1. p. 390. S. Gregorius Nazianzenus Orat. 36. *Verbum porro dicitur*, inquit, *quia ita se habet ad Patrem, ut sermo ad mentem.*

S. Augustinus Lib. 15. de Trinitate, postquam plura de Verbo divino disseruit, tandem cap. 13. ait, *Verbum natum est.*∴ *de Patris scientia, de Patris sapientia.*

T. 8. p. 984.

Quod de Verbo seu Filio divino per intellectum, idem & de Spiritu sancto per voluntatem procedente affirmant SS. Ecclesiæ Doctores, quem appellant *amorem, dilectionem & charitatem mutuam Patris & Filii.* Amor autem & charitas ad voluntatem pertinet.

Probatur 2. duplici maxime Theologica ratione.

Pri-

Prima hæc est, quia essentia per sese ac immediate non operatur, sed per suas facultates: hinc, commune istud ac receptum in Scholis effatum, *Essentia nec producit nec producitur, nec generat, nec generatur.* Quod axioma confirmavit Concilium Lateranense sub Innocentio III. adversum Abbatem Joachimum.

Secunda ratio est: quia in sententia Durandi vix ulla reddi ratio potest 1. cur processio Filii prior fit origine processione Spiritus sancti; 2. cur Spiritus sanctus a Filio procedat, potius quam Filius ab ipso, namque essentia divina ex sese immediate ac proxime pariter fœcunda est ad Filium & ad Spiritum sanctum producendum; 3. cur processio Filii fit & appelletur generatio, non autem processio Spiritus sancti; utraque siquidem æque immediate ac proxime ab essentia fluit, juxta Durandi sententiam; 4. cur duæ tantum sint, non una duntaxat, aut etiam plures & infinitæ in Deo processiones. Namque processiones illæ immediate ab essentia dimanant, quatenus est infinite fœcunda; ergo vel una processione infinita exhauritur, vel infinitis numero processionibus opus est, ut ejus fœcunditas exhauriatur.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Natura divina seclusis per mentem facultatibus intelligendi ac volendi, fœcunda esse intelligitur, utpote infinita; ergo iis præcisis concipi debet ut principium divinarum processionum.

Resp. dist. ant. Natura divina præcisis per mentem facultatibus intelligitur fœcunda, remote ac radicaliter, concedo: proxime ac im-

immediate, nego. Natura etenim non cogitatur in Deo fœcunditatem istam exercere, nisi per proprias sibi facultates.

Objicies 2. Naturæ creatæ per sese agunt & producunt; ergo a fortiori natura divina.

Resp. nego ant. Media enim semper intercedit naturam inter & actionem potentia seu facultas.

Objicies 3. Patres passim prædicant Filium a Patre generari per naturam, quo fit ut dicatur Filius naturalis; ergo principium *quo* proximum generationis Filii est natura divina.

Resp. dist. ant. per naturam, id est, per operationem quæ non fit libera; sed naturalis & necessaria, concedo: per naturam tanquam per principium proximum, per exclusionem intellectus, nego. Hoc unum itaque contra Arianos volunt illi SS. Patres, scilicet Verbum divinum non esse Filium Dei adoptivum, seu naturalem: quod ut evincant, asserunt ipsum procedere per naturam, id est, per operationem naturalem ac necessariam. Quod si alicubi dixissent Filium procedere per naturam, tanquam per principium, id de remoto principio, non de proximo intelligendum esset.

SECUNDA CONCLUSIO.

Solæ relationes divinæ non videntur esse principium *quo* proximum & immediatum divinarum processionum.

Probatur 1. quia principium *quo* proximum alicujus processionis illud statui debet, in quo res procedens similis est principio unde procedit, ac personæ procedentes simi-

les

les non sunt in relationibus, imo potius per eas a se invicem distinguuntur; ergo &c.

Probatur 2. quia principia divinarum processionum actuosa esse debent: atqui relationes natura sua nihil omnino agunt; ergo &c.

Et vero relatio v. g. paternitatis, vel spectatur ut est forma hypostatica Patris, vel quatenus est formaliter relatio, seu quatenus est respectus ad Filium: atqui neutro modo spectata dici debet principium *quo* divinarum processionum.

Non ut est forma hypostatica, sub ea enim ratione Patrem quidem constituit; sed nihil omnino producit.

Non etiam quatenus est respectus ad Filium, sic enim non est origine prior ipso Filio: relata enim sunt simul natura & cognitione, ut vulgare fert axioma: principium autem debet concipi origine prius eo quod producitur.

Solvuntur Objectiones.

Objiciunt 1. Docent vulgo SS. Doctores, Patrem divinum hypostasi Filium generare: ergo per relationem paternitatis; ergo relatio est in Deo principium processionis.

Resp. dist. ant. Pater generat Filium hypostasi, tanquam per principium *quod*, concedo: tanquam per principium *quo*, nego. Porro unice agimus hic de principio *quo*, non de principio *quod*: omnes enim conveniunt, principium *quod* processionis Filii esse ipsum Patrem, seu personam Patris.

Objicies 2. Illud est generationis Filii principium, a quo habet prima persona ut sit Pater: atqui id habet a sola paternitate; ergo sola paternitas est principium generationis Filii.

Resp.

Resp. dist. maj. a quo, ut a principio agendi ac generandi habet, ut sit Pater, concedo: a quo ut forma hypostatica, nego. Porro prima persona habet ut sit Pater ab ipsa paternitate, ut a forma hypostatica, non vero ut a principio formali ac proximo generationis.

Objicies 3. Principium generationis Filii debet distingui a Filio genito: atqui solæ relationes in Deo distinguuntur; ergo &c.

Resp. dist. maj. principium *quod*, concedo: principium *quo*, subdistinguo: secundum aliquid sui, aut sibi adjunctum, concedo: omni ex parte, nego: imo cum principium *quo* sit id in quo terminus genitus debeat, assimilari personæ generanti, profecto quo profectior est generatio: eo perfectior erit assimilatio.

TERTIA CONCLUSIO.

Intellectus & voluntas sunt principia proxima divinarum processionum.

Probatur 1. ex iis Scripturæ testimoniis quæ prima Conclusione retulimus.

Probatur 2. ex SS. Patribus ibidem adductis.

Probatur 3. duplici potissimum ratione Theologica.

Prima hæc est: Ex sancto Thoma hic art. 4. divinæ processiones debent proxime manare ab iis facultatibus quæ solæ in agente spirituali sunt operativæ ad intra: atqui intellectus & voluntas sunt hujusmodi; ergo &c.

Secunda sic potest proponi. Ea sententia præ ceteris assumenda est, qua posita facili negotio explicantur quæcumque pertinent ad processiones divinas: atqui talis est sententia quæ statuit intellectum & voluntatem pro prin-

principiis divinarum processionum. Hac enim posita, quam commode fieri potest explicatur 1. cur sint processiones in Deo; quia nempe facultates in agente spirituali non debent esse otiosæ & inertes; 2. quare duæ sunt tantum processiones, nec plures, nec pauciores; respondetur quia duæ sunt tantum facultates activæ in Deo, intellectus & voluntas; 3. cur processio Filii prior sit processione Spiritus sancti; eo quod intellectus actio voluntati semper præire debeat; 4. cur denique processio Filii generatio sit, potius quam processio Spiritus sancti; nimirum quia intellectus vi sua assimilativus est, non item voluntas.

Dices: Illud non est principium *quo* proximum generationis in Patre divino, quod commune est tribus personis divinis: atqui intellectus divinus (idem dicendum de voluntate divina) communis est tribus personis divinis; ergo intellectus non est principium generationis Filii, nec voluntas processionis Spiritus sancti.

Resp. dist. min. intellectus divinus communis est tribus personis divinis, quatenus essentialiter spectatur, id est, in se præcise & sine ulla adjuncta originis relatione, concedo: quatenus notionalis est, id est, quatenus adjunctam habet originis relationem, nego. Porro fatemur intellectum & voluntatem in Deo non producere, nisi quatenus notionales sunt, id est, modificantur & determinantur relationibus originis.

At, inquies, intellectus affectus paternitate, vel est aliquid absolutum, vel est aliquid relativum: si primum, per illum Pater non generat, intellectus enim sic sumptus erit aliquid

quid commune: si vero intellectus ille dicatur aliquid relativum, jam non poterit esse principium generationis Verbi, propter rationem superius adductam, sic enim non facit, sed supponit terminum generationis: relatio siquidem ex Philosophis exurgit ex fundamento & termino.

Resp. intellectum divinum esse principium generationis Filii, quatenus afficitur paternitate, non ut est formaliter relatio, sed ut est forma hypostatica: porro intellectus sic spectatus nec communis est tribus personis nec supponit Filium genitum.

QUARTA CONCLUSIO.

Intellectus & voluntas non sunt principia proxima divinarum processionum, nisi notionaliter sumpti, hoc est, quatenus adjunctas habent relationes sibi proprias.

Probatur; quia principium *quo* processionum debet esse simul & distinctum a termino producto, & assimilativum. Porro in Deo sola intellectio & volitio non distinguitur a terminis productis quibus communis est: sola etiam relatio non est assimilativa, imo relationibus personæ a se invicem distinguuntur; ergo intellectio, volitio & relatio simul sunt in Deo proximum & immediatum principium divinarum processionum.

QUINTA CONCLUSIO.

Relationes adjunctæ intellectui, & voluntati non comprincipii influentis, sed conditionis duntaxat ad productionem necessariæ, rationem obtinent.

Pro-

Probatur, quia ex dictis & probatis supra, relatio ex sese activa non est.

SEXTA CONCLUSIO.

Intellectio & volitio notionales ab essentialibus non distinguuntur ex æquo & adæquate, ut actus ab actibus; sed inadquate duntaxat, ut includens & inclusum.

Probatur prima pars: quia actus notionales dicere & spirare, essentialiter in suo conceptu formali includunt intellectionem & volitionem.

In mente enim ac doctrina S. Augustini L. 7. de Trinit. c. 1. Pater formaliter constituitur dicens per Verbum quod producit: at verbum est ipsa formaliter cognitio, aut, si volueris, formalis terminus cognitionis per quam rerum perceptio fit; ergo dicere est formaliter cognoscere.

Probatur secunda pars: quia actus notionalis, v. g. *dicti*, peculiare aliquid addit supra intellectionem essentialem, scilicet relationem originis, nempe paternitatem. Unde fit ut licet Filius & Spiritus sanctus intelligant, ipsis tamen non competat dictio.

Differunt itaque, nostro intelligendi modo, intelligere & dicere, diligere & spirare, non sicut duæ rationes particulares, quo pacto dicimus divina attributa differre inter se conceptu objectivo saltem inadæquato & magis vel minus explicato, sed sicut includens & inclusum: qua ratione in divinis persona differt ab essentia, quia illam includit, & addit modum peculiarem seu relationem, qua essentia contrahitur ut sit & concipiatur persona.

Quod

Quod diximus de intellectione & volitione, idem, proportione servata, dicendum de intellectu & voluntate essentialiter & notionaliter sumptis.

ARTICULUS V.

De discrimine processionis Filii a processione Spiritus sancti: seu quare processio Filii sit & dicatur generatio, non processio Spiritus sancti.

ARduam profecto ac implicatam, si quæ sit, quæstionem aggredimur: cur nempe Verbum divinum Filius sit potius quam Spiritus sanctus; cur processio Filii dicatur generatio, non autem processio Spiritus sancti.

Quo autem implicata magis est præsens quæstio, eo majori studio & industria in ea solvenda sese exercuerunt Scholæ Theologi.

Definitio generationis.

Generatio, inquiunt, est *origo viventis a vivente principio conjuncto, in similitudinem naturæ*: addunt aliqui, majoris expositionis causa, *ex vi processionis*.

Dicitur 1. *origo*, id est processio, emanatio, prolatio; quæ vox generalis est; nec in suo conceptu ullam mutationem, aut passionem & divisionem naturæ importat.

Dicitur 2. *viventis a vivente*: namque tum qui generat, tum qui generatur vivens esse debet; unde a vera generationis ratione excluduntur, quæcumque veram in se vitam non habent, ut pili, ungues &c.

Dicitur 3. *principio conjuncto*; id est decisa aliqua parte naturæ seu substantiæ illius qui generat, quale est semen in animali, per quod ge-

generans aliqua sui parte conjungitur cum eo quem generat. Hujus conditionis defectu, productio Evæ ex costa Adami vera non fuit generatio; mere quippe passive se habuit Adamus, nec agendo quidquam Evæ communicavit.

Dicitur 4. *in similitudinem naturæ*: est enim hic generationis finis; ut terminum producat similem in natura saltem specifica: unde filius imago Patris appellatur.

Dicitur 5. *vi processionis* formaliter: nempe non tantum ad veram generationem necesse est terminum similem esse generanti, sed etiam facultatem per quam terminus generatur, ex sese tendere ad communicandam naturæ similitudinem quam clausulam idcirco adjiciunt, ut efficiant Verbum ideo esse Filium, quia procedit per intellectum, cujus proprium est terminum sibi assimilare.

Hac præsupposita generationis definitione, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Processio Verbi divini dicenda est generatio. Est de fide.

Probatur 1. Scripturæ testimoniis. Psal. 2. v. 7. *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Isaiæ 53. v. 2. *Generationem ejus quis enarrabit?* Joan. 1. v. 18. *Unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Ex his sic arguo: Ea processio merito dicitur *generatio*, cujus principium est *Pater*, terminus vero *Filius*: atqui principium processionis Filii est *Pater*, terminus vero *Filius*; ergo &c.

Probatur 2. ex Symbolis Apostolico, Nicæno & Athanasiano, in quibus verbum dicitur, *Filius Dei unicus*, *unigenitus*, &c.

Probatur 3. quia definitio generationis antea adducta, seclusis omnibus imperfectionibus creatæ generationis, processioni Filii recte congruit.

I. Est origo, id est, emanatio, processio. Joan. 8. v. 42. *Ego ex Deo processi.*

II. Est viventis a vivente. Joan. 5. v. 26. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit Filio habere vitam in semetipso.*

III. Est a principio conjuncto. Joan. 14. v. 10 *Non creditis quia ego in Patre, & Pater in me est?*

IV. denique, est in similitudinem; imo in unitatem naturæ. Joan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum sumus.* Idque vi ipsa processionis, ut paulo post ostendemus.

SECUNDA CONCLUSIO.

Sola processio Verbi dicenda est generatio.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ disertis verbis pronuntiat Verbum esse Filium Dei unigenitum. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Idem habetur Joan. 4. v. 18. & 1. Joan. 4. v. 9.

Probatur 2. ex Ecclesiæ decretis, quibus confixi sunt ii qui plures filios in Deo admisere: de quo vide SS. Augustinum Apologia 2. Athanasium in Sabellianos, Optatum Lib. 4. &c.

Probatur 3. unanimi Patrum consensu, quos late refert Petavius Tom. 2. Lib. 7. c. 13.

Probatur denique, quia Spiritus sanctus procedit ut similis in natura, materialiter duntaxat & identice, non autem formaliter & vi processionis, procedit enim per voluntatem, quæ ex se non est facultas sui assimilativa.

Hæc

Hæc ultima ratio, licet utcumque probabilis, non est tamen certa ac convincens, ut patebit ex mox dicendis.

TERTIA CONCLUSIO.

Nulla potest afferri ratio quæ evidens sit, & undequaque satisfaciat, cur sola processio Filii dicenda sit generatio, non autem Spiritus sancti.

Probatur 1. generatim iis omnibus tum Scripturæ, tum Patrum testimoniis Quæstione prima adductis, ut probaremus mysterium SS. Trinitatis sola ratione duce cognosci ac demonstrari non posse.

Probatur 2. speciatim iis SS. Patrum textibus qui Conclusionem nostram diserte adstruunt.

S. Athanasius Oratione 3. quæ est 2. contra Arianos n. 36. *Nec*, inquit, *investigare convenit quomodo Verbum ex Deo est quove modo splendor sit Dei, aut quomodo gignit Deus, quisve ille sit Dei gignendi modus. Insanus enim is est æstimandus, qui ista scrutari non verebitur, quippe qui existimes rem inexplicabilem divinæque propriam naturæ, soli Deo ac Filio cognitam, posse verbis exprimi.* T. 1. p. 503.

S. Hilarius Lib. 2. de Trinitate, loquens, de generatione Filii, ait; *Ego nescio, non requiro, & consolabor me tamen, Archangeli nesciunt, Angeli non audierunt; sæcula non tenent, Propheta non sensit, Apostolus non interrogavit, Filius ipse non edidit; cesset dolor querelarum.* Pag. 733.

S. Ambrosius Lib 1. de fide ad Gratianum c. 10. *Mihi impossibile est*, inquit, *generationis* (Filii) *scire secretum: mens deficit, vox silet, non mea tantum, sed & Angelorum.* T. 2. p. 456.

Licet scire quod natus sit; non licet discutere quemadmodum natus sit. Illud negare mihi non licet, hoc quærere metus est.

Ex quibus testimoniis colligitur, illos sanctos Patres; si quas interdum protulere rationes discriminis inter generationem Filii & processionem Spiritus sancti, satis significasse has sibi non omnino certas visas fuisse, & quæ undequaque satisfacerent.

Probatur 3. expendendo præcipuas causas ac rationes, quas celebriores tum veteres, tum recentiores Theologi proferunt discriminis quod reperitur inter generationem Filii & processionem Spiritus sancti; qui enim eas æquo animo ponderaverit, aperte perspiciet, nec evidentes esse, nec omni ex parte plene satisfacere.

Expenditur opinio Richardi a Sancto Victore.

Richardus a S. Victore Lib. 6. de Trinitate cap. 18. Alensis 1. par. qu. 42. membro 2. Major in 1. Sent. dist. 3 qu. unica, & alii nonnulli discrimen generationis Filii a processione Spiritus sancti ex eo repetendum arbitrantur, quod Filius accipiat a Patre naturam fœcundam ad producendum Spiritum sanctum: Spiritus vero sanctus naturam exhaustam accipiat & expertem fœcunditatis; cum alium non producat. Quapropter conditionem istam in definitione generationis appositam, *in similitudinem naturæ*: ajunt iidem Theologi intelligendam esse, non tantum de similitudine in substantia & essentia, sed etiam in modo præcipuo operandi, qui proprius est viventium: hoc est, ut omne vivens aliud producens, radicalem saltem fœcunditatem ipsi communicet.

Ve-

Verum ista Richardi & aliorum expositio sufficiens non videtur, ac gravissimas patitur difficultates.

Refellitur 1. ex natura ac definitione generationis, quæ fœcunditatem per se non postulat. Eo enim quispiam filius esse censetur, quo similem naturam accepit a patre: fœcunda autem ne fit natura, an non, generationi omnino extrinsecum & adventitium esse existimatur.

Refellitur 2. Si Verbum, ut Filius sit, debet esse fœcundum, profecto eo modo fœcundus esse debet, quo Pater fœcundus est: at Filius non ita fœcundus est, ac ipse Pater. Nam Pater ita fœcundus est, ut per mentem Filium generet, & per voluntatem Spiritum sanctum producat: atqui non ita fœcundus est Filius, nihil enim per intellectum producit, nec alterum Filium generat; ergo &c.

Refellitur 3. quia si in ista fœcunditate reponeretur naturæ similitudo quam generatio postulat, inde sequeretur, Spiritum sanctum nullatenus esse similem cum Patre & Filio; siquidem nulla ex parte fœcundus est.

Expenditur opinio sancti Bonaventuræ.

S. Bonaventura in Lib. 1. Sent. dist. 13. q. 2. asserit idcirco secundam SS. Trinitatis personam esse Filium genitum, quia procedit secundum naturam, nempe per intellectum; Spiritum vero sanctum, non esse Filium, quia procedit per voluntatem.

Verum nec ista propositio satisfacit. Namque procedere secundum naturam, vel idem est quod procedere necessario, non autem libere; vel idem est ac procedere ex fœcunditate divinæ naturæ, ut ipse S. Bona-

ventura ibidem exponit: atqui nullus ex his modis sufficienter exponit discrimen generationis Filii a processione Spiritus sancti.

Non primus: quia Spiritus sanctus necessario; non libere intra Deum procedit; non potest quippe Deus seipsum & Filium amore mutuo ac reciproco amando, abstinere a producendo Spiritu sancto, qui est amor personalis & substantialis Patris & Filii.

Non secundus: quia Spiritus sanctus æque ac Filius ex natura divina ut principio remoto procedit; igitur adducta S. Bonaventuræ explicatio nodum non solvit.

Expenditur Scoti opinio.

Scotus L. 1. Sentent. dist. 13. q. unica, censet processionem Filii reipsa generationem esse; ac distingui a processione Spiritus sancti.

Verum ista responsio difficultatem fugit, non solvit. Scimus equidem duas illas processiones distingui, sed rationem seu causam quærimus hujusce distinctionis seu discriminis; quare scilicet una sit generatio, non altera, discrimen autem illud Scotus non assignat.

Expenditur opinio Vasquesii.

Vasques Disput. 113. 1. partis cap. 7. & alii nonnulli existimant Verbum divinum idcirco Filium esse, quia perfecta est ac essentialis imago Patris, omnes ejus proprios ac personales characteres exprimens.

Itaque in Filio (quod observa) distingunt hi Theologi rationem imaginis expressivæ characterum personalium a similitudine naturæ vi processionis acceptæ; atque Filium divinum non ideo præcise genitum esse volunt, quia vi processionis naturam similem a

Pa-

Patre accipit, sed quia præter similitudinem in natura proprios ac personales Patris characteres repræsentat.

Refellitur ista responsio. Namque ratio generationis essentialiter non postulat aliam similitudinem quam in natura, ergo Filius non ideo est genitus, quia repræsentat characteres proprios ac personales Patris.

Et vero potest quispiam alterum repræsentare, aut tamen ejus esse filius: econtra autem potest quis esse filius ejus, cui nec vultu nec corporis conformatione similis sit; non ergo requiritur ut Filius dicatur genitus, sicuti volunt adversarii: ratio imaginis expressivæ omnium proprietatum singularium ac personalium Patris.

Expenditur opinio Suaresii.

Suares L. 11. de Trinit. cap. 6. nu. 14. aliique recentiores docent, processionem Verbi idcirco generationem esse, non vero processionem Spiritus sancti, quia Verbum procedit per intellectionem actualem, quæ gradus est specificus ac ultima differentia divinæ naturæ; Spiritus vero sanctus per volitionem actualem, quæ supponit naturam divinam jam constitutam.

Verum hæc quoque ratio sufficiens non videtur; falso enim nititur fundamento, nempe intellectionem actualem esse ipsummet gradum specificum, ac ultimam veluti differentiam divinæ naturæ, quod quidem in Tractatu de divinis Attributis propugnari non posse, hoc potissimum argumento demonstravimus, quia gradus specificus ac ultima differentia, est in re qualibet quid primum, proprium, fonsque ceterorum: porro intellectio actualis

præsupponit intelligendi facultatem; facultas autem ipsa, naturam.

Expenditur opinio sancti Thomæ.

S. Thomas 1. p. q. 27. art. 1. & 2. & q. 34. ar. 2. & alii vulgo Scholæ Magistri, docent processionem Filii esse generationem, quia fit per intellectum, cujus proprium est assimilare sibi terminum; processionem vero Spiritus sancti fieri per voluntatem, quæ ex natura sua non tendit ad similitudinem, sed ad unionem duntaxat. Rationem hanc exponit Angelicus Doctor his verbis: *Processio Verbi in divinis habet rationem generationis, procedit enim per modum intelligibilis actionis, quæ est operatio vitæ, & a principio conjuncto, & secundum rationem similitudinis, quia conceptio intellectus est similitudo rei intellectæ & in eadem natura existens.* 1. p. q. 2. art. 3.

Doctissimus Petavius Theologicorum dogmatum Lib. 3. cap. 14. nonnulla in confirmationem opinionis D. Thomæ SS. Patrum adducit testimonia, in quibus affirmat Verbum idcirco Filium esse, quia est expressio seu verbum mentis.

Verum ista etiam expositio plane certa non videtur, ac gravissimis subjacet incommodis.

I. quia certum non est apud omnes, intellectum, cum intelligit, producere seu efformare intra se speciem quamdam seu verbum mentis, quod sit viva & formalis objecti repræsentatio. Ita quidem opinantur Peripatetici, sed alii Philosophi dubitant.

II. Non est de ratione intellectus ut fit, prout abstrahit a divino & humano, ut assimilet sibi terminum in natura; sed tantum ut assimilet, ut vocant intentionaliter, quomodo

modo ergo habebit Verbum divinum quod sit Filius Patris consubstantialis, præcise ex eo quod procedat per intellectum?

III. Ex adducta ratione videtur sequi, Spiritum sanctum vi suæ processionis formaliter æquo jure dici debere Filium, ac Verbum ipsum.

Quod sic ostenditur: Ille formaliter ac vi processionis Filius dici potest perinde ac Verbum, qui tam similis est in natura divina vi suæ processionis formaliter, quam ipsum Verbum; atqui talis est Spiritus sanctus. Namque qui formaliter ac vi suæ processionis est Deus unus cum Patre & Filio, ille formaliter similis est in natura cum Patre & Filio, sed Spiritus sanctus formaliter vi suæ processionis Deus est. Tum, quia formaliter & vi processionis est persona subsistens ac divina, vel enim est accidens, & aliqua qualitas; vel aliquid vere subsistens: prius absurdum est & impium; ergo est quid subsistens, non alia profecto subsistentia, quam divina. Tum quia formaliter procedit per voluntatem divinam, quæ ex sese tendit ad unionem perfectissimam seu substantialem; ergo & ad similitudinem: nihil quippe tam simile est alteri, quam quod unam habet cum ipso naturam.

Neque est quod afferatur, voluntatem ex sua formali ratione hoc tantum habere ut producat terminum intentionalem, seu affectum quemdam, pondus, unionem metaphoricam.

Namque esto voluntas generatim, quatenus abstrahit a divina & humana, hoc tantum assequatur, at saltem voluntas divina formaliter & ex se producit terminum substan-

tialem ac personalem, Deum nempe ipsum, personam scilicet Spiritus sancti: alias non absimili argumento probari posset, intellectum divinum producere duntaxat verbum intentionale, non substantiale; quia nempe intellectus ut sic, prout abstrahit a divino & humano, tendit tantum ad similitudinem intentionalem.

Sicut ergo tenentur respondere, intellectum divinum producere verbum substantialem; ita vel inviti fateantur necesse est, voluntatem divinam ex se producere unionem non modo affectivam & metaphoricam, sed veram & substantialem. Porro qui producit terminum unum in natura cum Patre, producit similem: quid enim, ut jam diximus, tam simile alteri, quam quod unum est natura cum ipso? Igitur in opinione, quam hic expendimus, Spiritus sanctus perinde dici potest similis Patri, & consequenter Filius, ac Verbum ipsum.

Longe igitur satius videtur, tum refellendis Hæreticorum cavillationibus, tum dignitati & altitudini hujusce mysterii magis accommodatum, si sepositis iis, quæ vulgo proferuntur, rationibus, ex una fide statuamus discrimen quidem esse inter generationem Filii, & processionem Spiritus sancti, sed cujus causam ac rationem certam & quæ undequaque satisfaciat, plane ignoramus.

QUÆSTIO SEXTA.

De divinis Relationibus.

TOtam de relationibus divinis controversiam tribus Articulis absolvemus, in quibus discutienda hæc nobis sunt.

I. An

I. An sint, quid & quot in Deo relationes? An veræ perfectiones?

II. An & quomodo distinguantur tum ab essentia, tum a se invicem?

III. Quod sit earum in Deo officium, quæ partes?

ARTICULUS PRIMUS.

An, & quid sint in Deo Relationes: quot numero? An veræ perfectiones?

An sint in Deo veræ Relationes?

RElatio generatim est ordo unius ad alterum. Sunt in Deo relationes quædam tribus personis communes: v. g. relatio identitatis, æqualitatis, similitudinis: de his non est hic quæstio. Aliæ vero sunt propriæ ac personales, quæ vulgo vocantur relationes originis, quia nempe fundantur in origine seu processione unius personæ ab alia: tales sunt paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva. De his hic loquimur.

Quæstio igitur est, an sint in Deo admittendæ veræ ac reales originis relationes. Eas negavit Præpositivus, qui inter primos Scholasticæ Theologiæ Doctores floruit. Ita refert S. Thomas hic qu. 32. art. 2.

CONCLUSIO.

Sunt in Deo veræ ac reales relationes originis.

Probatur 1. Ex dictis Quæstione superiori, sunt in Deo veræ processiones; sed illæ concipi non possunt sine relationibus originis, per quas persona producens refertur ad per-

sonam productam; Pater scilicet ad Filium; Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad Patrem & Filium.

2. Sunt in Deo tres personæ realiter distinctæ: atqui distinctio personarum in divinis fundatur in relatione originis; ergo &c.

Probatur denique, quia sunt in personis divinis proprietates quædam singulares ac peculiares quibus illæ constituuntur ac distinguuntur, sicut ostendemus tertio hujus Quæstionis Articulo; sed proprietates illæ communes non sunt, nec absolutæ; ergo sunt relativæ; ergo sunt in Deo veræ ac personales relationes originis.

Quid sint in divinis Relationes originis. An reales sint, subsistentes, &c.

Duplex generatim est relatio, una rationis, altera realis.

Rationis relatio dicitur, quæ ungitur ab humana mente interea quæ suapte natura ad invicem non referuntur, qualis est relatio generis & speciei, prædicati & subjecti: relatio vero realis est, qua unum a parte rei ad aliud ordinatur nemine cogitante, ut relatio identitatis, æqualitatis, &c domini ad servum, quæ realis dici potest, quia revera est, licet non essentialis ac necessaria.

Rursus alia est relatio subjecto accidentalis, extrinseca & adventitia, qualis est in creatis relatio hominis generantis ad filium quem generat; neque enim essentiale est homini ut filium habeat seu generet: alia vero est essentialis & interna, cujusmodi est relatio creaturæ ad Creatorem.

Rursus in omni relatione Philosophi duplex esse distinguunt, unum quod vocant esse

in,

in, seu subjectivum, ratione scilicet subjecti in quo est relatio; alterum quod dicunt esse *ad*, seu terminativum, ratione termini quem relatio respicit.

Quæstio est quales sint divinæ relationes. An adventitiæ & externæ? An essentiales ac subsistentes? An reales secundum utrumque esse *in*, & esse *ad*? Sunt enim qui cum Paludano in 3. dist. 1. q. 2. & Capreolo in 1. dist. 33. art. 1. existimant relationes divinas esse quidem reales secundum esse *in*, non vero secundum esse *ad*.

CONCLUSIO.

Originis relationes in Deo accidentales non sunt, nec adventitiæ; sed essentiales, internæ, subsistentes, & omni respectu veræ ac reales.

Prima pars probatur: tum quia relationes originis in Deo sunt ipsamet realiter & identice divina substantia: tum quia concipiuntur a nobis tanquam formæ quædam seu proprietates peculiares, ac characteres quibus personæ in se constituuntur & a se invicem distinguuntur, ut mox exponemus: tum denique, quia omne accidens physicum naturæ superadditum imperfectionem aliquam involvit: omnis autem vel imperfectionis umbra procul est a Deo.

Secunda pars, nempe relationes divinas originis, omni respectu, hoc est, tum secundum esse *in*, tum secundum esse *ad*, reales esse.

Probatur: Illas reales esse secundum esse *in*, nullus Catholicus in dubium revocat, reales autem esse etiam secundum esse *ad*, constat, tum ex momentis mox adductis, quæ simpliciter & absolute, nullo facto di-

discrimine, relationes illas reales esse ac subsistentes demonstrant, tum quia sub ea ratione debent esse reales, qua personas constituunt, & a se invicem distinguunt, & ad sese mutuo referunt: atqui istud non præstant nisi secundum suum esse *ad*, ut vocant; ergo isto etiam respectu reales sunt divinæ relationes originis.

Dices: Licet Deus creaturas produxerit, nullam tamen relationem realem ad illas habet; ergo nec ad Filium a se genitum.

Resp. nego conseq. & paritatem. Ratio discriminis est quod actio, per quam Deus creaturas produxit, sit Deo extrinseca ac transiens: unde extrinsecam duntaxat creatoris denominationem ipsi infert: productiones vero divinarum personarum sunt internæ, substantiales, æternæ, & ejusdem naturæ terminos habent.

Quot sint in Deo numero Relationes originis.

Concors hic est Theologorum doctrina, quatuor scilicet in Deo esse relationes originis.

CONCLUSIO.

Quatuor duntaxat in Deo sunt relationes originis, scilicet paternitas, filiatio, spiratio activa & spiratio passiva.

Probatur: quia ex dictis, duæ tantum sunt in Deo processiones, una per intellectum, altera per voluntatem: sed ex duabus processionibus necessario resultant quatuor relationes. Namque ubi sunt duæ productiones, ibi sunt duæ relationes personarum producentium, & duæ personarum quæ producuntur:

tur: sic in Patre est relatio paternitatis ad Filium; in Filio relatio filiationis ad Patrem, in Patre & Filio relatio spirationis activæ ad Spiritum sanctum, & in Spiritu sancto relatio spirationis passivæ ad Patrem & Filium, per quas relationes divinas personas in se constitui in ratione personæ, & a se invicem distingui, inferius ostendemus.

Dices: Si plures admittantur in Deo relationes, quæ sint formæ quædam internæ ac subsistentes, fatendum erit plures quoque in Deo esse formas internas, speciales ac proprias divinarum personarum: ac consequenter aliquam esse in Patre, quæ non sit in Filio & vicissim. Atqui utrumque istud pariter absurdum videtur.

Resp. dist. maj. fatendum erit plures esse in Deo formas internas & subsistentes, metaphysicas & relativas, concedo: physicas & absolutas, nego. Porro relationes divinæ non sunt neque concipiuntur a nobis velut formæ seu entitates quædam superadditæ, ab essentia realiter distinctæ, absit; una quippe est in tribus personis ac simplicissima divinæ naturæ entitas: sed concipiuntur a nobis per modum formæ seu modi metaphysici, quo natura ultimo terminatur ac contrahitur ad hanc vel illam personam: quæ formæ vel modificationes ab ipsa essentia realiter non distinguuntur, sed virtualiter duntaxat ob summam Dei simplicitatem & infinitatem.

An Relationes divinæ sint perfectiones.

Controversia movetur duntaxat de relationibus divinis secundum esse *ad*: nemo quippe dubitat, eos secundum esse *in*, seu subjective sumptas, veras esse perfectiones.

Ob-

Observa, inter perfectiones alias esse quæ dicuntur simpliciter simplices; alias vero simplices.

Perfectio simpliciter simplex dicitur a S. Anselmo, ea quæ melior est ipsi enti quatenus est ens, quam non ipsa, id est, quam habere melius est, quam non habere, vel ejus oppositam: Ita sapientia, bonitas, æternitas sunt ac dicuntur perfectiones simpliciter simplices.

Perfectio vero simplex ea dicitur, quæ, vel aliquam imperfectionem includit, & quæ consequenter melius est carere; vel est incompossibilis cum æquali vel majori in eodem subjecto: ita paternitas in Deo est perfectio simplex: non quod imperfecti aliquid admixtum habeat, sed quod compati simul non potest cum alia relatione opposita in eodem subjecto. Ita paternitas simul stare non potest cum filiatione.

Sunt qui cum Scoto, Durando, Cajetano, negant relationes divinas aliquam formaliter dicere perfectionem.

Sunt contra qui cum Gabriele, Suare &c. affirmant.

CONCLUSIO.

Relationes divinæ formaliter ut relationes sunt, ac secundum esse *ad*, veræ sunt ac reales perfectiones.

Probatur 1. auctoritate

S. Cyrilli in Thesauro, ubi conceptis verbis ait, Patrem esse perfectum, non tantum quia Deus est, sed etiam quia Pater est.

S. Damasceni Lib. 1. de fide orthodoxa c. 11. qui existendi modum personæ, id est, re-

relationem, expresse perfectionem appellat.

S. Thomæ q. 40. art. 3. ad 1. ubi ait, proprietates personales quibus distinguuntur personæ, ad dignitatem personæ constitutæ pertinere.

Probatur 2. quia quidquid reale est, atque id omne habet quod in suo gradu seu ordine postulat & exigit, illud perfectum est: atqui ex dictis, relationes originis in Deo reales sunt, & id omne habent quod ex sua formali ratione postulant & exigunt; erga &c.

Præterea: Quod divinam naturam certo modo seu certa quadam ratione afficit, terminat, complet ac ultimo contrahit, quod divinas personas in ratione personæ constituit, illud in ordine suo & secundum rationem formalem perfectum est: atqui tales sunt divinæ relationes originis; ergo &c.

Dices: Ex Conclusione nostra sequitur, unamquamque personam aliqua carere perfectione, relatione scilicet sibi opposita, quæ juxta nos vera est perfectio: ita Pater caret filiatione, Filius paternitate, Spiritus sanctus spiratione activa.

Resp. 1. nego maj. quia una est numerica in tribus personis divina essentia, cui omnes perfectiones tum absolutæ tum relativæ insunt; ac consequenter una persona non est alia perfectior, neque proprie aliqua caret perfectione, cum eamdem habeat divinam essentiam quæ omnem in se perfectionem continet.

Resp. 2. dist. maj. sequitur, unamquamque personam aliqua carere perfectione relativa, esto: perfectione absoluta, nego. Porro licet una persona opposita sibi perfectione relativa careat, non idcirco tamen alte-

altera minus perfecta dici potest: quia æque summe perfecta est filiatio, v. g. in Filio, quam paternitas in Patre, propter summam divinarum relationum in essentia divina identitatem.

Resp. 3. singulas personas esse quid idem cum essentia divina, quæ vicissim est quid idem cum singulis personis: atque adeo nulla est perfectio in singulis personis, quæ eadem non insit naturæ. Porro tres personæ naturam eandem habent; ac proinde unaquæque persona omnes habet aliarum personarum perfectiones, etiam relativas, materialiter saltem & identice, id est quatenus cum essentia divina identificantur.

ARTICULUS II.

An & quomodo Relationes divinæ tum ab essentia, tum a se invicem distinguantur.

RElationes divinæ comparari possunt vel cum essentia, vel inter se. Si inter se, vel comparantur cum relationibus oppositis, v. g. paternitas cum filiatione, spiratio activa cum passiva: vel cum relationibus disparatis & minime oppositis, qualis est spiratio activa comparata cum paternitate & filiatione.

Supponimus hic, quod in Tractatu de Attributis exposuimus, aliam scilicet esse distinctionem realem, seu majorem, seu minorem, seu modalem; aliam formalem Scotisticam; aliam denique rationis & virtualem.

Supereſt igitur duplex evolvenda quæstio. Prima, an relationes originis quæ sibi mutuo

tuo opponuntur, realiter inter se distinguantur.

Secunda, an spiratio activa realiter distinguatur a paternitate & filiatione.

PRIMA CONCLUSIO.

Relationes divinæ ab essentia divina realiter non distinguuntur.

Probatur: Ex vulgato Scholæ pronuntiato, *Omnia in divinis sunt quid unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio*: atqui nulla occurrit oppositio essentiam inter & relationes; ergo &c. Qui plura hac de re voluerit, adeat Tractatum de Attributis, ubi egimus de divinorum Attributorum distinctione.

SECUNDA CONCLUSIO.

Relationes originis quæ sibi mutuo opponuntur; paternitas, filiatio, & spiratio activa comparata cum passiva, realiter inter se distinguuntur.

Probatur: quia relationes illæ mutuam inter se dicunt oppositionem: neque enim fieri potest ut qui pater est, idem sit sui filius; alias suimetipsius foret pater, quod plane absurdum est.

Præterea, divinæ personæ plures sunt, & ab invicem realiter distinctæ per relationes originis, ut constat ex dictis, ergo illæ relationes originis realiter inter se distinguuntur.

TERTIA CONCLUSIO.

Spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate & filiatione, sed virtualiter tantum.

Pro-

Probatur 1. ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. c. *Damnamus*. Extra. *De Summa Trinitate*: ubi adversus Abbatem Joachimum statuitur, non esse in Deo rerum quaternitatem: at suppositа reali distinctione inter activam spirationem & paternitatem ac filiationem, esset vera rerum quaternitas in Deo, scilicet paternitas, filiatio, spiratio passiva, & spiratio activa.

2. Ex dictis hic sæpius, nulla est in divinis distinctio, nisi ubi est oppositio relativa: atqui nulla est oppositio relativa inter spirationem activam, & paternitatem & filiationem: disparatæ quidem illæ sunt, ac diversæ relationes, sed non oppositæ. Ratio est, quia oppositio in divinis fundatur in reali processione originis unius ab alio: & spiratio activa realiter ac per veram originem non procedit a paternitate & filiatione, sicut procedit spiratio passiva, seu Spiritus sanctus; unde consequenter realis est distinctio inter spirationem activam & passivam, seu melius inter Patrem & Filium spirantes, & Spiritum sanctum spiratum seu productum, non autem inter spirationem activam, & paternitatem & filiationem.

Superest igitur, ut dicamus spirationem activam, & paternitatem ac filiationem virtualiter duntaxat inter se distingui, quomodo cetera attributa tum a se invicem, tum ab essentia virtute distinguuntur, quia rebus realiter distinctis æquivalent, ac terminos producunt æque distinctos realiter, ac si realiter inter se attributa illa distinguerentur.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra tertiam Conclusionem: Ea distinguuntur realiter, quæ distinctos producunt terminos, quorum unum personam constituit, alterum vero non constituit, quorum denique unum est communicabile, alterum vero incommunicabile: at sic se habet paternitas & filiatio comparata cum spiratione activa.

I. Paternitas alium habet terminum, quam spiratio activa: hæc Spiritum sanctum, illa Filium.

II. Paternitas constituit personam Patris, non ita spiratio activa, unde personalis dici non solet.

III. Paternitas est incommunicabilis, spiratio vero activa Filio communicatur.

Resp. nego maj. Distinctio quippe virtualis fundata in summa perfectione & eminentia divinæ naturæ sufficit, ut tria illa propositæ difficultatis capita solvantur.

Ad primum; Una & eadem res in se indistincta potest distinctos terminos seu effectus producere: Unus & idem sol diversos ac distinctos effectus producit, una & eadem arbor distinctos fructus, unus & idem homo distinctos filios: quidni ergo una & eadem entitas divina, quæ simul & paternitas est & spiratio activa, distinctum terminum habere poterit? Scilicet tanta non requiritur in principiis distinctio, quanta reperitur in terminis.

Ad secundum: Qua ratione concipimus unam & simplicissimam in se Dei essentiam, propter suam eminentem perfectionem pluribus distinctis æquivalere, adeoque eam com-

communicari prout absoluto, non communicari prout relativo æquivalet: eadem ratione dicimus, paternitatem, etsi indistinctam realiter a spiratione activa, constituere Patrem in ratione personæ, spirationem vero non constituere.

Ratio est quia, juxta nostrum intelligendi modum, Pater prius intelligitur pater generans Filium; quam spirator producens Spiritum sanctum. Quid ita? quia Filius per intellectum: Spiritus vero sanctus per voluntatem procedit: at nostro intelligendi modo prior est origine processio per intellectum, quam processio per voluntatem.

Ad tertium ideo paternitas est incommunicabilis Filio, quia ipsi oppositа est relative; at spiratio activa non opponitur Filio: unde cum Pater Filium producendo id totum ipsi communicet in quo nulla est inter ipsos oppositio, necesse est ut vim spirandi seu producendi Spiritum sanctum communem cum illo habeat.

Objicies 2. Spiratio activa quæ est in Filio, est a Patre; ergo a paternitate distinguitur.

Resp. dist. ant. Spiratio activa quæ est in Filio, est a Patre per communicationem, quomodo essentia Filii a Patre quoque est per communicationem, & simplicem, ut vocant, emanationem, concedo: est a Patre tanquam ab origine ac principio producente, nego.

Instabis 1. Spiratio passiva nullam habet oppositionem cum paternitate & filiatione, & tamen ab iis realiter distinguitur; ergo.

Resp. dist. ant. Spiratio passiva nullam habet immediatam oppositionem cum paternitate ac filiatione, concedo: nullam habet

op-

oppositionem mediatam, nego. Namque paternitas & filiatio adjunctam habent spirationem activam, qua mediante opponuntur relative Spiritui sancto.

Instabis 2. Tam spiratio activa in Patre mediante paternitate opponitur filiationi, quam filiatio mediante spiratione activa opponitur spirationi passivæ.

R. nego maj. & paritatem. Disparitas est, quod Filius, mediante spiratione activa producat Spiritum sanctum: contra vero Pater, mediante spiratione activa non producat Filium; atque ita nulla inter relationes illas esse potest oppositio nec immediata, nec mediata.

ARTICULUS III.

Quod sit Relationum in Deo officium, quæ partes? An & quomodo divinas personas constituant, & a se invicem distinguant?

STATUS QUÆSTIONIS.

AD statum præsentis disputationis rite cognoscendum nonnulla prius observanda sunt.

Observandum 1. in Patre Filium generante hoc considerari posse: 1. essentiam, quæ est principium *quo* remotum generationis; 2. intellectum, qui est principium *quo* proximum; 3. intellectionem, quæ est actio ipsa generans, seu ipsa generatio; 4. persona Patris, quæ est principium *quod*; 5. denique, relatio Patris ad Filium, quæ duobus & ipsa modis spectari potest, nempe vel ut est formaliter & explicite relatio referens Patrem

trem ad Filium, vel ut est forma hypostatica constituens Patrem in ratione communi personæ.

Observandum 2. relationes, cum personis inhæreant simul, & eas ad alias personas referant, sub duplici respectu concipi posse: 1. secundum esse *in*, seu quatenus inhærent; 2. secundum esse *ad*, seu quatenus alias respiciunt.

Observandum 3. relationes divinas, si ut in se reipsa sunt, considerentur, easdem tribus simul officiis fungi: 1. constituunt divinas personas; 2. actus notionales determinant ad productionem, & ad eam requiruntur; 3. personas ad se invicem referunt. V. g. paternitas 1. Patrem constituit, 2. Patris intellectionem ad generationem determinat; 3. Patrem refert ad Filium.

Verum cum hæc omnia per mentem distingui possint ac debeant, hinc relationes illæ juxta nostrum concipiendi modum per inadæquatos conceptus spectantur: 1. ut formæ quædam hypostaticæ, seu quatenus personas constituunt; 2. ut origines; seu quatenus actus notionales ad productionem determinant; 3. ut sunt *formaliter* relationes; seu quatenus actu personas ad se invicem referunt.

Observandum denique, nomine proprietatis personalis nihil aliud a nobis hic intelligi, quam specialem ac singularem formam quæ cuilibet inest divinæ personæ, eamque in se constituit, & ab alia relative opposita distinguit. His prænotatis,

Duo hic in quæstionem veniunt:

Primum, an sint in divinis personis proprietates quædam speciales ac personales, quibus

bus illæ in se constituantur, & ab aliis distinguantur: an absolutæ illæ sint, vel relativæ? Secundum, quomodo relationes divinæ constituant personas; an quatenus sunt formæ hypostaticæ, & secundum esse *in*; an quatenus sunt formaliter relationes, & secundum esse *ad*? Circa quam controversiam divisi sunt Scholæ Theologi.

PRIMA CONCLUSIO.

Sunt in Deo proprietates personales quibus personæ divinæ constituuntur; atque relativæ illæ sunt, non absolutæ.

Duæ sunt partes Conclusionis.

Probatur prima pars: 1. ex communi ac recepto Scripto Scriptorum Ecclesiasticorum & Ecclesiæ ipsius usu. Veteres enim id per quod personæ divinæ distinguuntur, vocant formas, notiones, characteres, proprietates, personarum qualitates. Ita

Tertullianus Lib. contra Praxeam, cap. 2. ait, *tres esse in Deo non statu sed gradu, non substantia, sed forma.* pag. 307

S. Basilius Lib. 2. contra Eunomium, sic illas proprietates describit: *Proprietates*, inquit, *quæ veluti quidam characteres ac formæ in substantia considerantur, id quod commune est distinguunt quidem propriis characteribus; at substantiæ communitatem non dirimunt.* To. 1. pag. 163

Denique Ecclesia in solemni Præfatione Missæ de Trinitate sic canit: *ut in personis proprietas, in essentia unitas, & in majestate adoretur æqualitas.*

Probatur 2. quia debet aliquid admitti quo persona in esse personæ constituatur & distinguatur a qualibet alia: sed id quod con-

stituit & distinguit rem aliquam, ejus proprietates solet appellari, quia illius propria est ac singularis, ergo admitti debent in Deo proprietates personales quibus personæ divinæ constituuntur & distinguuntur.

Secunda pars probatur duplici invicto argumento, ex duobus fidei nostræ principiis deducto.

Primo. Ex fide certum est, opus Incarnationis Verbi esse a Tota Trinitate, tanquam ab efficiente causa: non minus ex eadem fide constat, solum Filium incarnatum fuisse; quia solus hypostatice unitus est cum natura humana, unio porro illa perfecta non fuit immediate in ea natura quæ communis est Patri & Spiritui sancto, alias dici posset eos pariter incarnatos fuisse; ergo unio illa perfecta fuit immediate in eo quod est Filio proprium & singulare.

Secundo, Docet Catholica fides, duas esse in Christo Domino impermixtas naturas, in unitate suppositi: at ruit istud fidei nostræ caput, si verum est, quod contendit Au-
Faydit. ctor recentior, personam seu hypostasim Filii non esse realem in ipso proprietatem. In Filio enim nihil aliud quidquam deprehenditur præter naturam divinam, & proprietatem illam personalem: at illa proprietas realis non est in mente hujus Scriptoris; ergo sola supereſt natura quæ in Incarnatione unita fuit; ac consequenter falso affirmatur, duas esse in Christo naturas in unitate suppositi, nisi forte velit ille, nomen personæ seu hypostaseos denominationem duntaxat esse extrinsecam, quod certe & absurdum foret & a fide prorsus alienum.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

Persona divina in ratione communi & quasi generica personæ considerata, constituitur per relationem ut est forma quædam hypostatica; seu per relationem, secundum esse *in* spectatam: at vero considerata in ratione quasi specifica talis personæ, constituitur per relationem formalem, quatenus respicit terminum, seu per relationem secundum esse *ad* spectatam. V. g. Pater in ratione communi personæ concipitur a nobis constitui per paternitatem; quatenus est forma hypostatica: Pater vero in ratione explicita & singulari Patris constituitur, per respectum ad Filium.

Duæ sunt Conclusionis partes.

Probatur prima pars: quia ratio personæ generatim spectata, & præcisive a persona divina vel creata, formaliter & explicite non sonat quid relativum, sed tantum naturam rationalem individuam subsistentem; ergo persona divina v. g. Pater in ratione communi & quasi generica personæ consideratus, non constituitur formaliter & explicite per relationem paternitatis ut Filium respicit, sed per paternitatem quatenus est forma hypostatica.

Deinde, prius, secundum nostrum concipiendi modum, intelligimus personam constitui, quam agere vel ad aliam referri; ergo prius constituitur persona in ratione confusa & quasi generica personæ per relationem, quatenus est forma hypostatica, quam per eandem, quatenus est formaliter relatio terminum respiciens.

Secunda pars probatur: quia persona divina distincte in ratione singulari & quasi specifica talis personæ considerata, per iconstituitur quod ipsi proprium est ac singulare, a quo suam habet denominationem atqui relatio secundum suam formalem rationem, quatenus terminum respicit, propria est & maxime singularis cuilibet personæ quæ ab ea denominatur talis. V.g. relatio paternitatis, prout Filium respicit, soli Patri propria est, eumque patrem denominat; igitur persona divina constituitur in ratione explicita & distincta talis personæ, per relationem formaliter spectatam, quatenus respicit terminum.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. adversus primam partem Conclusionis: Si quid esset Patri proprium per quod constitueretur ac distingueretur a Filio, multa essent in Patre distincta: atqui omnia quæ in Patre sunt, illa profecto sunt unum quid & idem.

Resp. dist. maj. multa essent in Patre distincta virtualiter, concedo: realiter nego; porro distinctio virtualis ad id satis est, cum æquivaleat reali.

Objicies 2. contra secundam primæ Conclusionis partem. Relatio supponit personam jam constitutam, quia relatio Patris ad Filium supponit personam Patris; supponit enim generationem, quæ actio est: actio porro supponit personam, actiones enim, ex vulgato axiomate, sunt suppositorum, ergo relatio non potest personam constituere.

Resp. dist. majorem. Relatio accidentalis

lis & categorica supponit personam constitutam; cum enim sit accidens, præsupponere debet subjectum cui inhæret, concedo: relatio subsistens & essentialis, qualis est in Deo, nego. Sic v. g. relatio paternitatis in Patre divino non supponit personam Patris, sed ipsam constituit, vel confuse & in genere, si spectetur ut est forma hypostatica; vel distincte ac explicite in ratione talis personæ, si spectetur ut est, *formaliter* relatio.

Distinguo similiter propositionem istam: actio supponit jam constitutum suppositum; actio creata quæ est ab ipso supposito distinguitur, concedo: actio increata qualis est generatio in Patre, subdistinguo; supponit suppositum constitutum in ratione communi & confusa suppositi per formam hypostaticam, concedo: in ratione specifica & adæquata talis suppositi, nego: solutio patet hic ex dictis Conclusione secunda.

Objicies 3. contra primam secundæ Conclusionis partem: Forma illa hypostatica per quam dicimus personas divinas constitui in ratione communi & quasi generica personæ, vel est aliquid absolutum, vel aliquid relativum. Prius dici non potest: omne quippe absolutum in Deo commune est tribus divinis personis, non proprium alicujus; posterius dici quoque non potest, forma etenim hypostatica ex sua formali ac explicita notione, nihil relativum sonat aut exprimit: aliunde vero recurreret argumentum superius, nempe relationem supponere subjectum seu personam constitutam.

Resp. formam illam hypostaticam non esse aliquid absolutum, neque etiam aliquid relativum distincte conceptum, sed aliquid re-

lativum confuse & inadæquatæ: quia, ut jam observatum fuit, hypostasis seu forma hypostatica, origo, relatio, licet differant in modo significandi, & secundum conceptus magis vel minus explicitos, in re tamen significata non differunt, neque una concipi seu intelligi potest sine altera, implicite saltem ac confuse cognita: unde inter relationem quatenus est forma hypostatica, & eandem quatenus formaliter relatio est respiciens terminum, discrimen aliud non est, quam penes conceptus inadæquatos magis vel minus explicitos: forma etenim hypostatica expresse ac distincte nihil relativum enuntiat, sed implicite tantum ac confuse: contra relatio expresse & explicite sonat respectum seu habitudinem ad aliud.

Objicies 4. contra secundam partem secundæ Conclusionis. Quod supponit personam jam constitutam, non potest esse ratio illius constitutiva: atqui relatio formaliter ut relatio est, v. g. paternitas in Patre supponit patrem constitutum: nostro quippe modo intelligendi, prius est patrem constitui, quam referri ad filium.

Resp. distinguo maj. Quod supponit personam constitutam in ratione distincta & quasi specifica talis personæ, concedo: constitutam tantum in ratione communi, confusa, & quasi generica personæ, nego. Distinguo min. Atqui relatio, ut est formaliter relatio, supponit personam constitutam in ratione confusa & quasi generica personæ, concedo: in ratione distincta & quasi specifica talis personæ, nego. Solutio patet ex secunda Conclusione.

Objicies denique: Multi ex SS. Patribus to-

totum discrimen personarum repetunt ex origine, seu ex eo quod Pater sit generans & ingenitus, Filius autem genitus, Spiritus vero sanctus procedens. Ita Sanctus Augustinus Lib. de fide & Symbolo cap. 9. & S. Gregorius Nazianzenus Oratione 37. Ergo personæ divinæ constituuntur & distinguuntur, non quidem per relationem, sed per origines activas & passivas, ut contendunt sanctus Bonaventura & alii nonnulli.

Resp. distinguo ant. SS. Patres repetunt discrimen personarum ex origine, tanquam ex radice ac fundamento præsuppositio, concedo: tanquam ex principio formali, nego. Distinguo conseq. ad sensum antecedentis. Sancti Patres ad illas subtiles & argutas Scholæ quæstiones procul dubio non attendebant; sed cum origo, relatio & subsistentia unum & idem sint in Deo, perinde ipsis fuit dicere personas distingui origine, ac distingui relatione, non adductis illis præcisionibus & abstractionibus, quas Scholæ Magistri tum ad elucidationem mysterii, tum ad Scholæ exercitium excogitarunt.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Notionibus divinarum personarum, & de earumdem Missione ac Circumincessione.

TRia hæc simul conjungimus, quod levioris videantur momenti. Tribus distinctis Articulis breviter ea absolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

De essentia, existentia, & numero divinarum Notionum.

PARAGRAPHUS I.

Quid sint divinæ Notiones.

NOtio, juxta sanctum Thomam, idem est ac character & forma quædam peculiaris qua personas divinas dignoscimus, & ab invicem distinguimus. Talis est, v.g. paternitas respectu Patris.

Reipsa notiones divinæ non differunt a proprietatibus personalibus, sed tantum modo significandi; latius enim patet proprietas personalis, quam notio: omnis quippe personalis proprietas est notio, sed omnis notio non est proprietas personalis.

PARAGRAPHUS II.

An sint in Deo admittendæ Notiones.

Observat S. Thomas 1. p. q. 32. art. 2. Præpositivum negasse in divinis proprietates & notiones admittendas esse, ne forte Dei simplicitas lædatur: *Et sicubi inveniantur, exponit*, ait S. Doctor, *abstractum pro concreto*. Sicut enim *consuevimus dicere, Rogo benignitatem tuam, id est, te benignum; ita cum dicitur in divinis paternitas, intelligitur Deus Pater*. Deinde Præpositivum refellit S. Thomas, & ostendit divinæ simplicitati non obesse virtualem abstracti a concreto distinctionem.

CONCLUSIO.

Admittendæ sunt in Deo notiones.

Pro-

Probatur: quia sunt in Deo plures personæ distinctæ, quæ proprias habent personales proprietates, quibus in se constituuntur, a se invicem distinguuntur: & a nobis cognoscuntur, ut constat ex dictis Quæstione superiori de Relationibus divinis: atqui proprietates illæ sunt & vocantur a Theologis notiones: ergo &c.

PARAGRAPHUS III.

Quot sint in divinis admittendæ Notiones.

De hoc tertio capite præcipua movetur controversia, quæ ut facilius dirimatur,

Observandum est, ad veram notionem quatuor vulgo conditiones a Scholæ Magistris requiri, quibus semel observatis, facillimum erit innumeris fere occurrere circa rem præsentem argumentis.

Prima est, ut notio non sit perfectio communis tribus divinis personis. Hujus conditionis defectu, attributum absolutum non dicitur notio. Ratio est, quia personæ dignoscuntur & distinguuntur per notiones; non distinguuntur autem per attributa absoluta.

Secunda est, ut ad originem pertineat. Cum enim penes origines duntaxat distinguendis personis inserviat, id ad originem spectet necesse est.

Tertia, ut notio perfectionem & dignitatem personæ importet. Hujus conditionis defectu, improductivitas & ingenerabilitas in Spiritu sancto, ratione cujus aliam personam non potest producere, non est notio, quia ad perfectionem & dignitatem non pertinet, quod non possit personam producere. Ratio est, quia persona nomen est dignita-

tis & honoris: ergo notio alicujus personæ ad dignitatem pertinere debet.

Quarta denique est, ut proprietas per notionem expressa non significetur per modum viæ ac tendentiæ ad aliud, sed per modum formæ permanentis. Defectu hujus conditionis, actus notionales seu originis non sunt notiones, quia exprimuntur per modum viæ & tendentiæ ad terminum. Ratio autem hæc est, quia notio est personæ character quo illa constituitur ac dignoscitur; ergo exprimi debet nomine significante formam permanentem ac stabilem. His suppositis sit

CONCLUSIO.

Admittendæ sunt in Deo quinque notiones, non plures, nec pauciores; nempe; innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.

Probatur 1. quia notiones duplici de causa admittuntur a Theologis: 1. ut per eas personæ ab invicem distinguantur; 2. ut certus earum numerus contra Hæreticos definiatur.

Ad primum quatuor notiones sunt necessariæ, nempe paternitas, qua Pater a Filio; filiatio, qua Filius a Patre; spiratio activa, qua Pater & Filius a Spiritu sancto; & spiratio passiva, qua vicissim Spiritus sanctus ab utroque distinguitur.

Ad secundum, addi necessario debet innascibilitas. Namque ne plures in Deo cogitentur processiones quam duæ, ac proinde plures personæ quam tres, necesse est intelligere unam e tribus personis divinis esse improductam, & primum aliarum principium:

cum

cum vero id non satis declaretur per paternitatem, quia qui pater est, non eo præcise est improductus, sed alium patrem habere potest; idcirco necesse est aliam specialem supponere notionem, nimirum innascibilitatem, per quam Pater a nullo esse intelligitur.

Probatur 2. quia singulæ & solæ mox recensitæ notiones, omnes habent conditiones ad veram notionem requisitas. Nulla enim est ex iis, quæ non sit propria; nulla quæ ad originem non pertineat, & dignitatem non sonet, nulla denique quæ permanens & stabilis non sit.

Duplici via impugnari hæc Conclusio potest, minuendo scilicet, vel augendo notionum numerum.

SOLVUNTUR OBJECTIONES

quibus augetur numerus Notionum.

Objicies 1. Tam ingenerabilitas activa in Filio, & improductivitas in Spiritu sancto distinctæ notiones sunt: quam innascibilitas in Patre, quod sic evincitur: Ideo admittitur innascibilitas, tanquam notio distincta a paternitate, quia paternitas sufficienter non explicat Patrem ab alio non esse, ut dictum est: atqui pariter filiatio in Filio sufficienter non declarat eum alium filium non producere; spiratio quoque passiva in Spiritu sancto, etiam sufficienter non excludit alium quem ipse spiret; ergo tam ingenerabilitas activa in Filio, & improductivitas in Spiritu sancto distinctæ notiones sunt, quam innascilitas in Patre.

Resp. nego maj. & paritatem.

Disparitas est 1. quia per filiationem qua

Filius, & per spirationem passivam qua Spiritus sanctus dignoscuntur, sufficienter declaratur, nec Filium alium generare, nec Spiritum sanctum producere. Namque eo ipso quo Filius divinus appellatur, procedere concipitur per intellectum divinum, sicut & Spiritus sanctus per voluntatem; ac consequenter nec a Filio alium generari Filium, nec a Spiritu sancto alium spirari spiritum; quia & Filius exhaurit in Patre vim totam generandi, & Spiritus sanctus vim totam spirandi, cum uterque infinitus sit, atque ejusdem facultatis infinitæ multiplex esse non possit terminus infinitus, quia tota ab unius productione facultas exhauriatur.

Disparitas est 2. quia, ex dictis, notio dignitatem ac perfectionem exprimit: ita in Patre esse innascibilem, esse fontem ac principium aliarum personarum, seu esse Deum a se, honorificum quid ac perfectissimum auribus nostris insonat. At non ita est de ingenerabilitate activa in Filio, & inspirabilitate in Spiritu sancto; neque enim, secundum nostrum concipiendi modum, perfectioni deputamus hoc vel illo speciali modo produci, aut alium non producere; alias eo plures in homine perfectiones agnoscendæ forent, quo plures modi sunt quibus non producitur: ita perfectio in ipso foret, non creari, ut Angeli; non e limo fingi, ut Adamus, non e radice surgere, ut plantæ &c. quod est absurdum. Porro non generari & non spirari, idem est ac non certo quodam modo non produci; ergo neutrum dignitatem aut perfectionem significat.

Instabis 1. Esse fontem seu principium totius divinitatis, nonne perfectionem ac digni-

gnitatem in Deo significat; ergo distincta est in Patre notio & innascibilitati addenda.

Resp. dist. ant. Esse fontem seu principium totius divinitatis, est perfectio & dignitas, ab innascibilitate, paternitate & spiratione activa indistincta, concedo: distincta; nego.

Instabis 2. Quod Filius spirari non possit, ex eo habet quod procedat per intellectum: atqui procedere per intellectum, nonne perfectio est in Filio specialis, ac consequenter distincta notio?

Resp. hanc quidem perfectionem esse, sed inclusam & indistinctam a filiatione.

Instabis 3. Spiritus sancti propria quædam ratio est, quod sit Dei donum, amor, vinculum.

Resp. rationem hanc doni, amoris, sufficienter includi ac exprimi in spiratione passiva.

Objicies 2. Innascibilitas etiam divinæ naturæ propria est; ergo non soli Patri accommodatur.

Resp. nos hic loqui de personis, non de essentia; unde inter conditiones ad veram notionem requisitas, una est, ut nempe notio ad originem pertineat.

Objicies 3. Origines, v. g. generatio activa & passiva, inter notiones computari debent, siquidem personas ipsas distinguunt.

Resp. nego ant. origines enim concipiuntur velut actiones fluentes; ac quasi viæ & tendentiæ unius personæ ad aliam: porro ex dictis, una ex conditionibus ad notionem requisitis est, ut non significetur per modum actionis ac tendentiæ, sed formæ cujusdam permanentis.

SOL-

SOLVUNTUR OBJECTIONES.

quibus minuitur numerus Notionum.

Objectiones 1. Non plures sunt notiones quam relationes; notiones enim sunt proprietates relativæ: atqui sunt tantum quatuor relationes, ergo & quatuor notiones.

Resp. nego maj. quia relationes necessario dicunt ad se invicem oppositionem; cum ergo quatuor duntaxat sint in Deo quæ invicem opponuntur, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva, consequenter sunt quatuor duntaxat relationes: notiones autem nullam dicunt ad se invicem oppositionem, nec consequenter necesse est ut sint relativæ; ita innascibilitas relativa non est,

Objicies 2. Notio debet dignitatem & perfectionem aliquam dicere: atqui non talis est innascibilitas, quæ meram sonat & exprimit negationem.

Resp. innascibilitatem quoad nomen aliquid negativum significare, sed quoad rem ipsam significat summam & positivam perfectionem, per quam Pater cognoscitur tanquam fons seu principium & origo divinarum processionum: esse autem in Deo attributa quædam quoad nomen quidem negativa, sed quoad rem positiva, omnes Theologi agnoscunt, cujusmodi sunt independentia, infinitas, immensitas &c.

Instabis 1. Si innascibilitas perfectionem sonat & exprimit; ergo imperfectionem sonat, esse seu procedere ab alio; ac consequenter Filius & Spiritus sanctus qui a Patre procedunt, imperfecti dicendi sunt.

Resp.

Resp. nego sequelam. Utrumque enim in Deo æqualiter est perfectum, esse principium, vel terminum processionis; quia utrumque unam & eamdem numero essentiam divinam participat, quæ omnis est perfectio.

Instabis 2. Saltem inde sequitur, esse in Patre aliquid quod perfectionem sonat, quod non est in aliis personis.

Resp. idem de qualibet relatione dici posse, quæ est in una persona & non in alia: v. g. de paternitate quæ non est in Filio, de filiatione quæ non est in Patre, cui objectioni jam non semel satisfecimus: ad summum inde sequitur, esse aliquid quod perfectionem sonat, quod non est in aliqua persona formaliter, licet sit identice & ratione communis naturæ.

Objicies 3. Notio debet esse singularis ac propria uni personæ: atqui talis non est, v. g. spiratio activa, quæ Patri simul & Filio competit.

Resp. nego ant. sufficit enim ut notio discernat seu distinguat personas, sive unam, sive duas.

Instabis. Si spiratio activa sit notio, quia notio est aliqua positiva perfectio, sequitur Patrem & Filium perfectiores esse Spiritu sancto, cum uterque duplici gaudeat notione, Pater scilicet paternitate & spiratione activa, Filius autem filiatione & spiratione activa; econtra Spiritus sanctus unam duntaxat habet, nempe passivam spirationem.

Resp. eidem difficultati eamdem sufficere mox adductam solutionem; identice quippe & ratione essentiæ omnis perfectio reperitur in Spiritu sancto, unde Spiritus sanctus æque perfectus est ac Pater & Filius.

AR-

ARTICULUS II.

De Missione in divinis.

CUm in Scripturis Filius a Patre, & Spiritus sanctus a Patre & Filio mitti dicatur, de illa missione tractant Theologi.

Quæres igitur 1. an aliquæ personæ divinæ mittantur, & quæ?

Resp. duas esse SS. Trinitatis personas, Filium & Spiritum sanctum, quæ mittuntur; Filius a Patre, Spiritus a Patre & Filio. Joan. 3. v. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Non enim misit Deus Filium suum in mundum, ut judicet mundum, sed ut salvetur mundus per ipsum*, & c. 6. v. 58. *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem*. De missione vero Spiritus sancti, Joan. 14. v. 26. *Hæc locutus sum vobis*, ait Christus, *apud vos manens. Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia*, & cap. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis qui a Patre procedit*. Atque his Scripturæ testimoniis Veteres demonstrabant adversus Sabellianos, realem in Deo personarum distinctionem: nemo quippe seipsum mittit; unde necesse est eum qui mittit, distinctum esse ab eo qui mittitur.

Missio porro illa dependentiam & inferioritatem non arguit in eo qui mittitur, sicuti objiciebant Ariani, sed tantum originem & emanationem unius personæ ab alia: missio quippe illa non ex imperio fit, sed ex communicatione ejusdem naturæ.

Quæres 2. quid sit missio in Deo.

Resp.

Resp. Veteres missionem reposuisse modo in æterna productione unius personæ ab altera; modo in externa personæ efficientia quadam, & sensibili erga homines apparitione; modo in utraque simul. Testimonia Veterum dabit Petavius L. 8. de Trinitate cap. 1.

Communis ac receptissima Theologorum sententia est, missionem in Deo duo includere: 1. productionem seu originem unius personæ ab alia. Hujus conditionis defectu, Pater vere ac proprie dici non potest *missus*, quia nullum habet principium a quo sit, sed est omnino improductus & innascibilis, ut paulo ante dictum fuit; 2. ut personæ quæ mittitur, sit exterior quidam effectus vel sensibilis & apparens, vel internus & latens, ut animadvertit S. Thomas hic quæst. 43.

Atque ex eo inferes, missionem partim esse æternam, scilicet penes processionem; partim vero temporalem, propter opus certo tempore factum.

Quæres 3. Quotuplex sit missio.

Resp. duplicem esse: visibilem unam, invisibilem alteram.

Visibilis dicitur, quando persona missa in signo quodam sensibili exterius apparet, qualis fuit missio Verbi in Incarnatione, & missio Spiritus sancti in Christi baptismate, dieque Pentecostes.

Invisibilis vero missio appellatur, quando persona mittitur ad collationem alicujus doni interni & occulti, ut cum mittitur Spiritus sanctus ad collationem gratiæ sanctificantis. Sic Galat. 4. v. 6. dicitur, *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.*

Quæres 4. an missio sit quid notionale, hoc

hoc est, certis personis proprium, an commune toti Trinitati.

Resp. esse quid notionale. Vel enim missio sumitur *active*, & sic solius est mittentis personæ; vel sumitur *passive*, & sic solius est personæ missæ.

At, inquies, effectus peculiaris qui potissimum ad rationem missionis proprie dictæ attenditur, communis est toti Trinitati: opera enim *ad extra* tribus personis divinis sunt adscribenda.

Resp. effectus *ad extra* communes quidem esse toti Trinitati *efficienter*, ut ajunt; sed non *habitudinaliter*: natura humana, v. g. opus fuit totius Trinitatis; attamen specialis fuit hujusce naturæ ordo ac habitudo cum secunda persona, quæ sibi eam hypostatice conjunxit. Idem dicendum de aliis operibus ad quæ Filius & Spiritus sanctus mittuntur.

Quæres 5. an personæ Filii & Spiritus sancti dicantur mitti duntaxat penes dona ab iis profecta, an etiam penes substantiam; ita ut nova & ineffabilis inde exurgat divinarum istarum personarum, etiam quoad substantiam, certa quædam ac specialis cum anima unio.

Resp. affirmative: idipsum variis Scripturarum & Patrum testimoniis late probat Petavius cap. 4. 5. & 6. Lib. 8. de Trinitate. Sic v. g. quando justificatur homo, persona Spiritus sancti fit ipsi intime præsens, non quidem simpliciter & quoad substantiam, quasi antea fuisset absens, sed quoad gratiam habitualem, & quantum ad modum specialem quo justum afficit & in eo inhabitat, juxta illud Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffu-*

diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis.

ARTICULUS III.

De Circuminsessione, seu de mutua inexistentia personarum in invicem.

NUlla hic occurrit specialis difficultas enodanda: soli termini exponendi. Circuminsessio est mutua personarum in invicem inexistentia, immeantia, & inhabitatio, qua fit ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, Spiritus sanctus in utroque: ita ut nulla prorsus ratione divelli unquam aut separari possint. Inde Christus Joan. 14. probat se unum esse cum Patre, & eadem facere cum Patre, quia in Patre est: *Non creditis*, inquit v. 11. *quia ego in Patre, & Pater in me est*, & v. 10. dixerat: *Pater in me manens, ipse facit opera.*

Hæc porro circuminsessio divinarum personarum necessario sequitur ex unitate naturæ seu substantiæ quæ est in tribus personis. Neque obstat oppositio relativa personarum ad invicem; non enim in se invicem esse dicuntur, ratione relationum in quibus opponuntur, adeoque paternitas formaliter non est in Filio, nec vice versa filiatio in Patre, sed cum paternitas sit in essentia divina sicut & filiatio, dici potest paternitatem identice & quasi materialiter esse in Filio, & filiationem in Patre, ratione nimirum essentiæ divinæ quæ una & eadem est numero in utroque: atque inde fit, ut quidquid paternitas perfectionis habet, sit etiam in Filio, in quo est divina essentia, quæ est omnis perfectio.

Nul-

Nulla hic proferimus in confirmationem Articuli nostri, SS. Patrum testimonia, tum quia nulla hic occurrit, ut jam monuimus, specialis difficultas; tum quia ea testimonia collegere Bellarminus L. 2. de Christo cap. 5. Petavius Lib. 4. de Trinitate cap. 16. & alii: tum denique quia, ut modo diximus, circuminsessio necessario fluxu sequitur ex unitate naturæ quæ est in tribus personis.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Personis divinis in communi.

PErsona, ex Boetio, definitur, *naturæ rationalis individua substantia*, seu *subsistentia*.

Dicitur 1. *substantia*, seu *subsistentia*, id est aliquid per se subsistens. Ex quo patet nomen *personæ* accidentibus non competere.

Dicitur 2. *individua*, id est, singularis, completa, & alteri tanquam suppositio incommunicabilis.

Dicitur 3. *naturæ rationalis*, id est, intelligentis seu ratione præditæ. Scilicet *personæ* vocabulum, honoris ac dignitatis nomen est, iis nimirum substantiis quæ rationis sunt participes: aliæ vero substantiæ singulares, suppositæ vocari solent, non personæ.

De relationibus divinis quibus personæ in Deo, nostro intelligendi modo, constituuntur, & realiter a se invicem distinguuntur, quod sit illarum relationum officium, qui numerus, quæ affectiones seu proprietates, vel in ipso primo hujus Tractatus aditu abunde satis diseruimus.

Alias

Alias igitur quæstiones quas Schola proponit circa personas generatim & in communi spectatas, hic attingemus.

Atque cum persona duo includat, naturam scilicet & subsistentiam, circa utramque hæc sunt expendenda.

Primo circa subsistentiam: sintne in Deo tres subsistentiæ relativæ, & una absoluta tribus personis communis; 2. An sint, ac dici possint in Deo tres existentiæ relativæ, & una absoluta.

Secundo circa naturam: quæritur, an quæcumque in Deo sunt absoluta, tribus personis communia sint; an vero per quamdam appropriationem, etiam inter absoluta Dei attributa, quædam sint personis propria.

ARTICULUS PRIMUS.

An sint in Deo admittendæ tres Subsistentiæ relativæ, & una absoluta tribus personis communis.

TOta fere de nomine est præsens controversia, quæ ex varia pendet nominis *subsistentiæ* significatione.

Subsistentia igitur sumitur 1. pro ea substantiæ modificatione, qua fit ut substantia sit ens per se subsistens, distinctum ab accidente, quod per se non subsistit, sed indiget subjecto cui inhæreat.

2. Sumitur pro rei totalitate, si abstracte; vel pro toto, si concrete accipiatur, hoc est, vel pro personalitate, quod nomen abstractum est; vel pro persona tota & integra, quod nomen concretum dicitur: atque hoc sensu concreto, sola hominis anima subsi-

stens

stens non est, quia pars est duntaxat hominis, non totus homo; nec humana pariter in Christo natura est subsistens, quia pars est Christi, non totus Christus.

3. Communi ac recepto apud Theologos usu, subsistentia significat modum, seu formam quamdam quæ naturam ultimo complet ac terminat, eamque reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem.

Sensus igitur propositæ quæstionis est:

I. Suntne in Deo tres relativæ subsistentiæ, hoc est, tres modi, seu rationes & formæ subsistendi relativæ, quibus personæ subsistunt ac a se invicem realiter distinguuntur; an vero unica duntaxat & communis detur quædam subsistentia, qua singulæ personæ divinæ subsistant; quemadmodum una & singularis est in tribus personis natura divina, qua fit ut tres personæ sint unus Deus?

II. Sensus quæstionis est, utrum in Deo, præcisis per mentem relationibus & personalitatibus, detur singularis aliqua perfectio absoluta, ac proinde communis tribus personis, per quam divina natura sit subsistens.

Circa quam controversiam, more suo varias in partes abeunt Theologi, pro varia, quam sibi fingunt, nominis subsistentiæ significatione.

Prima sententia eorum est qui unicam agnoscunt subsistentiam absolutam; nullam vero relativam. Ita Durandus in 3. Sent. dist. 1. quæst. 1. nu. 7.

Secunda priori directe opposita eorum est, qui cum Alensi 3. parte quæst. 2. membro 3. contendunt tres esse duntaxat subsistentias, easque relativas; nullam vero absolutam.

Ter-

Tertia aliorum est, qui quatuor subsistentias admittunt, unam scilicet absolutam, & tres insuper relativas. Ita Suares L. 4. c. 4.

PRIMA CONCLUSIO.

Tres sunt in Deo subsistentiæ relativæ.

Multis SS. Patrum & antiquorum Scriptorum testimoniis momentum istud pro sequitur ac probat Petavius Lib. 4. de Trinitate cap. 3. quæ consuli possunt.

Ratio autem theologica manifesta est:

I. quia sunt in Deo tres personæ; ergo tres subsistentiæ relativæ, per quas, veluti totidem formas aut modificationes, personæ constituuntur in ratione personæ, & a se invicem distinguuntur.

II. quia quod est in Deo absolutum, unum est nec multiplicatur: omnia quippe in Deo sunt unum & idem, ait commune Scholæ effatum, ubi non obviat relationis oppositio: sed subsistentia multiplicatur in Deo pro numero personarum.

III. In mysterio Incarnationis subsistentia Verbi cum humanitate conjungitur: sed illa subsistentia Verbi divini propria est ac maxime singularis, ac consequenter relativa; alias vix exponi posset, quomodo solus Filius sit incarnatus, non Pater, non Spiritus sanctus: siquidem in adversa sententia, subsistentia relativa non est, sed absoluta & communis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Nulla est in Deo subsistentia communis & absoluta.

Pro-

Probatur : Ea subsistentia non est in Deo admittenda, quæ inutilis est, noxia, & contradictionem involvit : atqui talis est subsistentia absoluta.

I. inutilis est, neque enim satis intelligitur ad quem usum utilis esse possit subsistentia illa communis & absoluta : illud enim omne præstant subsistentiæ relativæ, quod in adversa sententia præstat subsistentia communis & absoluta. Scilicet tres subsistentiæ relativæ, quas admittendas esse mox probabimus, tres personas divinas constituunt, easque complent, & per oppositionem suam eadem incommunicabiles reddunt.

II. noxia est, quia si hujusmodi absoluta subsistentia admitteretur, admittenda quoque foret in Deo persona quædam communis & absoluta, ac consequenter non tres, sed quatuor personæ in Deo essent ; quod certe catholica fides non patitur : subsistentia enim generatim ubicumque occurrit suppositum efficit, quando autem in natura intelligentia reperitur, personam constituit ; is enim est ejus formalis ac necessarius effectus.

III. subsistentia illa absoluta pugnam ac contradictionem involvit. Omnis enim subsistentia ultimum est naturæ complementum, eam reddens alteri tanquam supposito incommunicabilem : porro talis nec est, nec esse potest in Deo subsistentia absoluta : 1. non est ultimum naturæ divinæ complementum ; siquidem illi ultra accedit relativa subsistentia qua completur ac terminatur ; 2. non eam reddit alteri tanquam supposito incommunicabilem ; natura enim divina, præcisis per mentem relationibus, incommu-

municabilis non est; imo non solum communicabilis est, sed etiam reipsa a Patre communicatur Filio & Spiritui sancto.

Et vero illud divinis personis commune esse non potest, per quod personæ in seipsis constituuntur, & a se invicem distinguuntur: atqui per subsistentias personæ in seipsis constituuntur ac a se invicem distinguuntur: ergo communes esse non possunt tribus divinis personis; ergo nulla datur absoluta & communis subsistentia. Unde merito Sophronius Actione 11. VI. Synodi dicebat, *in Deo neque substantiam confundi, neque ad unam subsistentiam posse deduci.*

Scio quidem Theologos, quos hic impugnamus, per subsistentiam intelligere naturam per se existentem, seu per se subsistentem, qualem esse asserunt naturam divinam abstractam a suis relationibus; at scio etiam licitum non esse a communi & recepta nominis subsistentiæ significatione recedere: subsistentia porro ex communi ac recepto usu ultimum significat naturæ terminum seu complementum, quo incommunicabilis redditur alteri tanquam supposito.

Et certe subsistentia alium non habet conceptum formalem, quam ultimi complementi naturæ: vel enim subsistentia efficit ut natura sit independens a subjecto, vel ut sit aliquod totum, vel tandem, ut sit ultimo terminata & concreta: atqui nec primum, nec secundum dici potest. Non primum, quia humanitas Christi, etiam præcisa Verbi personalitate, independens est a subjecto, nec tamen est subsistens. Non secundum, quia anima separata est subsistens, nec tamen est aliquod totum; superest igitur ut sub-

sistentia sit ultimus naturæ terminus, per quem natura completur; ac incommunicabilis redditur alteri tanquam supposito: hujusmodi autem subsistentia communis non est nec absoluta: sed unicuique personæ propria & singularis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Relatio supponit naturam jam constitutam ac subsistentem, tanquam sui fundamentum; ergo subsistentia relativa esse non potest.

Resp. dist. ant. Relatio accidentalis & cathegorica, concedo: essentialis seu substantialis, quales sunt relationes divinæ, ut suo loco probavimus, nego.

Instabis 1. Spiratio activa est etiam relatio subsistens; ergo sicut quatuor sunt in Deo relationes, ita & quatuor subsistentiæ, non vero tres tantum, ut fert Conclusio.

Resp. distinguo ant. Spiratio activa est relatio etiam subsistens, indistincta a paternitate & filiatione, concedo: distincta, nego. Etsi igitur spiratio activa sit vera relatio, non tamen personam constituit, quia unius personæ propria non est, nec incommunicabilis, cum & Patri & Filio conveniat, qui nostro concipiendi modo jam in ratione personæ constitui intelliguntur, cum spirant Spiritum sanctum.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem. Subsistentia absoluta est perfectio simpliciter simplex, ut vocant Scholæ Theologi: sed perfectio simpliciter simplex Deo convenit, etiam abstractis relationibus seu relativis subsistentiis; ergo subsistentia communis & ab-

so-

soluta admittenda est in Deo, præcisis etiam relationibus.

Resp. nego maj. Perfectio enim simpliciter simplex, ex iisdem Theologis, dicitur ea, quæ melior est ipsa quam non ipsa, nec est incompossibilis cum alia perfectione majori vel æquali: atqui subsistentia absoluta & communis incompossibilis est cum alia Dei perfectione, nempe cum fœcunditate & communicabilitate; redderet enim naturam divinam alteri incommunicabilem, cum sit ultimus naturæ terminus seu ultimum complementum.

Instabis 1. Perfectio est simpliciter simplex naturam præintellectam relationibus, per se subsistentem esse ac completam: atqui natura divina præintellecta relationibus, completa ac per se subsistens esse non potest, nisi dependenter a subsistentia absoluta; ergo &c.

Resp. dist. perfectio est simpliciter simplex, naturam esse per se subsistentem ac completam, complemento essentiæ & existentiæ independentis ab alio tanquam a subjecto inhæsionis, concedo: complemento quod reddat naturam alteri incommunicabilem, nego. Alias aut Deus sua fœcunditate privaretur, aut persona quædam in Deo communis & absoluta admittenda foret; ac consequenter quatuor, non tres duntaxat forent in Deo personæ. Ut enim antea diximus, subsistentia ubicumque reperitur, suppositum facit; quando autem occurrit in natura intelligentiæ compote, personam constituit.

Instabis 2. Deus præintellectus suis relationibus operatur, intelligit, vult, creat, conservat &c. ergo subsistit.

Resp. neg. maj. Deus enim non operatur aut ad intra, aut ad extra, nisi quatenus subsistit in tribus personis seu subsistentiis relativis, neque enim natura divina reipsa ac de facto aliter subsistit quam in his tribus subsistentiis relativis, nec alius Deus est quam Pater, Filius & Spiritus sanctus. Revera mens nostra, præcisis relationibus, Deum concipit tanquam ens absolutum ac subsistens; attamen non subsistit reipsa nisi in tribus subsistentiis confuse saltem conceptis: abstractio vero mentis nostræ nihil in re ponit; atque tum ex infirmitate mentis nostræ, tum ex sublimitate inaccessa mysterii, fit ut Deum concipiamus sine tribus personis, qui tamen non agit nec operatur, nisi prout in tribus personis subsistit.

Instabis 3. Prius concipi debet Deus existens, quam operetur, vel ad Filium, v. g. referatur; operatio enim ut & relatio sequitur esse.

Resp. hujuscemodi ratiocinia locum habere posse in creatis, ubi operatio & relatio ad naturam ipsam non pertinent: at in Deo actio est ipsamet ejus entitas seu natura. Neque in divinis processionibus datur prius aut posterius sive temporis, sive naturæ; sed tantum rationis quoad nos, & originis quantum ad personas: eodem enim instanti reali Deus Pater intelligit, & intelligendo producit, ac producendo intelligit, & ad Filium refertur; ac consequenter actio Dei per mentem abstracta a relationibus, non supponit in ipso subsistentiam revera absolutam, sicut nec personam absolutam sed subsistentias duntaxat relativas, non quidem clare ac distincte expressas & cognitas, sed implicite saltem ac confuse: subsistentia quidem

dem in creatis prior est facultate & operatione, non vero in divinis, ubi esse, subsistere, & agere, idem est.

Instabis 4. Actiones, ut vulgo ajunt, sunt suppositorum; ergo suppositum, ac consequenter subsistentia prior est operationibus: atqui nulla potest esse in Deo subsistentia prior operationibus, nisi absoluta; relativæ siquidem ex ipsis operationibus exurgunt; ergo, &c.

Resp. dist. ant. actiones quibus aliquid ab alio procedit, ut a principio productivo & emanatione reali, sicuti Filius procedit a Patre, concedo: ut a radice, idque emanatione duntaxat virtuali, quomodo attributa divina, ipsaque primæ personæ paternitas, ex divina essentia procedunt, nego. Porro si actiones spectentur in Deo; quatenus iis aliquid producitur ut a principio reali, iis prius intelligitur suppositum: sic cum Pater æternus generat Filium, supponitur persona Patris constituta per paternitatem, non quidem ut est relatio, sed ut est forma hypostatica.

Instabis 5. Deus, præcisis etiam relationibus, est aliquid subsistens; non enim est accidens: atqui non est in eo statu subsistens subsistentia relativa, a qua abstrahitur; ergo absoluta.

Resp. dist. ant. Deus, præcisis etiam relationibus, subsistens concipitur, hoc est, per se existens, concedo: hoc est, incommunicabilis alteri tanquam supposito, nego. Porro sæpius monuimus, nos hic nomen subsistentiæ usurpare, non pro natura per se subsistente, quatenus accidenti opponitur, sed pro ultimo naturæ complemento, quo natura redditur incommunicabilis alteri tan-

quam suppositō: hoc vero sensu, nulla extat in Deo communis & absoluta subsistentia.

Instabis 6. Natura divina, præcisis etiam relationibus, est incommunicabilis suppositō creato: hanc vero incommunicabilitatem habet a subsistentia quadam absoluta.

Resp. naturam divinam ex seipsa præcise quia divina natura est, non quatenus terminata personalitate, habere quod suppositō creato communicari non possit: pugnat enim in terminis, naturam infinitam & increatam suppositō creato necessitatem naturæ communicari.

Instabis 7. Licet de relationibus non cogitētur, attamen concipitur Deus: porro vox illa, *Deus*, concreta est, quæ proinde non solum formam, scilicet divinitatem significat, sed etiam subjectum, seu habens divinitatem: atqui subjectum illud habens divinitatem est aliquid subsistens: ergo antecedenter ad relationes est aliqua in Deo subsistentia.

Resp. nomen istud, *Deus*, formam & subjectum significare; sed diversa ratione: formam nempe divinitatem, clare & distincte; confuse autem & indirecte subjectum divinitatis, seu eas personas quibus divinitas competit; id est Patrem, Filium, & Spiritum sanctum.

Et vero hoc subjectum vel est triplex divina persona, vel communis quædam persona: atqui nulla est in Deo persona communis: alias in Deo jam non tres, sed quatuor personæ forent admittendæ, quod pugnat contra fidem; ergo, &c.

Objicies 3. Etsi supponeretur in Deo absoluta subsistentia, non idcirco tamen natura redderetur incommunicabilis: namque in ipso Patre divino, natura haud dubie subsi-

stens

stens est, subsistentia relativa Patris, attamen ulterius communicatur Filio & Spiritui sancto: quidni pariter dici poterit naturam divinam non reddi incommunicabilem subsistentia absoluta, quæ in ipsa supponeretur adesse antecedenter ad subsistentias relativas?

Resp. nego ant. ad probationem distinguo. Natura divina Patris communicatur Filio, quatenus absoluta est, nec affecta singulari subsistentia seu relatione paternitatis, concedo: sub illa formali ratione, nego: alias Pater cum Filio confunderetur, & induceretur error Sabellii. At vero in hypothesi adversariorum, natura divina formaliter ut subsistens subsistentia absoluta communicaretur tribus divinis personis, quod omnino repugnat.

Et vero subsistentia absoluta omni ex parte & sub omni respectu naturam complet ac terminat; non autem subsistentia relativa: ac proinde licet subsistentia relativa non reddat naturam incommunicabilem, idem tamen dicendum non est de subsistentia absoluta.

Objicies denique nonnullos e SS Patribus, Augustinum L. 7. de Trinitate cap. 4. Hieronymum Epist. 57. ad Damasum, Agathonem S. Pontificem in Epistola Synodica relata Actione 4. VI. Synodi generalis, qui omnes unam in Deo subsistentiam seu hypostasim agnoscunt; haud dubie non relativam; ergo absolutam. T. 6. Conc. n. 677. & seq.

Resp. Veteres illos subsistentiæ nomine naturam ipsam seu substantiam intellexisse, quo sensu certissimum est unam esse in Deo subsistentiam, hoc est naturam. Ostendemus postrema hujus Tractatus Quæstione, quam

acres ac molestæ fuerint circa usum & significationem vocum *hypostasis* & *essentiæ*, seu οὐσίας, dissensiones: at tandem his feliciter sopitis, usus fixus ac determinatus invaluit, ut nomine *hypostasis* & *subsistentiæ*, persona intelligeretur; nomine vero οὐσίας, natura seu substantia.

ARTICULUS II.

An sint, ac dici possint in Deo tres existentiæ relativæ, & una absoluta.

CONCLUSIO.

Præter absolutam & communem existentiam, tres relativas in divinis admittere nihil vetat.

Primo, absolutam quamdam esse in Deo existentiam, probat vel ipsamet nobis ingenita existentiæ Dei notio & idea: non potest enim ab idea Dei separari entis infiniti ac summe perfecti necessitas: implicat concipere ens summe perfectum, & concipere non existens, cum existentia sit prima perfectio, ac ceterarum basis & fundamentum.

Secundo, tres existentias relativas admittere nihil certe vetat, imo expedit.

Probatur apertis rationum momentis. Namque 1. relationes quatenus a natura distinctæ, sunt aliquid reale, ex dictis initio hujus Tractatus; ergo propriam habent existentiam: quid enim est existentia, nisi ipsum ens in actu, aut saltem actualitas ipsa rei? sed relationes prout ab essentia distinguuntur, sunt vere in actu; ergo, &c. 2. cum

cum Pater Filium producit, necesse est aliquam produci existentiam: omnis quippe productio terminatur ad existentiam; 3. una quæque res suam habet existentiam: atqui divinæ personæ sunt res a se invicem distinctæ.

Dices 1. Non datur in divinis subsistentia communis & absoluta; ergo nec existentia.

Resp. nego consequens & paritatem. Disparitas est, quod existentia absoluta nec est inutilis, nec periculosa, nec contradictionem involvit: econtra vero subsistentia absoluta & communis, uti constat ex dictis.

Dices 2. Ubi est una & simplex natura, ibi unica debet esse existentia quæ naturæ est appendix: atqui una est ac simplex in Deo natura; ergo, &c.

Resp. dist. maj. ubi est una & simplex natura, sine relationibus ac personis a se invicem realiter distinctis, concedo: cum relationibus ac personis realiter a se invicem distinctis, nego. Unaquæque enim persona, cum sit aliquid reale, propriam habere debet existentiam: porro est quidem in Deo una & simplex natura, sed sunt etiam tres personæ realiter distinctæ.

Dices 3. Tres divinæ personæ ab essentia divina realiter non distinguuntur; ergo illis sufficit una essentiæ seu naturæ absoluta existentia.

Resp. nego consequens. Namque cum tres illæ divinæ personæ ab essentia realiter non distinguantur, necessaria ipsis sub eo respectu non est existentia singularis absoluta, sed sufficit communis naturæ existentia: quia vero realiter a se invicem distinguuntur & inter se opponuntur, necesse est habeant existentias sibi proprias & singulares, quæ relativæ dicuntur.

ARTICULUS III.

An quæcumque sunt in Deo absoluta, tribus personis communia sint; an vero per quamdam appropriationem, etiam inter absoluta Dei attributa quædam sint personis propria.

PRIMA CONCLUSIO.

Quæcumque in Deo sunt absoluta, tribus divinis personis communia sunt.

JOan. 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, ait Christus.

Ratio est manifesta: ubi enim est eadem singularis ac numerica essentia, ibi sunt omnes illius essentiæ proprietates essentiales: atqui ex dictis hactenus, una & eadem est, singularis ac numerica essentia in tribus divinis personis; ergo & sunt in iis omnes essentiæ proprietates. Inde vulgatum Scholæ effatum, *Omnia in divinis sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Nonnullæ proprietates absolutæ certis personis speciali quadam ratione tribuuntur & accommodantur: v. g. Patri, omnipotentia; Filio, sapientia; Spiritui sancto, bonitas & charitas. Ita vulgo Scholæ Theologi, quibus veteres Ecclesiæ Doctores præluserunt.

Probatur Conclusio.

I. Ex Scripturis. Joan. 14. v. 10. creatio Patri a Christo tribuitur: *Pater autem in me manens, ipse facit opera.* Hinc etiam 1. Cor. 8. v. 6. Deus Pater dicitur is esse *ex quo omnia.*

Non

Non absimili ratione Filius quia a Patre per intellectum procedit, non solum proprio nomine *Verbum* nuncupatur, sed etiam speciali titulo Dei *virtus & sapientia*. 1. Cor. 1. v. 24.

Spiritui etiam sancto, qui tanquam amor substantialis Patris & Filii ab utroque per voluntatem procedit, charitas, ejusque in nos diffusio accommodatur, Rom. 5. v. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum qui datus est nobis.* Idem & cap. 2. 2. ad Thessal. v. 12. & 1. Petri 1. v. 2.

Probatur 2. ex Traditione Ecclesiæ.

In Symbolis fidei Deus Pater dicitur Omnipotens, Creator Cœli & terræ, Christus vero, is per quem omnia facta sunt; Spiritus sanctus, per quem locuti sunt Prophetæ.

Idipsum docet ac exponit S. Augustinus L. 15. de Trinitate cap. 15. Idem etiam fuse ac egregie prosequitur sanctus Thomas 2. p. qu. 38. art. 8.

Probatur 3. ratione. Id enim fit accommodate ad personas earumque origines, nec non ad earumdem personarum manifestationem conducit, ut observat Doctor Angelicus art. 8. citatæ mox quæstionis 39.

QUÆSTIO NONA.

De Personis divinis sigillatim sumptis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Persona Patris.

NUllæ in Scholis circa personam Patris controversiæ moventur. De nomine

duntaxat & proprietatibus Patris hic paucis dicemus.

Quæres, quot nominibus prima SS. Trinitatis persona soleat designari.

Resp. vocari patrem, ingenitum, principium; aliquando licet rarius, causam & auctorem Filii.

Dicitur 1. *Pater*. Hoc porro *Patris* nomen duplici sensu de Deo intelligitur, essentialiter scilicet & notionaliter.

Priori modo Patris nomen commune est tribus personis, respectu scilicet creaturarum, quas communi ac plane eadem potentia & auctoritate creant, conservant, gubernant, moderantur; &c.

Posteriori autem modo, prima persona dicitur Pater, respectu Filii quem ex utero ante luciferum genuit sibi in omnibus similem seu consubstantialem. *Nec enim*, inquit S. Gregorius Nazianzenus Orat. 35. *essentiæ nomen est Pater, nec actionis; sed relationem eam indicat, quam Pater habet erga Filium.*

T. 1. p. 573. d

Dicitur 2. ingenitus, innascibilis, seu non natus. De isto *ingeniti* vocabulo mirum quot rixas & cavillationes excitaverint Aetius & Eunomius.

Hæretici per *ingenitum*, eum intelligebant qui nullum prorsus haberet sui principium, nullam existendi causam, qualis solus Deus est; ex quo inferebant Filium & Spiritum sanctum Deum non esse, cum uterque a Patre productus esset.

Econtra Catholici nomen *ingeniti* Patri quidem tribuebant secundum omnem suam significationem, tam pro negatione principii creationis, quam cujuscumque processio-

cessionis, productionis, seu emanationis & originis unius personæ ab alia, quia Pater a nullo est, principium est sine principio: e contra Filius a Catholicis *genitus natus*, dicebatur, non quidem sensu Hæreticorum, quasi creatus seu ex non existantibus factus esset; sed quia per æternam generationem procedit a substantia Patris, ipsi omnino æqualis & consubstantialis. Idem dici debet de Spiritu sancto qui a Patre & Filio procedit. Hac igitur remota nominis æquivocatione, evanescunt omnes illæ Veterum Hæreticorum argutiæ & cavillationes. Vide Petavium circa significationem hujus vocis Lib. 5. de Trinitate cap. 1.

Dicitur 3. Pater principium Filii & Spiritus sancti, non quidem creationis, sed processionis & originis: hoc enim duntaxat importat principii nomen, id nempe a quo aliquid profluit, procedit, producitur. Quapropter immerito prorsus eo nomine abutebantur Ariani, ut inde efficerent Filium creatum seu factum esse a Patre.

Inter Græcos nonnulli Patrem dixere Filii causam: quo nomine principium duntaxat originis seu processionis intelligebant, interprete Cardinale Bessarione in Sess. 25. Concilii Florentini.

Eodem etiam sensu nonnulli e Latinis Patrem dixere auctorem Filii, de quo vide Petavium Lib. 4.

Alia quæ ad Patrem spectant nomina prætermittimus; ea siquidem ex dictis facile innotescunt.

AR-

ARTICULUS II.

De Persona Filii.

PAuca hic de persona Filii dicenda nobis superstant: quæ enim ejus spectant naturam, processionem, modum processionis; & cum Patre consubstantialitatem fuse ac copiose nobis exposita fuere, in quibus præcipua hujus mysterii pars consistit.

Dicemus hic 1. de variis Filii nominibus; 2. expendemus ex quarum rerum cognitione Verbum divinum procedat.

PARAGRAPHUS I.

De variis Filii nominibus.

Variis nominibus in Scripturis Filius, designatur.

Dicitur quippe Filius, dicitur Verbum, imago Patris, sapientia, virtus, vita æterna.

Dicitur Filius, quia ex propria substantia Patris ab æterno genitus est.

Dicitur Verbum, id est terminus cognitionis Patris, seu formalis repræsentatio objectorum quæ a Deo cognoscuntur. *Formata quippe cogitatio*, inquit S. Augustinus L. 15. de Trinitate cap. 10. *ab ea re quam scimus, verbum est* quod *in corde dicimus*. Hinc proprie dicitur Patris sapientia, doctrina, ratio, sermo.

v. 1. pag. 979

Dicitur imago Patris, Coloss. 1. v. 15. *Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ*. Hebr. 1. v. 3. dicitur *splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus*. De hac imaginis nuncupatione vide Petav. L. 6. cap. 5. & 6.

Ex

Ex his nata in Scholis quæstio, ex quarum nempe rerum cognitione Verbum procedat: quam quidem quæstionem sequenti Paragrapho solvemus.

PARAGRAPHUS II.

Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum divinum.

Observa, res, seu objecta ex quorum cognitione Verbum procedit, duplicis esse ordinis: alia enim sunt plane necessaria, alia contingentia. Rursus, Verbum procedere dici potest vel per se ac necessario ex cognitione aliquorum objectorum, vel accidens tantum ac concomitanter.

PRIMA CONCLUSIO.

Verbum divinum formaliter & essentialiter procedit ex cognitione eorum omnium quæ sunt in Deo formaliter ac necessario; adeoque ex cognitione essentiæ, attributorum, personarum divinarum, creaturarum possibilium.

Probatur 1. quia Verbum divinum procedit formaliter ac essentialiter ex cognitione comprehensiva divinæ essentiæ: tum quia cum sit perfectissimum, necesse est ut procedat ex cognitione omnium perfectissima, qualis est comprehensiva; tum quia perfectissime ac comprehensive Verbum divinum repræsentat essentiam: atqui non potest per se procedere ex cognitione comprehensiva, nisi per se formaliter exprimat ac repræsentet quæcumque sunt in Deo formaliter ac necessario, qualia sunt attributa divina, per-

personæ, proprietates ralativæ, creaturæ possibiles, &c. ad comprehensivam enim rei alicujus cognitionem requiritur, ut tota & totaliter, tam intensive quam extensive cognoscatur; atque adeo ea salutem cognoscantur quæcumque in re sunt formaliter, aut cum ea necessario connexa; ergo Verbum divinum formaliter & essentialiter procedit ex cognitione essentiæ, attributorum, personarum divinarum, creaturarum possibilium.

II. Verbum divinum procedit ex cognitione comprehensiva Patris: vi etenim processionis suæ Patrem exprimit ac repræsentat, utpote cum ipsius imago sit: atqui Pater non potest comprehensive cognoscere seipsum, quin simul cognoscat Filium & Spiritum sanctum: 1. enim relata sunt simul natura & cognitione: atqui tres personæ divinæ ad se invicem mutuo referuntur; ergo. 2. non potest Pater seipsum cognoscere, quin videat in se vim generandi & spirandi: atqui Pater non potest percipere vim generandi & spirandi, quin cognoscat Filium & Spiritum sanctum; Filius enim terminus est generationis activæ, & Spiritus sanctus pariter terminus est spirationis activæ; ergo Verbum non potest procedere ex cognitione comprehensiva Patris, quin simul procedat ex cognitione sui ipsius & Spiritus sancti.

III. In eo priori originis in quo Pater est prior Filio & illum generat, Pater videt Filium & Spiritum sanctum actu existentes; ergo ex eorum, imo & suimetipsius cognitione Verbum procedit. Antecedens certum est: instans quippe illud originis est, non temporis, non naturæ, nec prioritatis, quæ in Scholis dicitur *in quo*, sed tantum *a quo*;

ac

ac consequenter in eo instanti Verbum & Spiritus sanctus existunt, quia sunt entia plane necessaria. Consequens autem clarum videtur: quid enim obstaret quo minus Verbum procederet ex cognitione illorum objectorum quæ in Deo sunt formaliter ac necessario, pro eo instanti quo Filius generari concipitur?

Dices 1. Verbum per se ac necessario non procedit ex cognitione objecti secundarii: atqui attributa, personæ, &c. sunt duntaxat objectum secundarium divinæ cognitionis; essentia vero divina objectum est primarium.

Resp. nego maj. Verbum enim procedit ex cognitione comprehensiva: hæc porro cognitio, non tantum primarium, sed etiam secundarium objectum complectitur.

Dices 2. Pro illo priori generationis Filii, personæ nondum concipiuntur existentes; ergo Verbum procedere non potest ex illarum cognitione.

Resp. valde imperfectum esse modum quo res divinas intelligimus; nec concludi debere personas divinas non existere, quod eas pro eo instanti existentes distincte non cognoscamus: hæc enim instantia, ut jam diximus, originis duntaxat sunt, non temporis aut naturæ; atque simul eademque cognitione Verbum cognoscitur ac producitur, qua fere ratione nos intelligendo verbum intra nos producimus, & producendo cognoscimus.

Dices 3. Verbum procedit ex cognitione trium divinarum personarum; ergo procedit ex Spiritu sancto, imo & a semetipso. Quare? quia Verbum procedit ex iis rebus, ex qua-

quarum procedit cognitione: sed procedit ex cognitione trium personarum; ergo procedit ex tribus personis.

Resp. nego sequelam maj. Hæc quippe duo valde diversa sunt, procedere ex cognitione rei alicujus, & procedere ex re ipsa: prius denotat tantum rem illam esse terminum seu objectum paternæ cognitionis; posterius, rem illam esse principium & originem productionis Verbi. Procedit quidem Verbum ex cognitione sui ipsius & Spiritus sancti, tanquam ex rebus cognitis, seu objecto paternæ cognitionis, sed non procedit aut a se, aut a Spiritu sancto tanquam ex principio. Ad probationem, nego maj. Verbum enim procedit ex cognitione rerum tanquam ex objecto, non tanquam ex principio.

Dices 4. Si Verbum procedit ex cognitione Spiritus sancti; ergo est imago Spiritus sancti.

Resp. dist. conseq. imago intentionalis, quomodo verbum quodlibet est imago cujuslibet illius objecti, ex cujus cognitione efformatur, concedo: imago naturalis, nego. Ad imaginem enim naturalem tria requiruntur: 1. similitudo, nempe ut perfecte conveniat cum archetypo; 2. requiritur processio, ut nimirum imago producatur ab eo cujus est imago; 3. ut sit similis vi processionis formaliter: porro hæc tria non competunt Filio respectu Spiritus sancti, ergo, &c.

Dices 5. Omnis cognitio supponit objectum; ergo Verbum non procedit ex cognitione suiipsius; alioquin Verbum seipso prius foret ac posterius; prius esset, ut objectum; posterius vero, ut objecti cogniti fœtus.

Resp. 1. dist. ant. omnis cognitio speculativa

tiva supponit objectum, concedo: practica, qualis aliquo sensu dici potest cognitio ex qua procedit Verbum divinum, nego.

Resp. 2. aliter dist. ant. omnis cognitio supponit objectum, si objectum sit motivum facultatis cognoscentis, concedo; movere etenim non potest facultatem nisi existat: si sit pure terminativum, nego. Porro Verbum & Spiritus sanctus sunt duntaxat objectum terminativum cognitionis Patris, non motivum.

Resp. 3. negando conseq. & ad prob. distinguo istam propositionem, Verbum seipso prius foret ac posterius, sub diverso respectu, concedo, sub eodem, nego. Verbum prius esset ut objectum, posterius vero ut objecti cogniti fœtus. Prius, secundum repræsentationem spectatum, posterius vero, secundum entitatem. Porro diversitas illa respectuum tollit pugnam ac contradictionem. Verum potissimum standum secundæ responsioni.

Dices denique: Cognitio ex qua procedit Verbum, præsupponitur Verbo ut existenti; ergo Verbum non procedit ex cognitione intuitiva Verbi, nec proinde ex cognitione Spiritus sancti.

Resp. dist. antec. cognitio præsupponitur Verbo prioritate *a quo*, concedo: prioritate *in quo*, nego. Prioritas *a quo*, est prioritas originis, qua fit ut unum ab alio procedat, sive eo natura, tempore, aut ratione posterius fit, sive non. Prioritas *in quo*, est qua unum ante aliud existit aut merito concipitur existere.

Equidem cognitio ex qua procedit Verbum, præsupponitur Verbo prioritate *a quo*, quo-

quoniam est a cognitione Patris; cognitione, inquam, non præcise ut essentialis est, sed ut notionalis: at non præsupponitur proprietate *in quo*, quia non est, imo nec in ullo signo rationis *merito* cogitatur esse cognitio, quin fit Verbum, cum Verbum perinde sit ab æterno ac ipse Pater.

Unde inter divinas personas occurrit quædam prioritas *a quo*, id est originis; sed non *in quo*, quia æqualiter sunt æternæ: atque adeo prioritas *a quo* recte stat ac cohæret cum simultate *in quo*.

SECUNDA CONCLUSIO.

Verbum procedit ex cognitione omnium creaturarum etiam contingentium, non quidem necessario ac per se, sed concomitanter & quasi per accidens; quia nimirum sunt in essentia divina.

Probatur ratione mox adducta, ex summa, infinita & comprehensiva Dei cognitione, qua fit ut Verbum, quod terminus est illius cognitionis, res omnes cognoscibiles exprimere ac repræsentare debeat. Unde merito S. Augustinus L. 15. de Trinitate c. 14. ait: *Novit itaque omnia Deus Pater in seipso, novit in Filio: sed in seipso tanquam seipsum, in Filio tanquam Verbum suum, quod est de his omnibus quæ sunt in seipso.*

Tom. 5. p. 984.

Addimus, Verbum non per seipsum ac necessario procedere ex cognitione creaturarum contingentium, sed concomitanter duntaxat & quasi per accidens: quia cum creaturæ illæ sint accidentales & possint non esse, necessario & absolute ab illarum cognitione Verbum non procedit, sed tantum con-

concomitanter ac hypothetice, supposito nempe quod sint ac futuræ sint.

ARTICULUS III.

De Persona Spiritus sancti.

PLuribus nominibus Spiritus sancti persona solet in Scripturis designari.

Dicitur præcipue *Spiritus sanctus*, non tantum hoc sensu quod immaterialis sit, cujusmodi etiam sunt Pater & Filius, sed speciali quadam de causa; quia cum sit terminus amoris mutui Patris & Filii, atque amoris proprium sit, impelli, moveri & inclinari in rem amatam, impulsus ille subsistens est ac personalis in Deo Spiritus. Additur per quamdam appropriationem, *sanctus*, quia sanctitas Spiritui sancto accommodatur, sicut potentia Patri, & Filio sapientia.

Dicitur etiam *Amor*, & quidem secundum personalem & notionalem proprietatem: tum quia principium a quo procedit, amor est: tum quia ipse terminus est, vi processionis formaliter, subsistens ac personalis mutui amoris Patris & Filii. Hinc a SS. Patribus solet appellari charitas, Patris & Filii unio, communio, unitas, amplexus, osculum, nexus utriusque.

Dicitur quoque *Donum*, & quidem perfectissimum: ratio est, quia ut aliqua e divinis personis sit personale donum, requiritur 1. ut sit res alicui data; 2. ut ab aliquo detur; 3. ut ex se ac proprio charactere sit ipsamet ad dandum seu donandum inclinatio. Hæc autem tria Spiritui sancto qui ex divina voluntate procedit, apprime conveniunt.

De-

Denique dicitur *Paracletus*, id est Consolator, quod nempe consolatoris vices obeat, ac gratiam diffundat in cordibus, quæ interius solatur nos, reficit ac sustentat.

Quæ divinitatem & consubstantialitatem Spiritus sancti cum Patre & Filio spectant, superius exposita fuere contra veteres & recentiores Macedonianos. Ista vero in præsentiarum expendenda veniunt.

I. An Spiritus sanctus procedat a Patre & Filio.

II. An particula *Filioque*, merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano, & quando.

III. An Pater & Filius unum sit Spiritus sancti principium.

IV. Denique, an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, ab ipso distingueretur.

An Spiritus sanctus procedat ex Patre & Filio.

De processione Spiritus sancti a Patre nullum inter Catholicos usquam dissidium fuit: soli Macedoniani & Ariani caput istud fidei in controversiam adduxerunt. Eunomius, ait S. Basilius Lib. 2. adversus illum, *ut Spiritum aufert a Patre, ita eum unice Unigenito attribuit.* Quippe cum existimarent illi, Filium & Spiritum sanctum meras esse creaturas, Filium a solo Patre, Spiritum vero a Filio factum asserebant. Vide S. Basilium Lib. 2. contra Eunomium, S. Epiphanium hæresi 76. Errorem hunc ut confoderet Concilium Constantinopolitanum Oecumenicum, Symbolo Nicæno post istas voces, *Et in Spiritum sanctum*, addidit, *qui ex Patre procedit*. Brevi extinctus jacuit error iste, qui tam disertis Christi verbis evertitur, Jo. 15. v. 26.

T. 1. pag. 172

v. 26. *Cum venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.*

Verum longe magis diuturna & acris exarsit Latinos inter ac Græcos de processione Spiritus sancti a Filio, controversia, negantibus Græcis, Latinis affirmantibus.

Primum hujus erroris auctorem ac parentem sæculo quinto fuisse Theodoretum in confutatione scilicet anathematismi noni sancti Cyrilli Alexandrini in Nestorium, affirmant Bellarminus L. 2. de Christo cap. 21. Petavius L. 7. de Trinitate c. 1. Garnerius dist. 3. de fide Theodoreti cap. 1. Origo hujus controversiæ.

Sæculo octavo longe gravior exarsit ea de re concertatio; unde factum ut circa istud negotium sub Pipino & Carolo Magno variæ Synodi in Gallia, Italia & Germania habitæ fuerint. Progressus;

Prima est Gentiliacensis ad Lutetiam, anno 767.

Secunda, Forojulienſis an. 791.

Tertia, Francofordienſis eodem exeunte sæculo.

Quarta, Aquisgranensis an. 809. ex qua Carolus Magnus celebrem scripsit Epistolam de hac lite.

Quinta denique est Arelatensis anno 813.

Circa has Synodos doctissimum Petavium, & Conciliorum collectionem consule.

Nullus autem majori audacia errorem istum propugnavit, quam Photius versus finem noni sæculi. Invasor ille fuit Sedis Constantinopolitanæ, vivente adhuc S. Ignatio legitimo Patriarcha, anno 858. & luctuosi illius schismatis auctor quod Græcam a Latina sejunxit Ecclesiam, totque malorum ac dissidiorum seminarium fuit. Damnatus ille

fuit

fuit a Nicolao I. S. Pontifice anno 863. Cæco furore percitus, ipsum S. Pontificem vicissim damnavit; atque in Romanam Ecclesiam inverecunde debacchatus, inter alia multa, Latinos ex eo præsertim capite redarguebat, quod affirmarent Spiritum sanctum a Filio procedere.

Photio strenue pro sua auctoritate restitit Nicolaus I. S. Pontifex, qui datis ad Hincmarum Rhemensem Archiepiscopum aliosque Gallicanos Præsules Litteris, hortatus est, ut dogma catholicum adversus perduellem schismaticum tuerentur. Calumnias & mendacia Photii repressit Odo Bellovacensis, teste Hincmaro Epist. 5. ad ipsum. Represserunt & Æneas Parisiensis, cujus doctissimum Opus extat Tom 7. Spicilegii; & Ratramnus Corbejensis Monachus, Libris quatuor qui exstant Tom. 2. ejusdem Spicilegii.

Photium, qui gratia & auctoritate plurimum apud Imperatorem valebat, omnes fere Græci sequuti sunt: identidem tamen ad unitatem & concordiam cum Latinis reversi, postea pro sua innata levitate animi, ad pristinum errorem relapsi.

Undecimo sæculo tota recruduit disputatio opera præsertim Michaelis Cærularii Patriarchæ Constantinopolitani, & favente Constantino Monomacho Imperatore, unde varia subinde coacta sunt Concilia.

Ac 1. quidem Barense sub Urbano II. S. Pontifice, anno 1097. ubi S. Anselmus Cantuariensis Episcopus Catholicam de processione Spiritus sancti a Filio sententiam, strenue adversus Græcos propugnavit.

2. Concilium Lateranense IV. sub Inno-

cen-

centio III. cui una cum aliis non paucis Græcis Præsulibus interfuerunt duo Patriarchæ, Constantinopolitanus & Hierosolymitanus: in eo Concilio Orientales cum Latinis consuerunt.

3. Brevi rupta pace, rursus sub Gregorio X. habitum est an. 1274. Lugdunense Concilium II. ubi, annitente potissimum Michaele Palæologo Græcorum Imperatore, solemnis pax Græcos inter & Latinos reintegrata fuit; missi ad S. Pontificem nomine Imperatoris ac Ecclesiæ Græcæ Legati errorem palam ejurarunt, ac Symbolum, cui insertæ erant voces istæ, *Filioque*, una cum Latinis inter solemnia Sacra decantarunt. Ita constat ex Trithemio in Chronico Hirsaugiensi, Blondo Decade 2. L. 8. Gaguino L. 7. &c. A Sede sua dejectus Josephus Constantinopolitanus, qui cum aliis nonnullis huic concordiæ moras injiciebat, atque in ejus locum suffectus Beccus, vir excellenti ingenio & in doctrinæ studiis ab ineunte ætate versatus, tantisque naturæ donis ornatus, quantis quisquam alius hujus ætatis, ait Nicephorus Gregoras. Hic Beccus, quod observandum, acerrimus prius fuerat Græcorum propugnator, ac ipsimet Imperatori restiterat, deinde perlectis testimoniis quæ ex Scriptura & Patribus Nicephorus Blemides collegerat, ad partes Latinorum transivit. Verum nec illa Ecclesiæ utriusque concordia diuturna fuit: interfecto enim Michaele Palæologo, Becco exauctorato, Josephus restitutus fuit, ac gravissima rursus contentio exarsit.

4. tandem in Concilio Florentino anno 1439. post diuturnas ex utraque parte disserta- Exitus controversiæ.

tiones, pax solemniter inita est, ac communis fidei sancita professio, cui subscripserunt omnes, excepto Marco Ephesino, qui in errore suo pertinax remansit, Librumque edidit adversus Latinos. Nonnullos ille sequaces habuit inter Græcos schismaticos: nulla tamen publica fidei confessione impugnata fuere quæ in Synodo Florentina statuta & definita fuerant, error est igitur aliquorum personalis, non Ecclesiæ totius Græcæ. Itaque sit

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus a Filio procedit.

Probatur ex Scripturis, ex quibus quadruplex erui potest argumentum.

Primum eruitur ex locis quibus Spiritus sanctus a Filio mitti dicitur, perinde ac a Patre: Joan. 14. v. 26. *Paraclitus autem Spiritus quem mittet Pater in nomine meo.* c. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paraclitus quem ego mittam vobis, Spiritum veritatis qui a Patre procedit.* & cap. 16. v. 7. *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos.* Mittitur ergo Spiritus sanctus a Filio: constat autem ex dictis, unius personæ ab alia missionem supponere personam, quæ mittitur, ab alia procedere a qua mittitur.

Secundum, ex iis locis in quibus Filius ea omnia habere dicitur quæ habet Pater: Jo: 16. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixit, quia de meo accipiet.* Ex quibus sic arguimus:

Filius ea habet omnia quæ Patris sunt, una excepta relatione paternitatis: atqui Pa-

ter

ter vim habet spirandi Spiritum sanctum, & eum reipsa spirat seu producit, ut Græci ipsi fatentur; ergo Filius eamdem habet cum Patre vim spirandi Spiritum sanctum, in qua Patri non opponitur. Sic arguit S. Anselmus Lib. de processione Spiritus sancti cap. 7. ubi celebre istud apud Theologos principium probat, *In divinis omnia sunt unum & idem, ubi non obviat relationis oppositio.* Pag. 55. col. 1.

Tertium momentum deducitur ex iis locis in quibus Spiritus sanctus dicitur a Filio accipere, a seipso non loqui: Joannis 16. v. 13. *Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem, non enim loquetur a semetipso, sed quæcumque audivit, loquetur,* & versu 14. *Ille me clarificabit; quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Cur autem Spiritus sanctus a Christo accipiat, exponit ipsemet Christus ibid. v. 15. *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt: propterea dixi, quia de meo accipiet.* Ex quibus sic arguimus:

Spiritus sanctus *a Filio accipit*: non aliter autem una persona in divinis accipit ab alia, quam via originis & processionis; ita Filius a Patre accipit, & ea loquitur quæ a Patre audivit, quia nempe a Patre procedit per æternam generationem; ergo eadem ratione, cum Spiritus sanctus a Filio accipere dicitur ea quæ nos docet, hanc divinam scientiam a Filio simul cum essentia divina vi processionis & originis accipere dicendus est. Ita fere discurrit Joannes Theologus Latinorum partes agens Sess. 21. Concilii Florentini.

Quartum denique momentum ex iis locis

colligitur, in quibus Spiritus sanctus dicitur Spiritus Christi seu Filii: Act. 16. v. 7. *Cum autem venissent in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, non & permisit eos Spiritus Jesu.* Rom. 8. v. 9. *Si quis Spiritum Christi non habet, hic non ejus est.* Galat. 4. v. 6. *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Ex quibus sic arguimus:

Non alia ratione in Scripturis Spiritus sanctus dicitur Spiritus Dei aut Spiritus Patris, Matth. 10. v. 20. quam quod a Patre procedit; ergo similiter a Filio procedit, quia est Spiritus Filii. Inde est quod Joan. 20. v. 22. Christus in discipulos suos Spiritum sanctum tanquam suum insufflans, dixit: *Accipite Spiritum sanctum.*

Probatur 2. ex SS. Patribus, tum Græcis tum Latinis qui ante exortum Photianum schisma scripserunt, quorum testimonia passim referuntur in Concilio Florentino a Joanne Theologo collecta, & adversus Marci Ephesini aliorumque Græcorum exceptiones vindicata fuere.

Ex Græcis:

S. Athanasius Oratione 3. contra Arianos n. 24. *Nec Spiritus*, inquit, *Verbum cum Patre conjungit, sed potius Spiritus hoc a Verbo accipit. Quæcumque Spiritus habet, hæc a Verbo habet.* Qua via? processionis haud dubie; ergo Spiritus sanctus a Filio procedit.

Tom. 1. p. 573. Ibid.

S. Basilius Lib. 2. de Spiritu sancto n. 34. Eunomium contendentem Spiritum sanctum non a Patre esse, sed a solo Filio, refellit; quia, *nulla Filii operatio a Patre divisa est. Omnia enim*, ait, *mea tua sunt; & tua, mea. Quomodo igitur Spiritus causam Unigenito soli attribuit* (Eunomius) *& ad ejus ac-*

Tom. 1. p. 271.

accusandam naturam hujus creationem usurpat? His verbis aperte declarat sanctus Basilius, Patrem & Filium unum esse principium Spiritus sancti, qui non a solo Filio, ut delirabat Eunomius, sed a Patre quoque procedit. Igitur tanquam rem apud omnes, etiam apud Eunomianos, certam supponebat S. Doctor, Spiritum sanctum a Filio esse.

Et vero idem S. Basilius Lib. 5. adversus eumdem Eunomium, Hæretico scisitanti *cur Spiritus sanctus non dicatur filius Filii?* sic reponit: *Non quod ex Deo non sit per Filium, sed ne Trinitas putetur esse infinita multitudo, si quis eam suspicaretur, ut fit in hominibus, filios ex filiis habere.* Ibid. p. 305.

Porro expedita & prompta Basilio fuisset responsio, idcirco Spiritum sanctum non esse filium Filii, quia a Filio non procedit, si reipsa existimasset Spiritum sanctum non procedere a Filio.

S. Epiphanius hæresi 74. n. 7. *Vita totus est Deus. Ergo vita est e vita Filius: Ego enim sum, inquit, veritas & vita. At Spiritus sanctus ab ambobus oritur, Spiritus e Spiritu.* Tom. 1. p. 895.

Alia plura ex Græcis testimonia non proferemus.

Ex Latinis vero:

Tertullianus Lib. contra Praxeam cap. 4. *Filium*, inquit, *non aliunde deduco, sed de substantia Patris. Spiritum non aliunde puto, quam a Patre per Filium.* pag. 501.

S. Hilarius Lib. 2. de Trinit. *Loqui de eo* (Spiritu sancto) *non necesse est*, inquit, *qui Patre & Filio auctoribus confitendus est.* pag. 802.

S. Ambrosius Lib. 1. de Spiritu sancto c. 11. alias 10. *Spiritus quoque sanctus*, inquit, Tom. 2. pag. 615.

cum procedit a Patre & Filio, non separatur a Patre, non separatur a Filio. Et Tractatu de Symbolo Apostolicorum c. 3. *Spiritus sanctus vere Spiritus est, procedens quidem a Patre & Filio, sed non est ipse Filius.*

Edit. Pariſ. 1602. Tom 4 p. 89.

S. Augustinus Lib. 4. de Trinit. cap. 20. *Nec possumus dicere*, inquit, *quod Spiritus sanctus a Patre & a Filio non procedit: neque enim frustra idem Spiritus & Patris & Filii Spiritus dicitur.*

Tom 8. p. 8-9.

S. denique Anselmus, ut alios plures fileam, ex professo Librum scripsit adversus Græcos de processione Spiritus sancti a Patre & Filio.

Probatur 3. ex definitione Conciliorum.

I. Epistolam Cyrilli ad Nestorium, in qua, ut diximus, diserte asserit Spiritum sanctum a Patre & Filio procedere, approbarunt Generalia Concilia, Tertium, seu Ephesinum, Act. 13. Quartum, seu Chalcedonense, Act. 53. Quintum, Collatione 6. & 8. Sextum, Act. 10. Octavum, Act. ultima.

II. Idem statutum ac definitum fuit a subsequentibus Conciliis, Lateranensi IV. an. 1215. sub Innocentio III. Lugdunensi II. an. 1274. sub Gregorio X. & Florentino sub Eugenio IV. anno 1439. ad quæ multa alia seu Provincialia, seu Nationalia accessere Concilia.

Probatur denique theologica ratione, eaque duplici.

Prima est, quia ex communi effato, *In divinis omnia communia sunt, ubi non obviat relationis oppositio*: omnis enim distinctio inter divinas personas fundatur in relatione originis unius ab alia; unde si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab ipso non di-

distingueretur: atqui haud dubie distinguitur: ergo, &c.

Secunda sic proponitur. Filius accipit a Patre voluntatem fœcundam, necdum termino exhaustam; processio enim Filii prior est processione Spiritus sancti a Patre: atqui si accipit voluntatem fœcundam, profecto debet non secus ac Pater Spiritum sanctum ex ea producere; ergo, &c.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. silentium Scripturæ, quæ declarat quidem Spiritum sanctum procedere a Patre, nulla facta mentione Filii. Joan. 15. v. 26. *Cum autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit.*

Resp. 1. Scripturam non expressis quidem, sed æquivalentibus seu idem sonantibus verbis, astruere Spiritus sancti a Filio processionem, sicut inter probationes Conclusionis nostræ ostendimus.

Resp. 2. Græcos præter Scripturas Traditionem nobiscum agnoscere, tanquam alteram fidei nostræ regulam; porro perpetua ac constans Ecclesiæ Traditio clare & aperte docet Spiritum sanctum a Filio procedere.

Objicies 2. In Conciliis generalibus Nicæno I. & Constantinopolitano I. in quibus divinitas Spiritus sancti asserta & definita fuit, altum quoque silentium de processione ipsius a Filio.

Resp. Ecclesiam in Conciliis suas circa fidem definitiones seu decreta non condere, nisi occasione subnascentium errorum: cum igitur ætate Conciliorum Nicæni I. & Con-

stantinopolitani I. a nemine impugnaretur processio Spiritus sancti a Filio, de illa siluere illiorum Conciliorum Patres. Cum vero Eunomiani & Macedoniani negarent Spiritum sanctum Deum esse, eumque a Patre procedere, Concilium Constantinopolitanum I. distincte ac expresse definivit Spiritum sanctum verum esse Deum, & a Deo Patre procedere, accommodate scilicet ad errorem quem damnandum habebat, & urgentem tunc temporis Ecclesiæ necessitatem.

Objicies 3. Cum Charisius Presbyter publice in Concilio Ephesino Symbolum Nestorianum legisset, in quo diserte dicitur, Spiritum sanctum Filium non esse, neque etiam per Filium substantiam habere, istud ultimum caput non arguit neque damnat Concilium: imo nec S. Cyrillus in suis aduersus Nestorium capitulis, nec Cælestinus S. Pontifex scribens & ad Nestorium & ad Clerum Constantinopolitanum, Nestorio vitio vertunt, quod de processione Spiritus sancti a Filio nihil plane dixisset. Quare? quia nempe incognitum erat dogma processionis Spiritus sancti a Filio.

Resp. 1. Symbolum Nestorianum in iis capitibus rejectum fuisse, in quibus a Catholica fide aberrabat: caput vero quod spectat processionem Spiritus sancti a Filio, idcirco rejectum non fuisse, quod posset in rectum sensum adduci, nempe Spiritum sanctum a Filio creatum seu factum non esse, ut dicebant Macedoniani & Eunomiani; 2. Cælestinum ac S. Cyrillum silentium Nestorii circa processionem Spiritus sancti a Filio idcirco non culpasse, quia de illa processione nullatenus tunc agebatur, atque intempesti-

va

va omnino fuisset tunc temporis eam in rem censura.

Objicies 4. Cum Latini in Epistola Synodica dixissent Spiritum sanctum e Filio procedere, idque Græcis displicuisset, S. Maximus Martyr in Epistola ad Marinum Latinos excusat, quia etsi asserant Spiritum e Filio procedere, non idcirco tamen sentiunt ipsum esse principium Spiritus sancti, quod solus est Pater.

Resp. dist. ant. Latini non sentiunt Filium esse principium, id est, primum fontem, concedo: non esse principium simpliciter, nego. Observat doctissimus Petavius Lib. 7. de Trinitate cap. 17. n. 12. hanc principii, pro primo fonte, notionem apud Græcos esse pervulgatam.

Objicies 5. S. Joannem Damascenum Lib. 1. de fide orthodoxa ubi ait: *Spiritum sanctum ex Patre esse statuimus, & Patris Spiritum appellamus: at vero eum non ex Filio esse dicimus, sed Filii Spiritum nominamus.* Ergo in mente S. Damasceni, Spiritus sanctus non ex Filio, sicut ex Patre procedit. Ita sibi objicit S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. objectiones 3.

Respondet 1. S. Thomas loco mox citato, Damascenus errorem multorum hic sequutum esse, adeoque *ejus sententiæ standum non esse. Quamvis*, addit, *a quibusdam dicatur, quod Damascenus, sicut non confitetur Spiritum sanctum esse a Filio, ita etiam non negat ex vi illorum verborum.*

Responderi ergo 2. potest, S. Damascenum benigne in sensum catholicum inflecti posse, ita ut mens ejus hæc duntaxat sit, Spiritum sanctum e Filio non procedere, tan-

quam ex primario originis suæ fonte, qui Pater est; unde non raro dicitur Spiritus sanctus procedere a Patre *per Filium*, quem loquendi modum probat S. Thomas citata q. 36. art. 3. *Cum enim*, inquit, *Filius a Patre habeat, quod ab eo Spiritus sanctus procedat, Pater per ipsum Filium spirare Spiritum sanctum dicitur*. Et vero S. Damascenus ibidem comparat Patrem Soli, Filium radio, Spiritum autem sanctum splendori qui ex radio oritur. Capite autem 18. statuit Spiritum sanctum esse imaginem Filii, sicut Filius imago est Patris. *Imago Patris*, inquit, *est Filius, ac Filii Spiritus*.

Tom. 1. p. 142.

Ibid. p. 151.

Objicies 6. Leo III. Summus Pontifex processionem Spiritus sancti a Filio, quam Latini mordicus tuebantur, improbasse videtur, cum jussit Symbolum Constantinopolitanum, cui particula *Filioque* inserta fuerat, absque tali additione, ad perpetuam rei memoriam, juxta Confessionem sancti Petri in duabus tabulis argenteis descriptum affigi.

Resp. Summum Pontificem Leonem III. nusquam improbasse dogma catholicum de processione Spiritus sancti a Filio; sed duntaxat additionem quæ Symbolo facta fuerat particulæ *Filioque*. Ægre ferebat Pontifex, nulla exigente necessitate. Symbolum inter Sacrorum solemnia publice decantari cum illa additione particulæ, *Filioque*, Leonem vero cum Legatis Ecclesiæ Gallicanæ & Caroli Magni Imperatoris consensisse circa dogma processionis Spiritus sancti a Filio, constat ex Actis Legationis, quæ ex Abbate Smaragdo Sirmondus descripsit Tom. 2. Conciliorum Galliæ, & apud Cointium

Pag. 256. & seq.

in

in Annalibus Ecclesiæ Francorum ad annum 810. Edit Paris. 1678 To. 7 p. 118. & seq.

Objicies denique Theodoretum, quem Bellarminus, Petavius, Leo Allatius & Garnerius, post Hugonem Etherianum, erroris Græcorum circa processionem Filii patronum, aliqui primum auctorem ac parentem fuisse affirmant.

Itaque ex Theodoreto hæc opponunt.

I. Cum sanctus Cyrillus anathematismo nono anathema dixisset iis qui negabant Spiritum sanctum esse Filii proprium; doctrinam hanc, in confutatione hujus noni anathematismi, carpit ac redarguit Theodoretus.

II. In Epistola Theodoreti ad Monasteria, *Blasphemat*, inquit, (S. Cyrillus) *& in Spiritum sanctum, dum non ex Patre solo illum asserit procedere, juxta Domini vocem; sed ex Filio eandem habere existentiam. Hi sunt Ægyptii partus, & malo patre deteriora germina.*

III. In expositione Epistolæ ad Rom. cap. 8. n. 11. sic habet: *Spiritum sanctum & Dei appellavit & Christi;* (Apostolus) *non quod, ut volunt Hæretici execrandi, ex Deo per Filium creatus sit, sed quia est ejusdem cum Patre & Filio substantiæ; & ex Patre quidem procedit juxta Evangelicam doctrinam: ejus autem gratia iis, qui digni sunt, per Christum suppeditatur.*

IV. In Expositione capitis 2. 1. ad Cor. v. 12. ad hæc verba, *Non spiritum mundi accepimus, sed Spiritum qui ex Deo est*, sic loquitur: *Dei nomen in nomen Patris commutat ad excludendam processionem a Filio; sed ipse qui a Patre procedit, Spiritus occulta mysteria nos docuit.*

V. denique hæret. fabul. Lib. ultimo cap. 3. ubi ex data opera exponit quid de Spiritu sancto sit credendum, ejus quidem a Patre processionem commemorat, at altum ibi silentium de ipsius processione a Filio; ergo illam non admisit.

Resp. hæc, tametsi prima fronte explicatu difficilia videantur, posse tamen in rectum sensum adduci, maxime cum gravia nobis non desint momenta quibus hic Theodoretum vindicare possimus.

1. Nec S. Cyrillus in detegendis ac arguendis Theodoreti lapsibus oculatus ac solers, nec Synodus quinta quæ nihil eorum prætermisit ex iis quæ Theodoretum in invidiam adducere poterant, nullus denique ex Theodoreti adversariis, quos expertus est quamplurimos sane ac vigilantissimos, nullus, inquam, ex iis omnibus Theodoretum reprehendit, quasi Spiritum sanctum a Filio procedere negaverit. Quis autem sibi persuadeat id futurum fuisse, si revera erraret in eo, quod tanti momenti erat, capite?

Neque satisfecit quod reponunt Petavius, Garnerius & alii, nimirum S. Cyrillum, qui totus intentus erat refellendo Nestorii errore, leviorem istum de processione Spiritus sancti a Filio prætermisisse: namque ardentior erat inter illos æmulatio, quam ut sibi invicem quidquam disputando parcerent ac condonarent.

Quod addit Garnerius, metuisse Scriptores Catholicos, ne, si Theodoretum accusarent, Græcorum partes tanti viri auctoritate adjuvare viderentur, parum urget: nihil profecto hujusmodi reformidarunt in negotio Nestorii, cui tam aperte favere Theodore-

doretum omnes noverant, quem tamen in gravissimam erroris suspicionem adductum, plurimum exagitatum fuisse, ignorat nemo.

II. Etsi disertis & expressis verbis Theodoretus non dicat Spiritum sanctum a Filio procedere, ea tamen passim astruit doctrinæ principia, ex quibus processio Spiritus sancti a Filio aperte ac necessario colligitur. Lib. 5. hæret. fabul. cap. 3. docet Patrem esse fontem Spiritus sancti, adeoque Spiritum sanctum Deum esse ejusdem cum Patre substantiæ, quia nimirum ab ipso procedit. Ex quo sic arguimus. Idcirco, juxta Theodoretum, Spiritus sanctus est Patri divino consubstantialis, quia procedit a Patre: atqui, eodem docente Theodoreto, Spiritus sanctus, utpote verus Deus, Filio est consubstantialis; ergo a Filio sicut a Patre procedit.

Deinde, in Expositione Epist. ad Rom. cap. 8. num. 11. docet idem Theodoretus, Spiritum sanctum esse Spiritum Dei & Christi, illiusque gratiam seu dona a Christo & per Christum dispensari: atqui duo hæc veram processionem arguunt. Quare enim diceretur Spiritus Christi? nisi quia est a Christo; & quomodo Christus dona ejus dispensaret, si eum non mitteret? si autem mittit, eum producit.

III. In his omnibus testimoniis quæ adversarii opponunt, non negat Theodoretus Spiritum sanctum a Filio procedere, (nulla etenim tunc temporis erat ea de re mota quæstio) sed negat duntaxat eum factum seu creatum esse a Filio, aut per Filium existentiam habere, ut delirabant Eunomius & Macedonius, quam *execrandam hæresim* Theodo-

do-

doretus appellat. Hanc esse illius mentem, aperte ostendit vel ipse locus qui objicitur ex Commentario Epist. ad Romanos. Revera quidem Theodoretus disputationis æstu longius abreptus, Cyrillo imponit, quasi reus foret negatæ divinitatis Spiritus sancti: at cum se errore facti delusum intellexit, accusationi non institit amplius. Atque ex his facile patet ad objecta solutio.

An particula Filioque *merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano, & quando.*

Duo hic sunt pertractanda: primum, an illa particula, *Filioque*, jure ac merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano; secundum, quandonam addita fuerit.

An particula, Filioque *jure ac merito addita fuerit Symbolo Constantinopolitano.*

Conquesti sunt Græci, additionem hanc primam fuisse causam & originem schismatis ac dissensionum inter Ecclesiam utramque, Græcam & Latinam.

At prorsus immerito, reponebant Latini; jure enim ac merito facta illa fuit, ad confirmationem & expositionem Catholici dogmatis de processione Spiritus sancti a Filio. Quod ut planum fiat,

Observandum 1. additionem quamlibet seu explicationem, ut sit legitima, fieri debere ex justa & necessaria causa, atque non ex privata cujuslibet, sed ex publica Ecclesiæ auctoritate.

Observandum 2. quod post S. Bonaventuram observat Joannes Episcopus, Sess. 20. Concilii Florentini, triplicem scilicet distinguendam esse additionem: unam fidei adversam,

sam, quæ Hæreticorum est; ut si dicas Patrem genitum, Filium ingenitum, Spiritum sanctum a nullo procedentem: alteram non quidem fidei contrariam, sed temerariam, a communi usu abhorrentem: tertiam denique orthodoxam, qua mysterium aliquod fidei, implicite jam in Symbolo contentum, magis evolute ac explicite declaratur.

Observandum denique, totius controversiæ Græcos inter & Latinos cardinem in eo fuisse, an quidquam, etiam per modum explicationis, liceret addere Symbolo. Explicari Symbolum non ægre ferebant Græci modo explicatio ipsi Symbolo non infereretur; econtra contendebant Latini. Itaque sit

CONCLUSIO.

Particula *Filioque* jure ac merito addita fuit Symbolo Constantinopolitano.

Probatur 1. quia id Ecclesiæ licuit, ac licebit semper, quod illa judicaverit necessarium ad fidem vel illustrandam, vel adversus novos Hæreticorum insultus vendicandam; est enim illa *columna & firmamentum veritatis*, depositi custos fidelis, cui conservando, ne forte ab Hæreticis diripiatur, invigilare perpetuo debet: atqui Ecclesia judicavit necessarium esse ac temporis circumstantiis opportunum, particulam *Filioque* adjicere Symbolo Constantinopolitano, nempe ob grassantem errorem contra processionem Spiritus sancti a Filio. Occasione scilicet succrescentium in dies novarum hæresum, solet Ecclesia, uti observat Vincentius Lyrinensis, fidei articulos, non quidem novos,

sed

sed de novo explicatius evolutos Fidelibus ad credendum proponere.

Probatur 2. exemplis Conciliorum.

Concilium Nicenum primum Oecumenicum, Symbolo Apostolorum adjecit vocem, *consubstantialem*, ὁμόσιον, adversus Arianos.

Concilium Constantinopolitanum primum, Nicæno Symbolo circa Filium hæc verba adjecit, Incarnatus est *ex Spiritu sancto, ex Maria Virgine*. Circa vero Spiritum sanctum hæc addit: Et in Spiritum sanctum *Dominum & vivificantem, ex Patre & procedentem, cum Patre & Filio simul adorandum & conglorificandum, qui locutus est per Prophetas*.

Concilium Ephesinum vocem, *Deipara*, non quidem Symbolo adjecit, quia necessariam non judicavit: sed in fidei professione seu declaratione adhibuit, ut veritas fidei clarius exprimeretur, ac pressius revinceretur contrarius error Nestorii.

Concilium Chalcedonense Nicæno Symbolo circa Filium hæc verba adjecit: *Consubstantialem Patri, secundum deitatem; & consubstantialem nobis, secundum humanitatem*: idque appositè adversus hæresim Eutychianam. Quin & hæc ipsa Synodus Chalcedonensis, postquam Symbolum Nicænum ac Constantinopolitanum recitavit, imo & legem in Concilio Ephesino sancitam, de non condenda seu scribenda altera fide, seu fidei expositione, prolixam adjicit adversus peculiares Eutychetis errores fidei expositionem.

Atqui nemo dixerit hæc omnia additamenta non rectè ac legitimè ab Ecclesia fuisse inserta: ergo nec aliud ferri debet judicium de additione hujusce particulæ, *Filioque*.

Et

Et vero utrobique intervenit eadem auctoritas, nempe Ecclesiæ: & urgens necessitas, nempe revincendus aut præcavendus error.

Probatur 3. definitione Concilii Florentini cui omnes Græci pariter ac Latini subscripserunt. *Definimus*, ajunt Patres, *quod Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.*" *Definimus insuper, explicationem verborum illorum,* Filioque, *veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc necessitate, licite ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam.* T. 13. Con. p. 514. Ibid. p. 515.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. auctoritatem Concilii Ephesini quod fuit generale III. ann. 431. adversus Nestorii hæresim congregatum. Actione 6. severe prohibet, ne altera fides proferatur, seu quidquam Symbolo addatur. *Statuit sancta Synodus, alteram fidem nemini licere proferre, aut conscribere, aut componere, præter definitam a sanctis Patribus qui in Nicæa cum Spiritu Sancto congregati fuerunt. Qui vero ausi fuerint aut componere fidem alteram, aut proferre*." *hos quidem, si sunt Episcopi aut Clerici, alienos esse Episcopo ab Episcopatu, & Clericos a Clericatu decrevit. Si vero laici fuerint, anathemati subjici.* Porro qui Symbolo adjicit aliquid, alteram ille fidem profert. Erat istud achillæum Græcorum argumentum. T. 3. Conc. p. 690.

Resp. dist. maj. Synodus Ephesina prohibuit ne altera fides, aut fidei professio proferatur; id est fides altera, seu contraria iis quæ

Pa-

Patribus Nicænis definita fuerant, concedo: fides altera, id est, altera ejusdem fidei expositio, declaratio, & explanatio, nego. Hunc unum lati Decreti finem ac scopum esse, aperte demonstrat 1. occasio qua conditum istud fuit, occasione scilicet Symboli Nestoriani quod Charisius Presbyter & Philadelphiæ Oeconomus obtulerat, quodque a suis subscribi volebat Nestorius, & quod reipsa multi delusi subscripserant. Novitatem hanc audaciæ, temeritatis ac erroris plenam merito repressit Ephesina Synodus, prohibuitque omnem additionem & explicationem avitæ fidei contrariam; eam vero quæ fidei consona est ac conformis, approbat & confirmat. Vocem, *Deipara*, ad constringendum Nestorium proponit & exigit; 2. idem patet ex eo quod professionem fidei, quam in signum concordiæ Joannes Antiochenus post restitutam pacem misit ad S. Cyrillum, tametsi multa Symbolo adderet majoris explicationis gratia, benigne tamen ac cum laude suscepit S. Cyrillus; an vero suscepisset ac laudasset, si omnis & quælibet etiam Catholicæ fidei nova expositio fuisset a Patribus Ephesinis prohibita?

Ibid p. 678. & 682.

2. Synodus Chalcedonensis paulo post Ephesinam coacta, postquam Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum recitavit Actione 5. prolixam adjecit, ut mox observavimus, fidei expositionem adversus peculiares Eutychetis errores; ergo non existimavit Synodus Oecumenica Chalcedonensis nihil adjici licere, quod consentaneum foret.

Unum hic addo, scilicet Canonem Ephesinum qui objicitur, ad privatos spectare, non ad Ecclesiam ipsam. Quod quidem patet

tet 1. ex occasione qua latum est illud decretum, ut modo notavimus; 2. ex ipsis decreti verbis, *hos, si quidem sunt Episcopi, aut Clerici*; 3. ex pœna depositionis aut anathematis adjuncta, neque enim Synodus Ephesina aut voluit aut potuit universam Ecclesiam anathemati subjicere. Porro si Canon Ephesinus ad privatos duntaxat spectat, nemo non videt omnino evanescere difficultatem quam ex eo Canone colligunt adversarii.

Instabis: Synodus Ephesina vocem, *Deipara*, Symbolo inserere noluit, quanquam necessaria maxime & opportuna foret errori Nestorii comprimendo. Quare autem Synodus ab illa voce Symbolo inserenda abstinuit? nisi quia omnem additionem, etiam explicandi causa factam, prohibuit.

Resp. 1. necessariam non fuisse vocis hujus, *Deipara*, additionem in Symbolo; quia satis expresse ac explicite B. Virgo *Deipara* seu Dei mater declaratur ex duobus articulis clare & explicite in Symbolo Constantinopolitano contentis, nempe Christum verum esse Deum Patri consubstantialem, eumque *incarnatum & natum esse ex Maria Virgine*.

Resp. 2. Synodum Ephesinam novum non condidisse Symbolum, sed novum duntaxat Nestorii errorem damnasse: si tamen expedire judicasset, etiam pro auctoritate sua potuisset vocem, *Deipara*, Symbolo adjicere, quemadmodum Nicæna Synodus Symbolo Apostolico adjecit vocem ὁμοούσιον, *consubstantialem*.

Objicies 2. auctoritatem Concilii Chalcedonensis Act. 2, ubi cum Judices proposuissent

sent novam condi fidei formulam, & quidem consonam Symbolis Nicæno & Constantinopolitano, Episcopi clamaverunt, *Expositionem alteram nullus facit, neque tentamus, neque audeamus exponere. Docuerunt enim Patres, & in Scriptis custodiuntur quæ ab eis sunt exposita, & citra ea dicere non possumus.* Ergo ne Concilio quidem Oecumenico licitum est novam fidei expositionem condere.

T. 4. Conc. p. 337.

Resp. dist. conseq. licitum non est, ubi nulla urget necessitas, concedo: si necessitas urgeat, nego. Porro nulla necessitas urgebat tempore Concilii Chalcedonensis, novi edendi Symboli adversus errorem Eutychetis, qui satis clare ac expresse in antecessum proscriptus fuerat in utroque Symbolo Nicæno & Constantinopolitano, ubi cum Christus Deus simul & homo declaretur, consequenter necesse est duplicem in ipso agnoscere naturam, divinam scilicet & humanam: Quapropter idem Concilium novum quidem Symbolum non condidit; attamen solemniter declaravit, *Filium esse consubstantialem Patri, secundum deitatem; & consubstantialem nobis, secundum humanitatem;* quæ verba in Symbolo aut Nicæno, aut Constantinopolitano sic unita non leguntur.

Obiicies 3. In septima Synodo post allatum Symbolum Nicænum & Constantinopolitanum, Patres addunt: *Nos leges Patrum custodimus. Nos eos qui addunt quid vel adimunt de Ecclesia, anathematizamus.* Ergo non licet quidquam addere.

T. 7. Conc. p. 575.

Resp. eandem hic recurrere solutionem, nempe a sexta & septima Synodo prohiberi, ne

ne altera fidei professio contraria iis quæ a Patribus definita fuerant, proferatur. Et vero vel ipsa septima Synodus fidem Ecclesiæ circa cultum Imaginum confirmavit, de quo nihil edictum prius fuerat, sive in Nicæno, sive in Constantinopolitano Symbolo. Ergo vel ipso usu Ecclesiæ manifestum est, illicitum non esse, imo aliquando plane necessarium, novam fidei expositionem seu declarationem fidei principiis consonam proferre.

Quod ex Leone III. S. Pontifice opponi his solet, paulo ante in responsione ad sextam Objectionem solutum fuit. Studio scilicet & amore antiquitatis ductus Pontifex, Symbolum, quale a Patribus Constantinopolitanis conditum fuerat, jussit describi, absque addita particula *Filioque*, nec probavit illud tunc temporis, nulla id exigente necessitate, inter Sacra publice decantari; subinde tamen mos ille invaluit, Græcis ipsis non renuentibus imo & consentientibus, sicut ex definitione Concilii Florentini paulo ante probavimus.

Ad expostulationem vero Græcorum, qui conquesti sunt se non consultis nec vocatis additionem illam factam fuisse, respondet Rhodius Sess. 7. Concilii Florentini, 1. non constare vocatos non fuisse Græcos; 2. Ecclesiam Romanam nulla lege adstrictam fuisse, ut eos vocaret. *Videmus enim*, inquiebat, *in diversis antiquis Conciliis, numero illa inter se differre: siquidem in primo erant trecenti decem & octo; in secundo, centum & quinquaginta; ducenti in tertio, sexcenti & triginta in quarto: nihilominus quæ pauciores decreverant, plures suscipere.* T. 1. Conc. 123.

Pau-

Paulo ante dixerat, Ecclesiam Romanam coactam fuisse additionem particulæ *Filioque* probare. *Jam enim*, inquit, *canebatur in Galliis & Hispanis. Quare placuit Summo Pontifici cum multorum Occidentalium Patrum consessu, qui nec dignitate, nec modici erant numero, illud explicare quod dicimus, & sicut in Symbolo canimus.* Deinde exemplo præcedentium Conciliorum, demonstrat licitum semper fuisse, imo & necessarium occasione novarum hæresum; fidem latius & clarius exponere.

Ibid. p. 119.

Quo tempore particula Filioque *Symbolo Constantinopolitano adjecta fuerit.*

Resp. 1. vix quidquam certi ea de re statui posse, adeo discrepant Ecclesiastici Tractatores.

Sunt qui additionem hanc jussu Damasi S. Pontificis factam existimant: at nullum apud Veteres extat additionis hujus vestigium; & certe aut nunquam Græci reclamassent, aut citius reclamassent; nec Leo III. improbasset quod a Damaso factum putasset.

Sunt qui factam arbitrantur additionem in numerosa quadam Latinorum Synodo, circa tempora sexti Concilii generalis, hoc est post annum 600. at nec ullum extat vestigium, nec haud dubie tantopere reclamasset Leo III. Sunt qui existimant factam additionem consensu utriusque Ecclesiæ in Synodo VII. at 1. vox illa non legitur in hujus Synodi Codicibus; 2. qua fronte tam pertinaciter additamentum illud impugnare, totque calumniis illius occasione Latinos subinde lacessere potuissent Græci? 3. quomodo Leo ipse III. S. Pontifex additionem illam improbasset?

Tem-

Tempore Nicolai I. an. 858. factam illam additionem fuisse, innuit S. Antoninus p. 3. tit. 22. At quomodo Photius infensissimus Nicolai hostis, hoc ipsi non exprobrasset?

S. Thomas 1. p. q. 36. art. 2. ad 2. ait, magni cujusdam Concilii & R. Pontificis auctoritate additam Symbolo fuisse particulam *Filioque*. Verum quale sit istud Concilium, non assignat; nec quæstionem istam criticorum more expendit Doctor Angelicus.

Scriptor Gallus L 11. Historiæ Schismatis Græcorum, existimat additionem illam factam fuisse a Benedicto VIII. sæculo undecimo, hortante S. Henrico Imperatore. Verum historica hujus ætatis monumenta nihil tale referunt. Revera tunc temporis Romæ decantari cœpit Symbolum cum additione particulæ *Filioque*: at tunc temporis primum additionem illam factam fuisse, male inde colligeretur; jam enim diu ante facta legitur, ac Symbolum cum ea additione publice decantatum fuisse. Maim. bourg.

Resp. 2. additionem illam in quibusdam Occidentis Ecclesiis prius obtinuisse quam Romæ; atque in Hispaniam primo inductam fuisse ineunte sæculo quinto; tum in Galliam & Germaniam sæculo saltem octavo dimanasse, ac tandem Romæ sub finem sæculi noni receptam fuisse.

Probatur prima pars, scilicet additionem primum in Hispaniam ineunte sæculo quinto fuisse inductam. Constat id 1. ex Concilio Toletano primo; 2. ex Concilio Bracarensi primo; 3. ex Concilio Hispalensi. In his omnibus Conciliis ante quintum sæculum celebratis, extat additio de qua hic agimus.

Pro-

Probatur secunda pars ex Conciliis Francofordiensi anno 794. & Forojulienſi, in quibus additio recepta & probata fuit. Ibi postquam obſervata fuere ea quæ Patres Conſtantinopolitani Symbolo Nicæno addidere, dicitur: *Sed & postmodum, propter eos videlicet Hæreticos qui susurrant Spiritum sanctum solius esse Patris, & a solo Patre procedere, additum est, Qui ex Patre Filioque procedit.*

T. 7. Conc. p. 994.

Probatur tertia pars 1. ex Photio, qui inter cetera id objecit Nicolao I. S. Pontifici; 2. ex Ratramno Corbejenſi qui criminationem hanc diluit Lib. 2. cap. 2. 3. ex S. Antonino *in Chronico*, ubi iſtud diſerte docet.

Reſp. 3. additionem hanc tandem receptam ac probatam fuiſſe utriuſque Eccleſiæ conſenſu in Concilio Lugdunenſi ſub Gregorio X. ann. 1274. & in Florentino anno 1439. ſub Eugenio IV. ubi ſolemnis pax Græcos inter & Latinos ſancita & confirmata fuit.

An Pater & Filius unum ſint Spiritus ſancti principium.

Inter multa quæ Photius Latinis opponebat circa proceſſionem Spiritus ſancti a Filio, hoc unum erat, inde conſequens fore, quod Pater & Filius duo eſſent Spiritus ſancti principia. Conſequentiam negarunt Patres Lugdunenſes & Florentini. *Nos*, ajunt Patres Lugdunenſes, *damnamus & reprobamus omnes qui temerario auſu aſſerunt, quod Spiritus ſanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, non tanquam ab uno procedat.*

T. 11. Conc. p. 975.

Definimus, ajunt Patres Florentini, *quod Spiritus Sanctus a Patre & Filio æternaliter tanquam ab uno principio & unica ſpiratione proceſſat*, Sit itaque

T. 13. Conc. p. 514.

CON-

CONCLUSIO.

Spiritus sanctus a Patre & Filio, tanquam ab uno principio, procedit.

Probatur auctoritate mox adducta Conciliorum Lugdunensis & Florentini.

Accedunt & SS. Patres.

S. Basilius L. 2. contra Eunomium diserte affirmat, Patrem & Filium duo non esse, sed unum Spiritus sancti principium.

S. Augustinus L. 5. de Trinitate c. 14. *Fatendum est*, ait, *Patrem & Filium principium esse Spiritus sancti, non duo principia.* T. 8. p. 841.

S. Anselmus Lib. de processione Spiritus sancti c. 18. idem conceptis verbis asserit. Pag. 57.

Ratio Conclusionis aperta est: quia ibi non duo, sed unum est processionis principium, ubi una est ac indivisa virtus producendi: atqui in Patre & Filio una est & indivisa producendi Spiritum sanctum virtus; Filius etenim id omne habet quod Patris est, in quo ipsi non opponitur: at Pater vim habet spirandi Spiritum sanctum, & ratione illius Pater non opponitur Filio; ergo Pater & Filius non duo, sed unum sunt Spiritus sancti principium.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Principium *quod* processionis, est persona; ergo cum Pater & Filius duæ sint personæ, duo quoque sunt principia Spiritus sancti.

Resp. 1. simili argumento probari posse tres esse in Deo creatores. Dicet enim quis: Principium *quod* creationis, est persona: sed sunt in Deo tres personæ, ergo sunt tria principia creationis, quod expresse negat S. Anselmus mox laudatus.

Resp. 2. dist. ant. principium *quod* processionis, est persona, simul cum proprietate relativa, concedo : sine illa, nego. Revera principium *quod* personam denotat; at non solam, sed simul proprietatem relativam, seu formam per quam persona agit & aliam producit. Porro cum forma illa in Patre & Filio respectu Spiritus sancti una sit, nempe spiratio activa, consequenter Pater & Filius unum sunt principium Spiritus sancti.

Instabis : Proprietas relativa in Deo una esse non potest in duabus personis, siquidem personæ a se invicem distinguuntur per illas proprietates relativas : atqui spiratio activa est proprietas relativa; ergo una esse non potest in Patre & Filio.

Resp. dist. maj. proprietas relativa personalis, seu quæ personam constituit, non potest esse in duabus personis, concedo : proprietas relativa non personalis, sed quæ secundum nostrum intelligendi modum personæ jam constitutæ advenit, nego. Porro spiratio activa non est proprietas relativa personalis, neque enim constituit personam Patris, aut personam Filii : Pater quippe per paternitatem, Filius vero per filiationem constituitur; ergo constitutis jam personis Patris & Filii accedere a nobis intelligitur activa illa spiratio; ergo non est personalis, nec multiplex, sed una & indivisa in Patre & Filio.

Objicies 2. Nonnulli ex Veteribus, qualis est imprimis S. Hilarius L. 2. de Trinitate, Patrem & Filium vocant auctores Spiritus sancti; ergo sunt duo principia.

Resp. dist. ant. Pater & Filius sunt auctores Spiritus sancti, adjective, id est, sunt duæ per-

personæ producentes Spiritum sanctum, concedo: substantive ac proprie, nego. Ita S. Thomas 1. p. q. 36. art. 6. ad septimum, solvit quod ex S. Hilario nobis opponitur. *Dicendum*, inquit, *quod quia spirans adjectivum est, spirator vero substantivum, possumus dicere quod Pater & Filius sunt duo spirantes, propter pluralitatem suppositorum; non autem duo spiratores, propter unam spirationem. Nam adjectiva nomina habent numerum secundum suppositia, substantiva vero a seipsis secundum formam significatam. Quod vero Hilarius dicit, quod Spiritus sanctus est a Patre & Filio auctoribus, exponendum est quod ponitur substantivum pro adjectivo.*

Objicies 3. Multi ex Veteribus asserunt Spiritum sanctum esse a Patre mediate, Filium vero proxime ac immediate. Ita S. Gregorius Nyssenus Epist. ad Ablavium & Lib. 1. contra Eunomium, Cyrillus Alexandrinus Lib. 1. Thesauri, &c. Ergo Pater non eadem ratione, qua Filius, est principium Spiritus sancti; atque adeo non unum & idem sunt principium.

Resp. multi ex Veteribus asserunt Filium esse proxime a Patre, Spiritum vero sanctum mediate, hoc sensu quod Filius sit prima, Spiritus vero sanctus secunda persona quæ interposito Filio a Patre procedit, concedo: hoc sensu quod Filius non unam & eamdem habeat cum Patre vim spirativam, nego.

Objicies 4. S. Augustinus L. 15. de Trinitate cap. 17. & 27. & Tract. 99. in Joan. ait Spiritum sanctum principaliter procedere a Patre; ergo non est unum & idem cum Filio principium.

Resp. dist. ant. principaliter est a Patre,

hoc sensu, quod Pater sit fons & origo totius divinitatis, principium sine principio, Deus a se, concedo: hoc sensu, quod non sit una & eadem in utroque Patre & Filio vis spirandi, nego. *Ideo addidi principaliter*, ait S. Augustinus, *quia .. Filio .. hoc quoque Pater dedit.* T. 8. p. 908.

An si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab ipso distingueretur.

Græci Spiritum sanctum reipsa distinctum a Filio agnoscebant, etsi negarent eum ab ipso procedere: econtra Latini inter alia multa, isto potissimum momento adversus illos demonstrabant, quod si a Filio non procederet, ab ipso non distingueretur.

Atque hinc nata præsens Scholæ controversia, quæ per hypothesim reipsa impossibilem, fingit ac supponit non procedere a Filio Spiritum sanctum; atque hac facta hypothesi quærit, an adhuc Spiritus sanctus a Filio distingueretur.

Cujus quidem quæstionis duplex esse potest sensus: primus, an si Spiritus sanctus non procederet a Filio, & tamen idem omnino tunc esset, qualis jam est, adhuc a Filio distingueretur; secundus, an si non procederet, idem non esset qui nunc est, ideoque a Filio prorsus indistinctus foret. Prior sensus illusorius videtur ac ridiculus: si enim ea in hypothesi, quæ fingitur, idem esset Spiritus sanctus, qui nunc est, haud dubie distingueretur, cum reipsa jam distinctus sit. Secundo igitur duntaxat sensu quæritur, an si supponeretur Spiritus sanctus a Filio non procedere, ab ipso non distingueretur. Scotus, Ochamus, Gabriel, Henricus & alii nonnulli affirmant in ea etiam hypothesi adhuc Spiritum sanctum

ctum distinctum fore a Filio: econtra Thomistæ; cæterique Scholæ Theologi negant.

CONCLUSIO.

Si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab illo nullatenus distingueretur.

Probatur multiplici ratione theologica.

Prima petitur ex sanctis Patribus Gregorio Nazianzeno, Augustino & Anselmo: nimirum omnem in divinis distinctionem realem profluere ex oppositione relativa, & processione unius personæ ab alia. *Omnia in divinis sunt unum & idem*, ait vulgatum axioma, *ubi non est relationis oppositio*: atqui si Spiritus sanctus non procederet a Filio, ipsi relative non opponeretur: nempe quæ in Deo sunt, non ex propria limitatione sui *esse*, ut fit in creatis, sed ex oppositione solum distinguuntur; ergo nec ab ipso distingueretur.

Unde istud consequens foret, quod si Spiritus sanctus non procederet a Filio, nec Filius, nec Spiritus sanctus iidem essent qui jam sunt: non Filius, qui ea in hypothesi non haberet ea omnia quæ Patris sunt, vim scilicet spirandi seu producendi Spiritum sanctum; ac consequenter Patri in omnibus perfecte similis non foret, nec a Spiritu sancto realiter distinctus: non Spiritus sanctus, cujus persona cum persona Filii confunderetur, a quo originem non duceret.

Secunda: relationes disparatæ realiter a se invicem non distinguuntur, sic v. g. paternitas & generatio activa: atqui tunc filiatio & spiratio passiva forent relationes disparatæ; ergo &c.

Tertia : intellectio & volitio a se invicem re non distinguuntur, quia non procedit una ab altera; ergo nec Spiritus sanctus distingueretur a Filio, si ab eo non procederet.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. S. Anselmum Lib. de processione Spiritus sancti cap. 4. ubi probat Filium & Spiritum sanctum eo ipso distingui, quod unus sit per intellectum, seu nascatur; & alter per voluntatem, seu procedat. Pag. 51. col. 2. *Nam etsi*, inquit, *per aliud non essent plures Filius & Spiritus sanctus, per hoc saltum essent diversi.*

Resp. tam diserte mox adductum Scholæ effatum a S. Anselmo probari loco mox citato, cujus ipse auctor ac parens est, ut ejus mens in dubium revocari non possit. Loco igitur mox citato hoc unum intendit, nempe inter Filium & Spiritum sanctum aliquam quidem oppositionem esse, ex eo quod unus per intellectum, alter vero per voluntatem procedat: at oppositionem illam non sufficere ad realem inter illos distinctionem, nisi interveniat unius ab altero processio originis, ex qua una realis distinctio nascitur.

Objicies 2. In allata hypothesi Filius haberet id omne per quod in se constituitur ac distinguitur a Spiritu sancto, nempe filiationem, ergo pariter eo in casu Filius distingueretur a Spiritu sancto: ibi enim remanet eadem personarum distinctio, ubi idem adhuc supersest earumdem personarum distinctivum ac constitutivum.

Resp. nego ant. equidem in adducta hypothesi Filius haberet filiationem, sed non eandem omnino qualem jam habet, id est junctam cum spiratione activa. Porro Filius

non

non constituitur ac distinguitur a Spiritu sancto per filiationem præcise, sed per filiationem quatenus adjunctam habet aut habere postulat spirationem activam.

Objicies 3. etsi Filius non procedat a Spiritu sancto, ab eo tamen distinguitur: pariter si Spiritus sanctus a solo Filio procederet, adhuc a Patre distingueretur, ergo pariter si a solo Patre procederet, nihilominus a Filio quoque distingueretur.

Resp. ad primam partem, Filium a Spiritu sancto distingui, quia producit Spiritum sanctum, ac necesse est mutuam oppositionem relativam intercedere inter personam producentem, ac personam productam. Inepta sane ac ridicula est isthæc arguendi ratio, Filius a Spiritu sancto non procedit, a quo tamen distinguitur; ergo si Spiritus sanctus a Filio non procederet, ab ipso distingueretur. Perinde est ac si quis diceret, Pater distinguitur a Filio, & tamen ab ipso non procedit: ita quidem; sed ideo Pater a Filio distinguitur, quia Filium producit.

Ad secundam partem dico, quod si Spiritus sanctus a solo Filio procederet, nihilominus a Patre distingueretur, quia mediate saltem censeretur ab illo procedere, quia Filius ipse vim spirandi Spiritum sanctum a Patre accepisset. At si Spiritus sanctus a solo Patre procederet, dici non posset, nec etiam mediate a Filio procedere. Namque eo in casu Pater non produceret Spiritum sanctum per vim aliquam sibi a Filio datam.

Objicies denique: In ea hypothesi Filius procederet per intellectum, & Spiritus sanctus per voluntatem: atqui id sufficit ad realem utriusque distinctionem.

Resp. nego min. alias inter intellectionem divinam & volitionem realis intercederet distinctio, quod certe falsum est : ad distinctionem realem omnino requiritur oppositio realis & relativa, fundata in origine seu processione unius ab altero.

QUÆSTIO DECIMA.

De cautione qua in mysterio SS. Trinitatis loquendum est, certisque vocibus in eo exponendo usurpari solitis.

QUo abstrusius est & ab omni humano captu longius remotum SS. Trinitatis mysterium, eo major adhibenda cautio, ut castigata sit & accurata nostra loquendi ratio, quod ut fiat, tria hic nobis sunt præstanda.

I. exponendi sunt termini, seu certa quædam vocabula quibus uti solent Theologi, in isto SS. Trinitatis mysterio evolvendo.

II. expendendum qua ratione efferri possint ac debeant nomina substantiva concreta.

III. quomodo efferri debeant nomina adjectiva.

ARTICULUS PRIMUS.

Proponuntur & exponuntur voces in exponenda SS. Trinitatis mysterio usurpari solitæ.

NUllum profecto fidei caput est, in quo exponendo magis necesse sit in verbis cautos ac castigatos esse Theologos, quam in mysterio SS. Trinitatis. *Nullibi enim*, ait S. Augustinus Lib. 1. de Trinitate cap. 3. *periculosius erratur, nec laboriosius aliquid quæritur, nec fructuosius aliquid invenitur*. Ad omnem

omnem ergo præcavendum errorem, iis duntaxat, quantum fieri potest, utendum vocibus, quas aut Scriptura, aut Traditio, aut Ecclesiæ totius vel Scholæ catholicæ usus consecravit.

Voces porro illæ, seu vocabula, ista potissimum sunt, *essentia*, *natura*, *substantia*, *persona*, *hypostasis*, *suppositum*, *subsistentia*, *existentia*, *consubstantialis*, *personalis*, *proprietas*, *relatio*, *notio*, *circumincessio*, &c. de quibus nunc paucis dicendum.

Quid sit essentia, natura, substantia, existentia.

Essentia derivatur a verbo esse. *Ab eo quod est esse*, ait S. Augustinus Lib. 7. de Trinitate cap. 4. *appellatur essentia*.

Essentia apud Philosophos sumitur pro quiditate, conceptu formali & ratione constitutiva cujusvis rei. Hoc sensu, ut scite observat S. Hilarius L. de Synodis, res quælibet, v. g. accidens, qualitas, relatio, &c. suam habet peculiarem essentiam, qua in suo genere, seu esse constituitur: specialiter tamen ubi de Deo sermo est, essentia significat naturam & substantiam. *Humana inopia*, inquit, S. Augustinus Lib. 7. de Trinit. c. 4. *timuit dicere tres essentias, ne intelligeretur in illa summa æqualitate ulla diversitas*. P. 2. p. 863. Ibid.

Natura apud Philosophos est attributorum omnium complexio, qua res in certo quodam ordine entium constituitur.

De nomine *naturæ* idem asserendum quod modo dicebamus de nomine *essentiæ*: scilicet *naturam* tribui nonnunquam & ipsis accidentibus: quodlibet enim accidens suam propriam dicitur habere naturam, sed *naturam* tamen, ubi de Deo agitur, proprie idem si-

gnificare ac essentiam & substantiam per oppositionem ad proprietates, hypostasim & accidentia rei; quo sensu unicam naturam in tribus divinis personis, docet fides catholica.

Substantia id significat quod per se subsistit, nec alio indiget tanquam subjecto, qualia sunt accidentia; quo profecto sensu Deo maxime proprium est substantiæ nomen: non vero quatenus significat id quod substat, seu sustentat aliquod accidens. Quo sensu S. Au-
Ibid. Pag. 861 gustinus L. 7. de Trinit. c. 5. negat substantiam proprie de Deo dici, quia nullum in ipso est accidens. Aliqui e Veteribus substantiam cum subsistentia confundunt; inde factum ut tres in Deo substantias esse dixerint, id est tres subsistentias seu tres personas.

Existentia proprie, imo & maxime proprie Deo convenit, qui de seipso ait, *Ego sum qui sum*. Exodi 3. v. 14. Unde creaturæ veluti nihilum sunt ante ipsum, *Substantia mea tanquam nihilum ante te*, ait David Psal. 38. v. 8.

Inter ista autem vocabula hoc discriminis observandum, quod *essentia* & *natura* pressius ac significantius denotent intima rei constitutiva principia, *substantia* id quod per se existit; & hoc sensu minus patet quam *essentia & natura*: quidquid enim est, suam habet naturam & essentiam, v.g accidentia, qualitates &c. quæ tamen substantiæ non dicuntur, *Existentia* e contra latius patet quam *substantia*; competit enim rei cuilibet extra nihilum positæ, qualia sunt accidentia.

Quid sit hypostasis, persona, suppositum, subsistentia.

Voces istæ, *hypostasis*, *persona*, *suppositum*, synonymæ sunt, de quibus sigillatim nonnulla hic dicemus.

Ma-

Magna animorum contentione disputatum olim fuit de significatione vocis hujus, *hypostasis*, & quidem tanta, ut inde ex parte ortum fuerit grave illud ac luctuosum dissidium Antiochenum, versus annum Christi 360. quo tota Occidentis & Orientis commota & turbata fuit Ecclesia; aliis cum Meletio, tres hypostases, aliis cum Paulino unam admittentibus. Meletio adhærebant SS. Basilius & Gregorius uterque, Nazianzenus & Nissenus, aliique Orientales; Paulinum vero sequebantur SS. Athanasius & Epiphanius, aliique Occidentales. Eo vero usque exarsit hoc dissidium inter catholicos Præsules, ut sibi mutuo hæresis notam affingerent: qui enim unam hypostasim admittebant, ii Sabellii partes fovere; qui vero tres ii Arii errorem promovere accusabantur.

At de sola vocis significatione, non de substantia dogmatis movebatur controversia: qui enim in Deo tres dicebant esse hypostases, per hypostasim intelligebant personam; & qui unam dicebant hypostasim, per hypostasim intelligebant naturam: quibus ex utraque parte auditis, dissidium illud in Concilio Alexandrino anno 362. a S. Athanasio compositum fuit.

Non tamen omnino extincta ac consepulta fuit controversia; recruduit enim tempore Damasi S. Pontificis, de qua S. Hieronymus consulens Damasum Papam, sic loquitur Epist. 14. alias 57. *Decernite, obsecro, si placet, non timebo tres hypostases dicere. Quamobrem obtestor Beatitudinem tuam per Crucifixum, mundi salutem; per homousion Trinitatem, ut mihi Epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur*

auctoritas. Ita vir sanctus ac doctus, suam erga Sedem Apostolicam reverentiam & obedientiam testabatur.

Tandem significatio vocis *hypostasis* fixa & determinata fuit pro denotanda persona, quem sensum invertere ac mutare nemini amplius licet.

Persona, ut suo loco diximus, definitur a Boetio, *naturæ rationalis individua substantia*. Aliter definiri potest: substantia rationalis, singularis, completa, & ultimo terminata.

Dicitur 1. *substantia*, quia per se subsistit, nec alio indiget tanquam subjecto inhæsionis, qualia sunt accidentia.

Dicitur 2. *completa*, hoc est, quæ non est pars alterius; unde anima rationalis sola non est persona.

Dicitur 3. *ultimo terminata*, seu ut ajunt multi, incommunicabilis alteri tanquam supposito: hoc est substantia quæ non modo suas omnes habet partes, sed quæ insuper non est unita alteri a quo perficiatur, & cujus sit pars. Hinc natura humana unita Verbo a quo completur ac perficitur, non est persona.

Nomen *suppositi*, idem significat, quod persona, cum hoc solum discrimine, quod nomen personæ solis tribuitur substantiis ratione præditis, suppositum vero etiam substantiis irrationalibus, equo, leoni &c.

Subsistentia dicitur id per quod res per se subsistit; nec differt a persona, nisi tanquam abstractum a concreto: subsistentia enim modus est seu forma, per quam natura per se subsistit seu fit singularis, & redditur incommunicabilis alteri tanquam supposito, unde tot sint in Deo subsistentiæ, quot personæ.

næ.

næ. In creatis pro multiplicatione personæ seu subsistentiæ, multiplicatur natura singularis: sed in Deo, una & eadem numero essentia triplici modo distincto, qui subsistentia aut personalitas dicitur, subsistit; atque in hoc adoranda tanta mysterii altitudo ac sublimitas, curiosius non scrutanda.

Quid sit consubstantialis *apud Latinos & ὁμόσιος apud Græcos.*

• ὁμόσιος apud Græcos dicitur, qui similis & ejusdem est cum altero essentiæ seu naturæ ac substantiæ. Hoc idem apud Latinos significat vox *consubstantialis*.

Patres Nicæni ad præcludendam Arianis omnem elabendi ac tergiversandi viam, Filium Dei Patri suo ὁμόσιον, *consubstantialem* definire: nullum quippe nomen seu vocabulum est significantius, quo Filii divinitas ac perfecta cum Patre æqualitas melius exprimi, & Ariana impietas pressius comprimi ac constringi possit: *Certe*, ait S. Athanasius Lib. de Synodis num. 45. *cum omnia possent pro libidine sophismatibus eludere ac detorquere, hanc solam vocem, utpote per suam hæresim confutet, reformidant: quam Patres, quasi propugnaculum adversus impiam omnem eorum cogitationem, conscripsere*. Revera etenim Ariani, qui mira fallendi ac simulandi arte, quasque vel clarissimas fidei professiones eludebant ac detorquebant, hac una ὁμόσιος voce arctati ac conclusi effugere aliter non potuerunt, quam contendendo supprimendam illam esse. Verum cum suppressionem illam a Patribus Nicænis obtinere nunquam potuissent, quod vox illa ὁμόσιος, sit veluti fidei catholicæ tessera, sub- T. 1. pag. 760

subinde toti in calumnias & criminationes effusi, objecere.

Criminationes Arianorum contra vocem ὁμόσιον

I. vocem hanc ὁμόσιον in Scripturis non extare.

II. novam & peregrinam, antiquis Patribus incognitam, & a Nicænis primum excogitatam.

III. a Concilio Antiocheno annis fere 60. ante Nicænum, in Paulo Samosateno proscriptam ac damnatam; unde concludebant e Symbolo eradendam esse. Hæc porro omnia luculenter dissolvit S. Athanasius.

Responsio ad primum

Ad primum respondet 1. multas voces quarum sanus est sensus, usurpari, licet in Scripturis non extent; 2. vocem ὁμόσιον totidem quidem syllabis in Scripturis non extare: sed extare quoad sensum, & rem significatam.

Resp ad secundum.

Ad secundum, nempe vocem ὁμόσιον, novam & peregrinam esse, a Nicænis Patribus primum excogitatam, respondet idem sanctus Doctor, falso prorsus ab Arianis istud

Ibid. p. 757. asseri. *Dionamque*, inquit, *ante illos septuaginta qui Samosatensem deposuerunt, duo Dionysii extitere, quorum alter Romæ, alter Alexandriæ Episcopus erat. Cum autem quidam ad Romanum Episcopum, Alexandrinum detulissent; quod Filium rem factam & Patri non consubstantialem affirmaret, Synodus Romæ coacta rem indigne tulit: Romanus autem Episcopus omnium sententiam rescripsit ad gentilem suum. At ille sui purgandi causa Librum edidit hoc titulo, Elenchus, & Apologia, & his verbis ad Romanum scripsit Episcopum.*

Ibid. p. 758. Addit ibidem Dionysius, se aliam scripsisse Epistolam, in qua impactam sibi criminationem de negata Filii cum Patre consubstantialitate, a se amolitur. Igitur, Athanasio teste,

teste, ante Concilium Nicænum Dionysius, tum Alexandrinus, tum Romanus, & cum isto Romana Synodus, jam agnoverant Filium Patri ὁμοούσιον, consubstantialem.

Idem S. Athanasius Epistola ad Africanos, refellens Arianos qui obtendebant se fidem Nicænam amplexos fuisse, præter vocem ὁμοούσιον, quam novam & periculosam esse dicebant, ait vocem illam veterum Episcoporum testimonio comprobatam esse. *Quod si,* ait, *post hæc tanta, post priscorum Episcoporum testimonium, post subscriptionem Patrum suorum, quasi eorum ignari, sese simulant consubstantialis vocem reformidare; dicant sentiantque simplicius ac sincerius, Filium natura esse filium; anathemate autem damnent, uti Synodus præcepit, eos qui dicunt eum, creaturam, aut rem factam &c.* Agnoscit rursus ibidem S. Athanasius, veteres Episcopos vocem ὁμοούσιον agnovisse & usurpasse. Ibid. p. 838.

Eusebius ipse testis hac in parte non suspectus, scribens ad suos Cæsarienses, apud Socratem L. 1. Hist. cap. 8. *Novimus*, inquit, *quosdam ex veteribus & illustres Episcopos, qui de Patris & Filii divinitate disserentes, nomine* ὁμοούσιον *usi sunt.* Hoc ipsum agnoscit & Theodoretus Lib. 1. Hist. c. 3. pag. 26.

Addi etiam potest, ad diluendam hinc Arianorum criminationem adversus vocem *consubstantialis*, solemne esse in Ecclesia, ut variis exemplis antea probavimus, ad novos Hæreticorum errores proscribendos, novas consecrari voces quibus pressius stabilitur dogma catholicum, & error oppositus profligatur.

Ad tertium, diverso plane sensu vocem ὁμοούσιον, accipere Patres Antiocheni adversus Pau- Resp. ad tertium.

Paulum Samosatenum, & Nicæni adversus Arium. Iste Filium veram creaturam esse contendebat, non ex substantia Patris genitum, sed ex non extantibus factum seu creatum; adversus quem Patres Nicæni Filium ex substantia Patris genitum, adeoque unius & ejusdem cum ipso substantiæ, seu ὁμόσιον hoc est, *consubstantialem* esse definiunt. Paulus Samosatensis alter conjuratus divinitatis Filii hostis, voce ὁμοσίῳ turpiter abutebatur, sensu corporeo ac materiali intelligens Filium habere naturam a Patre divisam ac quasi per partes discerptam. Sic enim ille sophistice arguebat: Si Filius Patri suo est consubstantialis, ut Catholici dicebant, consequens est divinam substantiam in duas partes quasi dissectam esse, quarum altera Patrem, altera Filium constituat; adeoque divinam aliquam substantiam extitisse Patre & Filio anteriorem, quæ in duos istos postea distributa fuerit; unde consequens erat, tres esse in Deo quasi per partes divisas ac dissectas naturas seu substantias, quam quidem vocis ὁμοσίῳ impiam interpretationem Patres Antiocheni merito abominati fuerunt, ac ὁμόσιον hoc sensu damnarunt ac rejecerunt.

Audiatur S. Athanasius discrimen istud inter Antiochenam & Nicænam Synodum circa sensum vocis ὁμοσίῳ exponens Libro de Synodis. *Qui*, ait, *Samosatensem deposuere, vocem* consubstantialis *corporali accepere modo, cum Paulus arguari vellet ac dicere, Si Christus non ex homine Deus factus est, ergo consubstantialis est Patri; atque hinc necesse est tres esse substantias, unam priorem, duas vero ex illa procedentes. Ideoque illud*

Tom. 1. pag. 759

Pau-

Pauli sophisma jure caventes, dixere Christum non esse consubstantialem. Neque enim Filius ita se habet respectu Patris, qualiter ille cogitabat. Qui autem Arianam hæresim anathemate damnarunt, cum Pauli calliditatem animadvertissent, & cogitarent non ita de incorporeis, & maxime de Deo, consubstantialitatem accipiendam esse, agnoscentesque Verbum non creaturam, sed prolem ex substantia esse; item Patris substantiam, Filii principium, radicem ac fontem esse, ac eundem ex se veram esse genitoris similitudinem, nec eum quasi natura extraneum, uti nos sumus, a Patre separatum esse; sed, cum ex ipso sit, Filium esse indivisum, uti se habet splendor erga lucem: cum item sibi faverent Dionysii exempla, fontis scilicet vox & consubstantialis defensio; & ante ista vox Salvatoris index unitatis: Ego & Pater unum sumus &c. *Ea, inquam, de causa jure & ipsi Filium consubstantialem dixerunt ∴. Utraque Synodus ex legitima causa hoc modo alia, alio alia locuta est.* Hæc S. Athana- 1612.
sius: ex quibus constat vocem ὁμόσιον pro vario ac diverso sensu rejectam vel approbatam fuisse: rejecta, impio Samosatensis sensu, qui substantiam aliquam divinam Patre & Filio anteriorem, & more corporum inter eos subinde divisam ac distectam intelligebat: approbata, catholico Patrum Nicænorum & prædecessorum eorum sensu, qui nomine ὁμόσιος intelligebant unam & eamdem ac indivisam esse Patris & Filii substantiam, seu naturam & essentiam.

De

De aliis terminis quorum usus est apud Theologos, ubi de mysterio SS. Trinitatis.

2. occurrit *Trinitatis* nomen, quod etsi in abstracto, ut vocant, in Scripturis non extet, legitur tamen in concreto: 1. Joan. 5. v. 7. *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus*: de quo versu multa superius diximus. Usu autem Ecclesiastico comprobata & consecrata est *Trinitatis* appellatio apud Antiquos non infrequens; idonea maxime ad significandas tres distinctas in unitate ejusdem essentiæ personas. Concilium quidem Bracarense I Can. 2. damnat istam propositionem, *Divinitas est Trinitas*, sensu hæretico Priscilliani, qui Sabellianam hæresim in Hispania renovabat, personas divinas confundendo; sed non damnat sensu catholico intellectam, pro reali nimirum essentiæ divinæ cum distinctis personis identitate, quo sensu a S. Athanasio Epistola 1. ad Serapionem dicitur: *Tota Trinitas unus Deus est.*

Conc. Hisp. Edit. Madrit 1593. P. 117.

Tom. 1. P. 665.

2. Voces *processionis*, *proprietatis*, *relationis*, *notionis*, *circumincessionis*, quæ a Scholasticis usurpantur, sanum & optimum sensum habent.

Processio denotat originem unius personæ ab alia: admittitur in Deo sine ulla prorsus dependentia ex parte personæ procedentis. Hoc sensu Christus apud S. Joan. cap. 8. v. 42. ait: *Ego ex Patre processi, & veni.*

Proprietas designat peculiarem modum subsistendi, & characterem singularem quo in esse personæ hæc vel illa persona constituitur & ab aliis distinguitur.

Relatio vero innuit eandem proprietatem, qua-

quatenus dicit ordinem originis unius personæ ad aliam.

Notio eumdem characterem designat, quatenus significat personam unam esse distinctam ab alia, ut sit index & nota distinctionis inter personas. Aliquod tamen inter eas voces debet observari discrimen, quia notio latius patet relatione, & relatio proprietate. Nam tres tantum statuuntur proprietates, paternitas scilicet, filiatio, & processio; quatuor relationes, paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva; & quinque notiones, innascibilitas, paternitas, filiatio, spiratio tam activa quam passiva.

A notione oriuntur actus notionales, quorum frequens est apud Theologos mentio, qui apprime distingui debent ab actibus essentialibus, sicuti & facultates notionales ab essentialibus. V. g. intellectus Patris, prout principium *quo* generationis Verbi, est facultas notionalis; intellectio autem est actus notionalis. Et pariter voluntas Patris, & Filii, prout est principium *quo* Spiritus sancti, est facultas notionalis; & volitio est actus notionalis. Scilicet intellectio divina (idem dicendum de volitione) sumitur duobus modis, scilicet essentialiter & notionaliter: essentialiter, quando spectatur præcise ut intellectio nulla notione affecta, & nihil est aliud quam intellectio præcise; notionaliter vero, quando spectatur prout est affecta notione paternitatis in Patre. Priori sensu communis est tribus personis, posteriori vero in solo Patre reperitur.

Circumincessio, quæ a Græcis dicitur περιχώρησις, est mutua & reciproca personarum in invicem inexistentia seu immeantia, per quam

quam fit ut Pater sit in Filio, Filius in Patre, & Spiritus sanctus in utroque. Sequitur illa circuminceſſio ex unitate ejuſdem naturæ in tribus perſonis inexiſtentis.

Ariani, Sabelliani, & omnium tempore poſtremi, impietate vero primi, Sociniani, terminos illos omnes tanquam novos, peregrinos, a Scripturis alienos explodunt ac ſugillant, eaque ſola adhibenda eſſe verba contendunt, quibus Scriptura utitur.

At incauti ſeipſos jugulant: quod enim contra Arianos urgebat olim S. Athanaſius, in Scripturis non legi *Filium ex non extantibus factum, creaturam eſſe*, quod tamen ipſi impia temeritate uſurpabant, hoc ipſum & contra Socinianos contorquere merito poſſumus. Conqueruntur nos eas uſurpare voces quæ non ſunt in Scripturis: at ubinam legerunt illi, Chriſtum Deum non eſſe naturâ, ſed gratia; eum non prius extitiſſe, quam ex Maria Virgine naſceretur; Spiritum ſanctum non eſſe perſonam divinam, ſed meram Dei efficaciam? &c. Nova hæc, inaudita & impia ſacrilego ore illi proferunt: nos etſi multa uſurpemus verba quæ non ſunt in Scripturis quantum ad ſonum, ſunt tamen quoad ſenſum, & aliunde voces illæ cum ſint & uſu Eccleſiæ conſecratæ, & exponendo myſterio opportunæ, immerito reprehendimur: omnis quidem verborum novitas quæ fidei contraria eſt, prorſus, juxta monitum Apoſtoli, removenda eſt ac rejicienda; ſed non ea quæ fidei patrocinatur, & quam exponit ac defendit.

AR-

ARTICULUS II.

Qua ratione nomina essentialia, concreta, substantiva, prædicentur de personis divinis.

OBserva 1. nomina *essentialia* ea esse quæ essentiam nude significant, & tribus personis communia sunt, v. g. nomen *Dei*.

Observa 2. illorum nominum alia esse abstracta, quæ solam formam significant, ut divinitas, sapientia, bonitas; alia esse concreta, quæ significant formam & subjectum, undę resolvuntur per *to* habens; ut Deus habens divinitatem, bonus habens bonitatem &c.

Observa 3. inter illa nomina alia esse substantiva, vel substantive usurpata, ut Deus, Dominus: alia esse adjectiva, ut bonus, sapiens.

Observa 4. nomina substantiva eo potissimum distingui ab adjectivis, quod adjectiva subjectum directe, & formam indirecte tantum, nimirum ut ei inhærentem & adjacentem, significent: substantiva contra formam ipsam directe, subjectum vero nonnisi confuse arguunt.

Atque hinc est quod nomina substantiva plurali numero non efferantur, nisi ubi forma ipsa multiplicatur; adjectiva autem e contra subjectorum conditionem sequantur. Unde ut hæc singularia sunt, vel multiplicia; ita singulari vel plurali numero exprimuntur. His præsuppositis sit

CONCLUSIO.

Nomina essentialia concreta substantiva, vel etiam adjectiva, *substantive* tamen accepta, prædicantur singulariter de tribus personis divinis.

Ra-

Ratio Conclusionis patet ex mox dictis. Scilicet nominum concretorum substantivorum singularitas & pluralitas petitur a singularitate & pluralitate formarum quas primo per se ac directe significant: sed nomina essentialia substantiva unam habent formam: v.g. *Deus*, unam divinitatem; *creator*, unam omnipotentiam; ergo solum singulariter dici possunt substantive de tribus personis.

Addidi etiam, adjectiva nomina, *substantive* tamen accepta, singulariter prædicari de personis divinis; quia aliquando fit ut nomen quod est adjectivum, sumatur substantive, & tunc in significando & prædicando sequitur conditionem nominum substantivorum. Sic in Symbolo quod S. Athanasii nomine circumfertur, dicitur, in divinis esse *unum omnipotentem*, *unum æternum*, *non tres omnipotentes*, *non tres æternos*; & tamen ibidem dicuntur tres personæ *esse sibi coæternæ*. Quid ita? quia terminos istos, *æternus*, *omnipotens*, substantive usurpat Auctor Symboli, cum eos masculine usurpat.

ARTICULUS III.

Qua ratione nomina essentialia adjectiva, prædicentur de personis divinis.

CONCLUSIO.

NOmina essentialia concreta adjectiva, vel substantiva *adjective* sumpta, prædicantur in plurali de personis divinis.

Probatur, quia nomen adjectivum significat formam ut adjacentem alteri, & primario per se ac directe exprimit subjectum, seu ha-

habens talem formam. Dum enim ejus significatio resolvitur, sic explicatur, v. g. *omnipotens, is qui habet omnipotentiam*: sed in divinis tres sunt qui habent omnipotentiam, justitiam &c. ergo dici possunt tres omnipotentes *adjective*.

Neque est quod dicas, non posse plures deos dici, licet plures sint personæ habentes divinitatem, ergo pariter non posse dici plures omnipotentes, licet plures sint personæ habentes omnipotentiam. Ratio enim discriminis est, quia nomen istud *Deus*, omnino substantivum est, neque secundum propriam suam significationem exprimit ipsum habens deitatem, sicut sapiens habens sapientiam; sed exprimit tantum & significat ex se ens summe perfectum, necessarium, per se existens ac subsistens, atque adjective tantum significat habens deitatem: sicque propter varium significandi modum, verum est in divinis tres esse habentes deitatem, & falsum est tres esse deos; quia, ut dixi, nomen *Deus* substantive usurpatur.

Ex iis sequitur, voces illas, immensus, potens, æternus, dici debere pluraliter, cum adjectivæ sint, & ita sæpius: quandoque tamen voces illæ sumuntur *substantive*, quod ubi sit singulari numero efferuntur. Ita sanctus Athanasius in Symbolo sub ejus nomine, *non tres immensi, non tres æterni, sed unus immensus, & unus æternus*, scilicet, *substantive*. Ita quoque S. Augustinus Tractatu 39. in Joannem, & Synodus Toletana XI. in fidei professione.

Quæres, utrum nomina concreta possint supponere, id est, sumi pro personis divinis.

Resp. 1. nomina essentialia abstracta non pos-

posse supponere pro personis divinis: sic dici non potest, essentia generat aut generatur, sicut definitum fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Ratio est, quia nomen abstractum, v. g. essentia, nullum suppositum, nullam personam denotat aut significat; non potest igitur pro persona supponere: unde quando Veteres nonnullis abstractis nominibus usi fuerunt, ea, sicut exponit *S.* Thomas, loco concretorum usurpavere, & per concreta exponenda sunt.

Resp. 2. nomina essentialia concreta, si non restringantur per aliquod attributum notionale, vel per aliquid simile, ad unam vel duas ex divinis personis, sed ponantur duntaxat secundum se in aliqua propositione, tunc supponunt pro divina essentia ut existente & subsistente in omnibus personis divinis. Ita cum dicitur, Deus creat; nomine *Dei* divina essentia in tribus divinis personis subsistens intelligitur. Si autem restringantur, seu determinentur per aliquid notionale, vel per quid æquivalens notionali, tunc supponunt pro ea tantum persona, cui talis actus notionalis competit; vel pro duabus, si actus ille competat duabus personis divinis: sic quando dicitur, Deus generat, Deus spirat, Deus generatur, Deus spiratur, nomen *Deus*, supponit in prima propositione pro Patre, qui solus generat; in secunda pro Patre & Filio, qui spirant, in tertia pro solo Filio, qui solus generatur; & in quarta pro Spiritu sancto, qui spiratur.

Atque hæc de augustissimo SS. Trinitatis mysterio, quæ omnia dicta sint in laudem, gloriam & honorem ipsius SS. Trinitatis.

TRA-

TRACTATUS
DE
ANGELIS.

HActenus de Deo, quatenus est unus in essentia & trinus in personis, deinceps de Deo, quatenus est auctor creaturarum, dicendum est.

Ac 1. quidem de Angelis, acturi postmodum de ceteris creaturis. Quidquid autem dicemus de Angelis duodecim Quæstionibus absolvemus.

Prima erit de nomine, definitione & existentia Angelorum.

Secunda, de eorum essentia.

Tertia, de intellectu.

Quarta, de voluntate.

Quinta, de potentia motrice.

Sexta, de auctore.

Septima, de gratia.

Octava, de merito.

Nona, de gloria.

Decima, de peccato.

Undecima, de pœna.

Duodecima denique, de hierarchiis, ordinibus & ministerio Angelorum.

QUÆSTIO PRIMA.

De nomine, definitione, & existentia Angelorum.

TRes erunt hujusce primæ Quæstionis Articuli.
Primus de nomine.
Secundus, de definitione.
Tertius, de existentia Angelorum.

ARTICULUS PRIMUS.

De nomine Angelorum.

ANgelus græcum vocabulum est, latine idem significans quod nuntius. Unde S. Augustinus Lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 19. *Nunc ii*, inquit, *græce Angeli dicuntur.*

Dico 1. vocem Angeli, si vocabuli vis spectetur, nomen esse muneris ac officii, non naturæ. Ita clare colligitur ex citato mox sancti Augustini testimonio. Idem diserte docet S. Doctor in Psal. 103. sermone I. n. 15. *Angelus nomen officii est, non naturæ. Quæris nomen hujus naturæ Spiritus est: quæris officium, Angelus est. Ex eo quod est, Spiritus est; ex eo quod agit, Angelus est.* Ita etiam testantur SS. Hilarius Lib. 5. de Trinitate, Ambrosius in caput primum Epistolæ ad Romanos, & alii plerique.

Dico 2. Angeli vocabulum, licet ex vi suæ significationis, substantias spirituales intellectu præditas non significet, usu tamen Scripturarum, Ecclesiæ & Scriptorum Ecclesiasticorum accommodatum esse ad signifi-

ficandas prædictas subſtantias, iiſque veluti proprium factum eſſe. Id ita certum eſt ac exploratum, ut probatione non indigeat, atque amplius conſtabit ex dicendis paſſim in præſenti Tractatu.

Dico 3. nomen Angeli, quatenus uſu Scripturæ & Eccleſiæ ſignificat ſubſtantias ſpirituales intellectu præditas, duobus iterum modis accipi poſſe, latius ſcilicet & ſtrictius.

Latius accipitur Angeli nomen, cum ſumitur pro omni aut qualibet ſubſtantia completa ſpirituali, cujuſcumque demum ſit ordinis & hierarchiæ, ut Pſalmo 96. *Adorate eum omnes Angeli Dei*. Marci 13. *De die autem illo, vel hora, nemo ſcit, neque Angeli in cœlo*. Et alibi ſæpe.

Strictius vero ſumitur, cum uſurpatur pro ſolis angelicis ſpiritibus quos infimus ordo continet. Hoc ſenſu Angeli nomen non raro accipit ſanctus Dionyſius Lib. de cœleſt. hierarch. & toties Scriptura, quoties Angelos ab Archangelis, aliiſque beatorum ſpirituum ordinibus diſtinguit.

Deinceps de Angelis in priori illa ac latiori ſignificatione, cum ceteris Theologis diſputabimus.

ARTICULUS II.

De definitione Angelorum.

ANgelus recte definiri poteſt, *Subſtantia creata, ſpiritualis, completa.*

Dicitur 1. *ſubſtantia*, quia eſt ens per ſe ſubſiſtens; uti manifeſte conſtabit ex variis Angelorum proprietatibus & operationibus infra recenſendis.

Dicitur 2. *creata*, ut distinguatur a Deo.

Dicitur 3. *spiritualis*, seu omnis materiæ expers; quo differt ab homine, qui est spiritualis simul & corporeus.

Dicitur 4. *completa*, in quo discrepat ab anima rationali, quæ est substantia creata omnino spiritualis, sed incompleta, quia de se est pars hominis.

ARTICULUS III.

De existentia Angelorum.

NEgarunt Sadducæi, quorum errorem sanctus Lucas describit c. 23. Actuum his verbis: *Sadducæi dicunt non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Plures ex veteribus Philosophis in eodem errore versati sunt, ut observat S. Thomas 1. parte qu. 50. art. 1. *Ignorantes*, inquit, *vim intelligendi, & non distinguentes inter sensum & intellectum; nihil esse existimaverunt in mundo, nisi quod sensu & imaginatione apprehendi potest. Et quia sub imaginatione non cadit nisi corpus, existimarunt quod nullum ens esset, nisi corpus.*

Sadducæorum errorem magna ex parte exsuscitarunt hodie Anabaptistæ, qui omnia Scripturæ testimonia in quibus asseritur Angelorum custodia & dæmonum tentatio, de solis bonis vel malis cogitationibus interpretantur. Sed nulli post Christum natum Hæretici leguntur eo progressi, ut cum Sadducæis angelicam naturam prorsus negarent.

Circa Angelorum existentiam tria hic sequentibus Conclusionibus investigabimus.

I. an certa fide constet Angelos existere,

II. an

II. an eorum existentia ratione naturali suaderi possit.

III. an etiam sola ratione duce positive demonstrari possit.

PRIMA CONCLUSIO.

De fide est Angelos existere.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus frequentissima occurrunt atque evidentissima de Angelis testimonia: Genes. 22. *Angelus Domini de cœlo clamavit dicens, Abraham* &c. Exodi 23. *Ecce ego mittam Angelum meum qui præcedat te. . . Audi vocem ejus.* Tobiæ 12. *Ego sum Raphael Angelus, unus ex septem qui astamus ante Dominum.* Psalm. 8. *Minuisti eum paulo minus ab Angelis.* Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* Ex his patet quantum hallucinentur Anabaptistæ, qui duces Sadducæos secuti, citata Scripturæ testimonia ad solas cogitationes aut inspirationes detorquent, cum in his & aliis innumeris Scripturæ textibus manifestum sit, Angelos designari tanquam veras personas intelligentes quibus facta & dicta tribuuntur.

Probatur 2. ex Conciliis maxime Lateranensi sub Innocentio III. c. *Firmiter.* ubi expresse habetur quod Deus ab initio temporis utramque condidit creaturam, scilicet spiritualem & corpoream, hoc est, angelicam & mundanam. *Unum est*, inquit, *universorum principium, Creator omnium, visibilium & invisibilium, spiritualium & corporalium, qui sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet*

& mundanam, & deinde humanam quasi communem & spiritu & corpore constitutam.

Probatur 3. ex SS. Patribus.

S. Dionysius Lib. de cœlesti hierarchia passim, ac maxime cap. 14. Angelorum hierarchias, ordines, officia describit, sicut ab Apostolo fuerat doctus.

S. Augustinus, loco mox laudato, in Psal. 103. sic loquitur: *Angelos novimus ex fide, & multis apparuisse scriptum legimus & tenemus, nec inde dubitare fas nobis est.*

S. Gregorius Homil. 34. in Evang. *Angelos*, inquit, *& Archangelos pene omnes sacri eloquii paginæ testantur.*

Probatur 4. ex consensu totius Ecclesiæ, quæ Angelos ut personas natura valde excellentes veneratur & invocat; tanquam Dei ministros & hominum custodes beatifica Dei visione fruentes.

Probatur denique 5. momentis theologicis sequenti Conclusione referendis.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum existentia naturali ratione suaderi ac probabiliter ostendi potest.

Prima ratio hæc est. Ornatus & perfectio mundi postulat ut dentur substantiæ pure spirituales & intellectuales; cum sint & mere corporeæ, cujusmodi sunt lapides, arbores &c. & partim corporeæ, partim spirituales, ut sunt homines. Porro substantiæ pure spirituales & intellectuales sunt Angeli; ergo &c.

Secunda ratio desumitur ex miris quibusdam ac stupendis energumenorum effectibus, qui ea interdum operantur aut dicunt, quæ vi-

videntur debere refundi in aliquam substantiam intellectualem a qua moveantur & agantur; velut cum ignotis linguis loquuntur res, maxime absconditas detegunt, narrant quæ in remotissimis regionibus aguntur.

Tertia ratio ea est quam hoc loco adducit sanctus Thomas, quæ sic proponi potest: Oportet esse aliquas creaturas quæ Deo assimilentur secundum illud per quod Deus mundum creavit, id est, secundum intellectum & voluntatem: atqui sic Deo assimilantur naturæ pure intellectuales & incorporeæ; ergo oportet esse tales aliquas creaturas, id est Angelos. Minor constat: major vero probatur, quia id quod Deus præcipue in rebus creatis intendit, est ipsum bonum quod consistit in assimilatione ad Deum.

Neque vero responderi potest, hinc solum inferri posse, existere aliquam naturam intellectualem, qualis est anima rationalis: nam, sicuti Sylvius post Cajetanum hic observat, anima rationalis non est natura aliqua totalis, sed pars tantum naturæ.

TERTIA CONCLUSIO.

Non potest solius rationis ope demonstrari existentia Angelorum.

Probatur: Si qua enim dari posset evidens ac demonstrativa ratio existentiæ Angelorum, vel illa sumeretur ex natura & essentia Angelorum, vel ex eorum causa productiva, vel denique ex eorum effectibus & operationibus: atqui nullum ex his tribus demonstrative probat Angelorum existentiam.

Non primum, quia non est de essentia

Angelorum ut actu existant: hoc enim soli Deo competit.

Non secundum, quia constat Angelos a Deo libere creatos esse; ac proinde causa Angelorum productiva nullam habet necessariam connexionem cum ipsorum existentia.

Non denique tertium, nulli enim proferuntur effectus qui licet stupendi & mirabiles ad alias causas absolute loquendo referri non possint quam ad Angelos, puta in Deum solum, vel in animas corporibus solutas; ergo Angelorum existentia ratione naturali invicte demonstrari non potest.

Solvuntur Objectiones.

Objectiones contra primam Conclu. tionem.

Objicies 1. contra primam Conclusionem: Si Angeli existerent, Moyses initio Geneseos non prætermisisset eorum creationem, cum primum locum obtineant inter opera Dei, quæ ex professo & speciatim ibi describit: atqui tamen ne verbum quidem unum de Angelis habetur loco citato; ergo &c.

Resp. 1. Moyses initio Geneseos creationem Angelorum variis de causis prætermisisse: 1. quia solam rerum corporearum originem & seriem describendam susceperat: rationem hanc indicat S. Hieronymus Epist. 139. 2. quia propositum ipsi erat, ea sola exprimere quæ facta erant in obsequium hominum. Ita S. Cyrillus Lib. contra Julianum; 3. par fuit ut Moyses apud Judæos mere carnales de spiritualibus ut sunt Angeli sileret. Ita S. Chrysostomus Homil. 2. in Genesim. *Nihil*, inquit S. Doctor, *de invisibilibus virtutibus differit*, (Moyses) *neque dicit*, *In principio fecit Deus Angelos vel Archangelos* ∴. *Judæis enim loquebatur*, *qui toti præsentibus*

bus rebus inhiabant, neque ſpirituale quidquam comprehendere valebant. Itaque eos a ſenſibilibus ad cognoſcendum univerſi opificem inducit.

Reſp. 2. cum Angelico Doctore 1. p. q. 61. art. 1. ad 1. Angelos non omnino fuiſſe prætermiſſos in illa prima rerum creatione, ſed nominibus rerum corporalium, cœli ſcilicet aut lucis, fuiſſe ſignificatos. *Et hoc ideo*, inquit idem S. Doctor, *quia Moyſes rudi populo loquebatur, qui nondum capere poterat incorpoream naturam: & ſi eis fuiſſet expreſſum* (initio Geneſis) *aliquas res eſſe ſuper omnem naturam corpoream, fuiſſet eis occaſio idololatriæ, ad quam proni erant, & a qua Moyſes eos præcipue revocare intendebat.* Non valebant ſcilicet intelligere, quomodo Angeli eſſent creati, ſi non eſſent corporei.

Neque his obſtat quod Moyſes poſtea frequenter meminerit Angelorum: ſic enim de iis loquitur, ut & unum Deum affirmet, & Angelos ejus miniſtros ac nuntios declaret, per quam declarationem idololatriæ occaſionem abſtulit. Quare nec uſquam legimus Angelos a Judæis cultu divino fuiſſe honoratos.

Objicies 2. Angelus nomen eſt non naturæ, ſed muneris ac officii, ſignificans nuntium & legatum, juxta illud ſancti Auguſtini L. 5. de Geneſi ad litteram, c. 19. antea citato, *Nuncii, græce Angeli dicuntur.* Ergo in Scripturis per Angelos non deſignantur ſpiritus aut perſonæ, ſeu ſubſtantiæ intellectuales per ſe ſubſiſtentes; ſed occultæ duntaxat inſpirationes, quibus quaſi Dei nunciis homines admonentur voluntatis divinæ.

Reſp. quod etſi *Angelus* officii nomen eſſe

ſupponatur, inde tamen colligi non poſſit Angelum non eſse perſonam, ſicut ex Legati aut Oratoris nomine inferri non poteſt eum qui Oratoris vel Legati munere fungitur, non eſse perſonam aut ſubſtantiam quæ per ſe ſubſiſtat.

Adde, tam in Scripturis ſacris, quam apud Scriptores Eccleſiaſticos Græcos atque Latinos uſurpari hoc nomen, *Angelus*, pro ſubſtantia ſpirituali, vocabulo officii ad naturam ſignificandam translato.

Obiectiones contra tertiam Concluſionem.

Objicies 3. contra tertiam Concluſionem: Non ſolum Ariſtoteles, verum etiam Platonici & Stoici & alii nonnulli gentiles Philoſophi, ſola inſtructi ratione naturali, ſubſtantias quaſdam intellectuales agnoverunt, licet diverſis eas appellarint nominibus. Plato tum in *Timæo*, tum in *Convivio*; duplex Angelorum genus poſuit; alios inferiores, quos dæmones vocabat, alios ſuperiores, quos deos. Ariſtoteles Lib. 8. Phyſicorum aſſerit aſtra ab Angelis moveri. Quidam vero alii *genios*, plerique *intelligentias*, in univerſum eos nuncuparunt; ergo exiſtentia Angelorum ſolius rationis ope poteſt oſtendi.

Reſp. diſt. conſeq. exiſtentia Angelorum ſolius rationis ope poteſt oſtendi probabiliter, concedo: demonſtrative, nego. Solutio patet ex dictis ſecunda & tertia Concluſione.

Adde Platonem alioſque gentiles Philoſophos ſummo diſcendi deſiderio captos, Moyſis aliorumque Judæorum Libros avide arripuiſſe ac legiſſe. Ita teſtantur S. Juſtinus Apologia ſecunda, S. Clemens Alexandrinus L. 5. Stromatum, S. Auguſtinus L. 2. de doctrina chriſtiana cap. 18. Porro quod de Angelis

gelis aſseruerunt gentiles illi Philoſophi, id ex ſacris Libris hauſiſse merito dici poteſt.

Objicies 4. Plurimi ſunt effectus in rerum natura, qui certe ſunt hujuſmodi, ut non poſſint aliis tribui cauſis quam ſpiritibus illis qui dicuntur Angeli: hujus generis ſunt inſolitæ quædam energumenorum, id eſt, obſeſsorum hominum operationes, a quibus talia ſubinde dicuntur & fiunt quæ humanam ſcientiam & potentiam prorſus ſuperare videntur; velut dum loquuntur linguis græca, hebraica, aut aliis quarum ſunt penitus ignari; dum ſecreta hominum pandunt, etiam qui locis remotiſſimis diſtant; dum qui naturaliter debiles ſunt & infirmi, duorum vel trium virorum robur ſuperant.

Nec dici poteſt ea quæ ſupra facultatem humanam ab illis energumenis & arreptitiis hominibus ſunt, non per Angelos, ſed per Deum fieri. Namque ſæpe contingit ab illis mala fieri, velut cum blaſphemant & rident res divinas, aut turpia loquuntur, quæ certe in Deum refundi non poſsunt; ergo neceſsario fiunt a malis Angelis ſeu dæmonibus, qui in humanis corporibus iſta operantur. Ergo Angelos eſse in rerum natura evidens eſt.

Reſp. quod ſi ſecludantur documenta ex Scripturis, Patribus & Traditione petita, nullus convinci poſſit ex miris ac ſtupendis operationibus mox recenſitis, alias in mundo eſse ſubſtantias quam animas rationales: ſed exiſtimare quiſpiam poſset omnes effectus qui facultatem naturalem ſuperare videntur, abſolute loquendo, refundi aut in Deum, ſi per ſe mali non ſint; aut ſi mali ſint, in animas corporibus ſolutas.

Et vero ad insolitos & stupendos energumenorum motus, aliaque subinde eorum opera, ad summum tria requiruntur: 1. peritia linguarum; 2. vis movendi varia corporis membra; 3. voluntas mentiendi aut male agendi. Ac 1. certum est, animas separatas interdum callere varias linguas quas in hac vita didicerunt; 2. certum est, habere sæpe voluntatem male agendi; 3. probabile est habere vim movendi corpora. Quamvis enim id negent aliqui tamen multi alii affirmant, & ideo nihil evidenter concludi potest.

Objicies 5. Postulat ordo & perfectio universi, ut in eo sint aliquæ creaturæ, quæ Deo creatori assimilentur per intellectum & voluntatem, per quas facultates universitatem rerum condidit: atqui creaturæ quæ sic Deo assimilantur, sunt naturæ intellectualis & incorporeæ, id est, Angeli, ergo ad universi perfectionem requiritur ut in eo sint Angeli. Ista ratione utitur S. Thomas 2. p. q. 50. art. 1. ad evincendam Angelorum existentiam.

Resp. isto ratiocinio equidem probabiliter ostendi, ut antea ex sancto Thoma observavimus, Angelos existere, non tamen id certo & evidenter demonstrari. Ad ejusmodi enim rationem responderi posset, nihil omnino necesse fuisse, ut universum conderetur a Deo in eo perfectionis statu in quo revera illum condidit: in hoc etenim opere liberrimus fuit Deus, ac proinde ratio naturalis non infert necessario productos fuisse Angelos.

QUÆ-

QUÆSTIO SECUNDA.

De natura seu essentia Angelorum.

TRia hic expendemus.

I. an Angeli sint natura substantiæ spirituales, & omnis omnino materiæ expertes.

II. an sint mortales.

III. an omnes Angeli sint unius & ejusdem speciei.

ARTICULUS PRIMUS.

An Angeli natura sint spirituales & omnis materiæ expertes.

OBservandum 1. variis modis rem aliquam dici posse spiritualem & incorpoream: 1. quod ipsa non sit corpus, nec constet partibus quantis, extensis & divisibilibus; 2. quod ipsa nec sit corpus nec corporis forma, cum quo tanquam materia compositum efficiat. Neque enim, ut hic observat Estius, idem omnino est non esse corpus, & non esse corporis formam: nam animæ humanæ nequaquam corporeæ sunt, & tamen habent corpora sibi naturaliter unita, quæ informant; 3. denique res dici potest spiritualis, quod neque sit corpus, neque corporis forma, neque eo tanquam instrumento ad suas operationes indigeat.

Observandum 2. apud veteres Ecclesiæ Scriptores non perinde atque hodie certam fuisse & omnibus probatam sententiam, Angelos & dæmones incorporeos esse.

Qui-

Quidam enim secuti Platonem, tradiderunt Angelos, tam bonos quam malos corporeos esse, aut corpora sibi naturaliter unita habere, non quidem crassiora ac palpabilia, sicuti sunt nostra, sed valde subtilia, tenuja, aeris instar, unde in Scripturis passim *spiritus*, plerumque *aereæ potestates* appellantur. Ita sensisse sanctum Irenæum, Tertullianum, Origenem, S. Hilarium, aliosque nonnullos refert Petavius Tomo 3. Theologicorum dogmatum cap. 2.

Ex recentioribus vero eandem sententiam amplexi sunt Eugubinus L. 8. *De perenni philosophia* c. 27. Cajetanus ad cap. 2. Epist. ad Ephes. qui putant dæmonem appellari ab Apostolo, *principem tenebrarum aeris*, quia ejusmodi habet corpus tenue & subtile.

Nonnulli vero de tota hac quæstione tanquam de re dubia locuti sunt. Ita imprimis S. Augustinus multis in locis: Enchiridii c. 19. difficillimam esse dicit quæstionem de corporibus Angelorum: Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. cum asseruisset dæmonibus quoque sua esse corpora ex aere conflata, subjungit, *Si autem quispiam nulla habere corpora dæmones asseverat, non est de hac re aut laborandum operosa inquisitione, aut contentiosa disputatione certandum*. Idem & alibi de corporibus Angelorum dubitanter loquitur, ut Lib. 3. de Genesi ad litt. cap. 10 dicit enim conditionaliter, *si hæc ita sunt*, &c. Lib. 15. de civit. Dei cap. 23. nec non Epist. 157.

In eadem dubitatione versatum fuisse S. Bernardum, non obscure colligitur ex Lib. 5. *De Consideratione* c. 4. & Serm. 5. & 6. super Cantica: iis enim locis contendit Angelos

los sua ministeria exequi non posse sine corporibus : an autem ea corpora ad eorum substantiam pertineant, ipsisque naturaliter uniantur, ita ut sint animalia sicut homines, an vero ea pro nutu suo assumant aut deponant, ignorare se confitetur.

Porro licet SS. Augustinus & Bernardus dubii hæserint circa Angelorum incorporeitatem, minime tamen dubitandum putarunt de anima rationali, quin ea sit incorporea; siquidem S. Augustinus hæresi 86. Tertulliano hunc errorem adscribit quod animam corpoream esse diceret. Et quamvis neget eum propter hoc factum hæreticum, opinionem tamen hanc damnat; & Lib. 2. de anima & ejus origine cap. 5. eandem opinionem *ad deliramenta Tertulliani pertinere* dicit : & contra eam pluribus agit Lib. 4. ejusdem operis cap. 12. & sequentibus.

S. autem Bernardus Serm. 40. super Cantica, tribuit animæ incorpoream substantiam & spiritualem essentiam. Item Lib. de interiori domo c. 67. animam Deo comparat, quod *sicut Deus ubique totus, ita anima in suo corpore sit ubique tota*. Et serm. 5. in variis, asserit, *animam quia incorporea est, in loco corporeo esse non posse*.

Ex iis merito colligere licet, juxta SS. Augustini & Bernardi sententiam, Angelos suapte natura esse incorporeos, licet iis quacumque ratione corpora conjuncta esse opinati fuerint: non enim apparet cur sancti illi Doctores Angelos natura corporeos asseruissent, cum animam rationalem natura incorpoream esse contenderent.

Est præterea Ruperti de corporibus Angelorum & dæmonum peculiaris quædam sen-

ten-

tentia. Scilicet L. 1. de victoria Verbi c. 26. ait dæmones ante transgressionem quidem cœlestia corpora gessisse, lapsos vero per superbiam in aeream qualitatem esse conversos.

Observandum 3. Theologos in diversas abire sententias circa gradum certitudinis qua constet Angelos non esse corporeos, nec habere corpora sibi naturaliter unita: 1. quibusdam videtur doctrinam hanc ad fidem pertinere; 2. alii moderatius existimant eam quidem ad fidem non pertinere, attamen omnino certam esse, nec sine temeritate negari posse; 3. denique alii eam probabilem duntaxat aut probabiliorem appellant. His præsuppositis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Angelorum substantia non est pure corporea.

Probatur 1. ex Scriptura, in qua Angeli ac dæmones sic quandoque appellantur spiritus aut spirituales, ut spiritus notionem corpori vel rei pure corporeæ manifeste opponat Ita Ephes. c. 6. *Non est nobis colluctatio ad. versus carnem & sanguinem, sed adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus;* ergo Angelorum substantia non est pure corporea.

Idem non minus efficaciter evincitur ex Actorum cap. 23. in quo sanctus Lucas, ait Sadducæorum hæresim fuisse, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Ubi certe per *Angelum* non intelligitur substantia corporea, etiam tenuis ac valde subtilis: si enim intelligeretur hujusmodi substantia, non vere de Sadducæis diceretur,

eos

eos non admisisse ullos Angelos, cum res corporeas etiam subtiles & tenues facileque mobiles admiserint, solas autem incorporeas & spirituales negaverint, unde & animam nostram corpoream esse sentiebant, ideoque cum corpore moriente interire, ex quo nullam futuram esse resurrectionem concludebant.

Probatur 2. ex dictis superiori Quæstione Articulo tertio, Conclusione prima, & ex dicendis mox sequenti Conclusione.

Probatur 3. hoc invicto argumento: Corpus quantumvis tenue ac subtile supponatur, nec intelligere nec velle potest, id enim nec intelligere nec velle potest, quod capax est solius motus localis: sed corpus quantumcumque subtile supponatur, capax est solius motus localis; scilicet præter illam capacitatem nihil in illo concipitur: porro substantia angelica est intelligens & volens, ut fuse probabimus Quæstione tertia & quarta; ergo substantia Angelorum non est pure corporea.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum substantia non constat ex spiritu & corpore subtiliori & invisibili, sicut natura humana ex spiritu & corpore crassiore; sed est pure spiritualis & omnis omnino materiæ expers.

Probatur 1. ex Scripturis iis scilicet omnibus testimoniis quibus Angeli constanter appellantur *spiritus*. Sic Psalmo 103. *Qui facit Angelos suos spiritus*: hoc est, qui eos, quorum natura & substantia spiritualis est, ministros suos & nuntios instituit, & man-

mandatorum suorum executores, ut explicant SS. Gregorius Nazianzenus Oratione 34. & Damascenus Lib. 2. de fide c. 3. Hebræor. 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus?* Idem de bonis Angelis sæpius legitur in Evangelio, nec non & de dæmonibus. Sic Matt. 8. *Ejiciebat spiritus*. Lucæ 10. *Spiritus subjiciuntur vobis*, & cap. 11. *Assumit alios spiritus nequiores se*.

Ex his sic licet arguere: Angeli passim in Scripturis dicuntur simpliciter *spiritus*, ut constat ex citatis mox textibus: atqui *spiritus* nomen sic usurpatum in Scripturis, proprie rem omnino incorpoream & spiritualem significat: quod utique patet ex supremo & infimo spiritu, Deo nempe & anima rationali; quibus hoc idem nomen tribuitur; Deo quidem absolute & per excellentiam, ut Joannis 4. *Spiritus est Deus*, id est, pure spiritualis & incorporeus: animæ vero, quia distinguitur a corpore. Sic 1. Corinth. 5. *Tradere hujusmodi satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus fiat in die Domini*: hoc est ut anima salvetur. Ergo pari modo Angeli qui inter Deum & animam rationalem medium locum obtinent, idcirco dicuntur spiritus, quia sunt omnino incorporei & pure spirituales.

Et vero, quemadmodum observat Sylvius 1. p. q. 51. art. 1 quamvis *spiritus* nomen subinde legatur dictum de rebus corporeis, ut Act. 2. *Factus est repente de cœlo sonus, tanquam advenientis spiritus vehementis*, & Psalm. 148. *Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum*. Quando tamen nomen *spiritus* tribuitur rei intellectivæ; significat rem spiritualem & incorpoream. Ita Joan. 4. v. 24.

Spi-

Spiritus est Deus. Matth. 26. v. 41. *Spiritus promptus est, caro autem infirma*. Galat. 5. v. 17. *Caro concupiscit adversus spiritum*. Porro sic Angeli vocantur *spiritus*, ut significetur eos esse intelligentes, sicuti ex dicendis Quæstione tertia, quarta & aliis manifestum erit; ergo, &c.

Probatur 2. ex Conciliis.

I. in Concilio Nicæno 1. Actione 2. in professione fidei Sophronii, animæ rationales & Angeli collocantur in eodem ordine intellectualium, seu quod idem est., spiritualium substantiarum: atqui constat animas rationales spirituales esse & incorporeas, idque expresse sancitum est variis in Conciliis; ergo pariter Angeli sunt pure spirituales & incorporei.

II. in professione fidei Synodi septimæ generalis seu Nicænæ 2. Actione 4. sancti Angeli vocantur incorporei. *Veneramur*, inquit, *imagines Sanctorum, & incorporeorum Angelorum, utpote qui tanquam homines figura humana justis apparuerunt*. Porro qua ratione Patres Nicæni Angelos simpliciter & absque restrictione *incorporeos* appellassent, si ex corpore partim & spiritu constituerentur?

III. Concilium Lateranense IV. an. 1215. cap. *Firmiter*, jam a nobis laudato, sic loquitur: *Creator omnium sua omnipotenti virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam, spiritualem & corpoream, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex corpore & spiritu constitutam*. Quibus verbis Concilium docet: 1. Angelos esse creatos ex nihilo; ergo non sunt formati ex substantia aeris, ut vult Rupertus, neque ex aliqua ma-

materia, ut aliqui conjiciunt; 2. asserit Angelos esse spiritus, quemadmodum anima hominis spiritus dicitur: atqui anima hominis est omnino spiritualis & incorporea: ergo Angeli sunt pure spirituales & incorporei; 3. denique affirmat ibidem Concilium, hominem substantiam esse mediam inter angelicam & corporalem creaturam: porro homo constans corpore & spiritu, non alia ratione potest esse media substantia inter angelicam & corporalem, quàm quod illa neque ex toto neque ex parte corporea sit, sed tota spiritualis: hæc vero, neque ex toto neque ex parte spiritualis, sed tota corporea.

Probatur 3. ex Patribus tum Græcis, tum Latinis.

E Græcis quidem S. Ignatius in Epistola ad Trallenses, vocat Angelos, *incorporeas naturas*.

S. Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 1. ait Angelum esse *substantiam incorpoream*.

S. Gregorius Nyssenus Oratione 4. in Dominicam orationem, *Omnis*, inquit, *natura rationalis dividitur in corpoream & incorpoream naturam; incorporea porro est angelica creatura, altera nos sumus*.

Subscribit Nazianzenus Oratione 34. ubi diserte Angelos dicit esse *incorporeos & ad Deum proxime accedentes*.

S. Joannes Damascenus L. 1. de fide c. 3. Angelum definit, *Substantiam intelligentem materiæ atque corporis expertem*.

His plane consentiunt S. Chrysostomus Homil. 21. in cap. 6. Geneseos: Eusebius Cæsarienses L. 4. de Demonstratione evangelica c. 1. Theodoretus qu. 20. in Genesim, & alii ple-

plerique. Idem videre est apud S. Dionysium de cœlesti hierarchia cap. 1. 4. 6. &c. si tamen hujusce Libri auctor sit.

E Latinis vero, S. Hilarius L. 8. de Trinitate, inter invisibilia reponit Angelos his verbis: *Qui est Dei imago invisibilis, primogenitus omnis creaturæ, quia in ipso condita sunt omnia in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Principatus, sive Potestates, sive Dominationes.* Jam vero certum est in mente ac doctrina S. Hilarii, id omne esse incorporeum quod est invisibile; ibi enim probat Verbum esse invisibile, & per consequens incorporeum.

S. Hieronymus Epist. 59. ad Avitum inter alios errores reprehendit in Origene quod dixisset, *dæmones ob delicta aereis corporibus esse vestitos.*

S. Leo in Epistola 93. sic loquitur: *Fides vera; quæ est catholica, omnium creaturarum, sive spiritualium, sive corporalium, bonam confitetur esse substantiam.*

S. Gregorius Magnus Lib. 4. Moralium c. 19. conceptis verbis asserit Angelos esse cujuslibet corporis expertes: *Angelus*, inquit, *solummodo spiritus est: homo vero & spiritus est & caro.* Et rursus Lib. 4. Dialogorum cap. 29. probat *Angelos etsi incorporeos, igne tamen cruciandos esse.*

Idem docent S. Ambrosius in illa verba capitis 1. Epist. ad Hebræos, *Omnes sunt administratorii spiritus.* Julius Africanus L. 11. cap. 11. S. Fulgentius Lib. de fide cap. 3. & alii plerique.

Ex iis vero quæ adduximus tum Græcorum tum Latinorum testimoniis istud erui potest ratiocinium. Illi existimarunt Angelos

[non

non constare ex spiritu & corpore, sed esse substantias omnino incorporeas & pure spirituales, qui conceptis verbis asseruerunt: 1. eos esse *naturas penitus incorporeas*; 2. illos esse *solummodo spiritus*; 3. denique ipsos esse *intelligentias omnis materiæ & corporis expertes*: atqui Patres tum Græci tum Latini ita expresse docent citatis mox locis; ergo censuerunt Angelos esse substantias omnino spirituales & incorporeas.

Probatur 4. ex unanimi ac constanti omnium Theologorum consensu: ii enim omnes, præsertim qui post Concilium Lateranense scripsere, (uno tamen excepto Cajetano qui in caput 2. Epistolæ ad Ephes. scribit dæmones ex spiritu & subtili quodam corpore esse compositos) ii, inquam, omnes docent Angelos, tam bonos quam malos, cujuslibet corporis expertes esse: *Communis est & constans omnium Scholasticorum doctrina*, inquit Estius in 2. Sentent. dist. 8. paragr. 1. *Angelos esse natura prorsus incorporeos & pure spirituales. Quod non minus de dæmonibus quam de Angelis bonis intelligi volunt, utpote cum illos ab istis non natura, sed sola voluntatis malitia discernat.* Porro nemo nescit quanti in rebus theologicis momenti sit concors hæc ac constans & Scholasticorum sententia.

Probatur 5. rationibus theologicis.

Prima est, quia Angeli naturæ sunt præstantioris quam animæ humanæ, sive adhuc conjunctæ corporibus, sive ab iis jam separatæ: ut enim ait S. Augustinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 5. *Angelica natura, omnia cetera quæ Deus condidit, naturæ dignitate præcedit*; atqui animæ humanæ corporibus so-

solutæ, sunt pure spirituales & incorporeæ, ut demonstrabitur Tractatu de Opere sex dierum; ergo & Angeli pure spirituales sunt & omnino incorporei.

Secunda est, quia si Angeli constant ex spiritu & corpore, erunt igitur ejusdem naturæ cum hominibus, atque revera homines, neque a propria ratione hominis excludi poterunt; nam crassum vel subtile corpus habere, alimentis egere vel non egere, mortalem vel immortalem esse, accidens quoddam est quod specificum in natura discrimen inducere non valet, uti manifeste patet exemplo hominis ante vel post futuram resurrectionem.

Tertia sic proponitur. Si Angeli haberent corpora propria sibi naturaliter unita, aut ea essent organizata & membris distincta, ut sunt humana corpora, aut essent confusa & indistincta, ut sunt homogenea: atqui neutrum horum dici potest.

Non prius, quia illa membrorum distinctio potissimum inservit sensitivæ cognitioni, quæ in Angelis locum non habet, ut ostendemus Quæstione sequenti.

Non posterius, quia ejusmodi corpora multo minus poterunt Angelis ad suas operationes subservire, quamcumque illis corporibus figuram tribuas. Quin potius impedimento illis erunt ad motum & ministeria, quia non possunt moveri nisi cum mora successionis & cum divisione medii corporis.

Quarta sic est: Angeli in genere intellectualium sunt substantiæ quædam totales & perfectæ; ergo Angeli corporibus non uniuntur naturaliter, eo scilicet modo quo anima unitur corpori, cum quo unam perfectam sub-

ſubſtantiam ac naturale compoſitum, id eſt, hominem conſtituit. Conſeq. conſtat: probatur autem antecedens, quia non ut de parte ſubſtantiæ, ſed ut de tota quadam intellectuali ſubſtantia loquuntur Scripturæ ubicumque de Angelis mentionem habent. Scilicet eo modo de Angelis loquuntur, quo de hominibus, non autem quo de animabus aut ſpiritibus hominum. Quod inde manifeſtum eſt, quia ſi de Angelis loquerentur ſicut de animabus, certe alicubi ſuo nomine exprimerent ipſam perfectam ſubſtantiam ex Angelo & corpore conſtantem, ſicut pluribus in locis appellant hominem qui conſtat ex anima & corpore. Illud vero nuſquam extat, neque in Scripturis, neque alibi.

Quinta ratio ſumitur ex eo quod Lucæ 8. tota legio dæmonum unum hominem obſediſſe legitur: at vix concipi poteſt quomodo integra dæmonum legio, ſi ſint corporei, in uno & eodem homine ſtare potuerit. Quamvis enim corpus in infinitum ſit diviſibile, ideoque maxima corpuſculorum multitudo in uno homine contineri & concludi poſſit, quia tamen qui dæmones corporeos exiſtimant, non corpuſcula, ſed corpora eis tanquam animalibus tribuunt, contra eos probabile hinc efficitur dæmones ex corpore & ſpiritu non conſtare.

TERTIA CONCLUSIO.

Angelica ſubſtantia non indiget corpore tanquam inſtrumento per quod proprias & naturales ſuas operationes eliciat.

Probatur: Propriæ & naturales Angelorum operationes ſunt intelligere, velle & mo-

movere : atqui Angeli corpore tanquam instrumento non egent ad exercendas hujusmodi operationes.

Et quidem de duabus prioribus operationibus facile patet. Non minus enim Angeli independenter a corpore intelligere & velle possunt, quam animæ a corporibus per mortem separatæ : atqui animæ a corporibus separatæ intelligunt & volunt, ergo & Angeli, cum sint animabus perfectiores, independenter a corpore intelligere & velle possunt.

Quod etiam motio angelica non postulet corpus, patebit ex dicendis Quæstione quinta, ubi de Potentia motrice Angelorum. Satis sit hic unum observasse, scilicet quod motus per instrumenta corporea factus non possit tam brevi tempore & quasi uno momento ferri ab una parte ad aliam remotissimam, sicut interdum dæmones sese movent, ut expresse notat Tertullianus in Apologetico cap. 22. Igitur Angeli non indigent corpore tanquam instrumento ad exercendas proprias ac naturales suas operationes, intellectionem, scilicet, volitionem & motum.

Ex dictis sequitur Angelos esse substantias physice simplices, immateriales & indivisibiles. Namque substantia pure spiritualis, physice simplex est, immaterialis & indivisibilis: atqui ex probatis Conclusione secunda, Angeli sunt substantiæ pure spirituales; ergo, &c.

Et vero præstantior est & nobilior natura angelica, quam anima rationalis: porro anima rationalis physice simplex est, immaterialis & indivisibilis; ergo multo magis Angeli.

Dixi Angelos subſtantias eſſe *phyſice* ſimplices, non vero *metaphyſice*, quia in ipſis reperitur multiplex virtualis ac metaphyſica compoſitio.

I. ex genere & differentia.

II. ex eſſentia & exiſtentia, cum non ſint ſuum eſſe.

III. ex natura & ſuppoſito; potuit enim Verbum naturam angelicam ſua ſubſiſtentia ſpoliatam aſſumere.

IV. quod magis eſt, ex ſubjecto & accidentibus: cum non ſint actus puri, ſed habeant habitus, impreſſas & expreſſas ſpecies, vitaleſque actus a ſua ſubſtantia diſtinctos, ex eo quod ipſi non ſint ſua operatio.

V. denique in ipſis eſt compoſitio ex multis accidentibus.

Nec obſtat quod S. Dionyſius, aliique nonnulli afferant nulla eſſe accidentia in Angelo; intelligendi enim ſunt de materialibus duntaxat accidentibus, non de ſpiritualibus.

Solvuntur Objectiones.

Varia contra primam ac potiſſimum ſecundam Concluſionem opponuntur, 1. ex Scripturis; 2. ex Conciliis; 3. ex SS. Patribus; 4. ex aliis momentis theologicis. Ea omnia hic paucis referemus ac ſolvemus. Itaque

Prima Objectio ex Scriptura.

Objicies 1. Generatio ſenſibilis & corporea corpus ſupponit: ſed Scriptura ſacra corpoream generationem tribuit Angelis; ergo in eis eſſe corpus ſupponit. Major certa eſt. Minor probatur ex illo Geneſ. 6. *Videntes filii Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi uxores ex omnibus quas elegerant, &c.* quo loci, ubi noſtra verſio habet

bet particulam *filii Dei*, septuaginta Interpretes legunt, *Angeli Dei*.

Unde plurimi ex SS. Patribus exponunt locum hunc de Angelis, qui ex congressu mulierum genuerunt gigantes, quos Patres fuse recenset Pamelius paradoxo primo Tertulliani.

Resp. nego min. ad cujus probationem dico in textu hebraico & in 70. sicut & in Vulgata legi *filios*, non *angelos Dei*, ut videre est in exemplaribus correctioribus, sicut observat S. Augustinus Lib. 15. de civit. Dei cap. 23. Idem etiam notat S. Cyrillus L. 9. adversus Julianum.

Quod autem per hæc verba Genes. 6. *filii Dei*, Angeli non intelligantur, manifestum est: 1. quia intelligi non possunt Angeli sancti: Ii enim, pronuntiante Christo Lucæ 20. *neque nubunt, neque nubentur*; 2. non possunt quoque dæmones intelligi, quia dæmones nusquam vocantur in sacris Litteris, *filii Dei*, sed, *adversarii*, *inimici*.

Nec obstat quod plures ex Patribus citatum Geneseos textum exponant de veris Angelis: nam & hanc eorum interpretationem refellunt S. Chrysostomus Homil. 21. in Genesim, S. Augustinus loco mox citato, ubi etiam tanquam apocryphum rejicit Librum Enoch, citatum a Tertulliano Lib. de velandis virginibus cap. 7. pro hac sua interpretatione.

Dicendum igitur, vocibus istis, *filii Dei*, quæ Genes. cap. 6. leguntur, convenientissime intelligi filios Seth & Enos, qui divino cultui præ ceteris hominibus maxime dediti, filii Dei dicebantur a pietate paterna aut propria: qui cum filiabus hominum,

hoc est, mulieribus oriundis a Caino & ejus posteris, hominibus terrenæ ac corporeæ voluptati maxime deditis, commixti genuerunt gigantes.

Vel nomine *filiorum Dei* intelliguntur homines statura proceri, juxta Scripturæ consuetudinem quæ res celsissimas nomine Dei appellat phrasi hebraica, ut *cedri Dei*, *montes Dei*.

Vel denique nomine *filiorum Dei*, intelliguntur filii Magnatum & Principum juxta hebræum *elohim*, quod non solum Deo, sed etiam Principibus ac Judicibus Scriptura sacra tribuit Exodi 7. & Psalm. 81. quorum filii commixti cum filiabus plebis & ignobilibus genuerunt gigantes, hoc est, homines ceteris robustiores & ad libidinem promptiores, ut interpretantur SS. Chrysostomus, Augustinus, Cyrillus Alexandrinus, &c. Huic expositioni favet Scriptura: siquidem subdit, causam quæ Deum impulit ad perdendum genus humanum diluvio, fuisse hominum peccata, maxime vero illam commixtionem filiorum Dei cum filiabus hominum: *Videns autem Deus*, inquit Moyses, *quod multa malitia hominum esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, pœnituit eum quod hominem fecisset in terra. Et tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi a facie terræ.* Igitur illa commixtio non de Angelis sed de hominibus intelligenda est.

Secunda Objectio ex Conciliis.

Objicies 2. In Concilio Nicæno 2. Actione 5. lectus est dialogus Joannis Episcopi Thessalonicensis, cum Gentili disputantis, quo in dialogo inter alia sic loquitur: *De Angelis*

gelis, & Archangelis, & eorum Potestatibus, quibus & animas nostras adjungo, catholica Ecclesia sic sentit, esse quidem intelligibiles, sed non omnino corporis expertes, & invisibiles, ut vos Gentiles dicitis; verum tenui corpore præditos, & aereo, sive igneo. & in proprio corpore aliquando visos esse. Subdit ea in sententia fuisse *Basilium*, *Athanasium*, *Methodium*. Unde postea concludit, *Angelos merito depingi posse.*

Hæc autem cum lecta fuissent ex libro Joannis Thessalonicensis, Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus & Concilii Præses, sic locutus est: *Ostendit Pater* (præfatus scilicet Joannes) *etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt.* Responditque statim universa Synodus: *Etiam Domine.* Qua quidem acclamatione sententiam Joannis & Tarasii Concilium approbasse ac suam fecisse videtur.

Ex iis sic confici potest argumentum. Nicæna Synodus sua probat definitione quod in hunc finem fuerat lectum ex libro Joannis Thessalonicensis, & propositum a Tarasio Patriarcha: atqui lectum & propositum fuerat Angelos esse corporeos, ac proinde pingendos; ergo definivit Nicæna Synodus Angelos esse corporeos.

Resp. Joannem Thessalonicensem in ea quidem fuisse sententia, quod Angeli sint corporei ac etiam animæ rationales: verum hanc ejus sententiam non probavit Synodus, sed quod ex ea velut consequens idem Episcopus deducebat, quodque suis subinde verbis Tarasius Patriarcha repetebat, videlicet *Angelos recte posse depingi.*

Concilium approbasse duntaxat conclusionem hanc ex præfata sententia deductam, constat

I. ex scopo Concilii : nempe de sacrarum imaginum usu in ea Synodo potissimum agebatur adversus Iconomachos, & hoc unum contra ipsos intendebant Patres Niczni, scilicet licitum *esse Angelos pingere*. Ad ejus autem rei probationem variæ proferebantur sententiæ Patrum, eatenus duntaxat approbatæ, quatenus ad statuendum usum sacrarum imaginum valebant.

II. quia Concilium id tantum approbavit quod ex libro Joannis Thessalonicensis excerpsit & proposuit Tarasius: at ille prudenter prætermisso errore de Angelorum corporeitate (de qua tunc non erat quæstio) proposuit tantum Angelos posse depingi, juxta sententiam Joannis Thessalonicensis, eo quod in specie humana apparuerunt : *Ostendit*, inquit, *Pater, etiam Angelos oportere pingi, quoniam circumscripti sunt, & hominum specie multis apparuerunt*. Quibus auditis statim Synodus; *Etiam Domine*. Ergo approbatio Concilii cadit tantum in istud, nempe *Angelos posse depingi, quia sunt circumscripti*, id est, *definiti certo loco, & humana forma apparuerunt* : neutiquam vero spectat alteram rationem a Joanne prolatam, (quam consulto prætermisit Tarasius) nempe, *quia corporei sunt, & quia in propriis corporibus apparuerunt*.

III. denique quia Concilium Actione 4. refert & approbat sententiam sancti Athanasii asserentis Angelos esse incorporeos; quin & ibidem hæc fidei professio habetur : *Veneramur imagines Sanctorum & incorporeorum An-*

Angelorum, qui tanquam homines figura humana justis apparuerunt. Ex his omnibus patet nihil erui posse ex hoc Concilio adversus nostram Conclusionem.

Itaque ad argumentum propositum respondeo in forma negando minorem propositionem. Equidem in libro Joannis Thessalonicensis legebatur *Angelos esse corporeos, ac proinde pingendos*. Verum Tarasius consulto ac sapienter prætermisso errore de corporeitate, proposuit tantum Patribus *Angelos posse depingi*, juxta sententiam Joannis, eo quod in specie humana multoties apparuerunt.

Tertia Objectio ex Patribus.

Objicies 3. Ea sententia non est admittenda, quæ communi ac constanti sanctorum Patrum doctrinæ adversatur: atqui talis est sententia quæ docet Angelos esse incorporeos: idque constat,

I. ex illis Patribus qui hæc verba Geneseos *6. Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*. Intelligenda esse existimarunt de Angelis qui huicce inferiori mundo præpositi sunt. Censuerunt enim hos Angelos ex mulieribus vera generatione filios suscepisse, adeoque fuisse corporeos. Ita S. Justinus in Dialogo cum Tryphone; Athenagoras initio Apologiæ ad Antonianum; Clemens Alexandrinus L. 8. Stromatum c. 3. Tertullianus Lib. de cultu feminarum cap. 10. Lactantius Lib. 2. Institutionum cap. 14. & alii plures qui secundo, tertio & quarto sæculo floruerunt.

II. idem constat ex aliis SS. Patribus qui licet negarint illud Angelorum cum mulieribus commercium, putarunt tamen Angelos habere corpora subtilissima, aerea, ætherea.

Ita S. Basilius Lib. de Spiritu sancto c. 16. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 9. in Joan. S. Augustinus Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. & alibi sæpe; Joannes Thessalonicensis Dialogo supra relato; S. Bernardus L. 5. de Consideratione cap. 4.

III. denique Angelos esse corporeos ex iis evincitur SS. Patribus qui docent omne creatum esse corporeum. S. Hilarius cap. 5. in Matthæum; S. Gregorius Nazianzenus L. 2. de Theologia in fine; S. Gregorius Magnus Lib. 2. Moralium cap. 12. &c.

Ad ea profecto Patrum testimonia alludit S. Fulgentius in Libro de Trinitate, ubi referens antiquorum sententiam sic habet: *Plane ex duplici eos* (Angelos) *esse substantias asserunt magni & docti viri, id est, ex spiritu incorporeo, & corpore.*

Ex iis porro omnibus SS Patrum textibus sic confici potest argumentum: Illi censent Angelos esse corporeos qui docent 1. ipsos ex congressu cum mulieribus vera generatione filios suscepisse; 2. eos habere corpora sibi naturaliter unita, non crassa quidem sed subtilissima, & aerea; 3. denique qui asserunt nihil esse creatum, sive in cœlo sive in terra, sive visibilium sive invisibilium, quod non sit in substantia corporeum: atqui SS. Patres citatis mox locis ita expresse docent de Angelis; ergo censent eos esse corporeos: ac proinde sententia de incorporeitate Angelorum adversatur constanti ac unanimi SS. Patrum doctrinæ.

Resp. negando minorem, nempe illam sententiam quæ docet Angelos esse incorporeos, communi ac constanti SS. Patrum doctrinæ adversari. Revera quidem nonnulli e SS.

Pa-

Patribus, maxime Græcis, senserunt Angelos esse corporeos, verum reclamant alii longe plures & auctoritate majores, ut constat ex eorum textibus antea relatis. Neque illi qui docent Angelos habere corpora, id vel ex Scriptura, vel majorum Traditione confirmant, ut fatetur ipsemet Origenes L. 2. de principiis c. 8. ubi cum scripsisset: *Non videri absurdum de sanctis Angelis cæterisque cœlestibus virtutibus: vel dicere, vel sentire illos animas habere.* Subdit: *tametsi id ex nullius auctoritate Scripturæ constet.*

Addo 1. plurimos ex iis SS. Patribus quorum opponuntur testimonia, loqui de corporibus, non quidem propriis, sed assumptis & ascititiis, quæ interdum induerunt Angeli, cum hominibus apparuerunt. Neque enim Patres de propriis Angelorum corporibus locutos fuisse; aperte patebit eorum scopum ac verba propria expendenti.

2. Plerique ex ipsis Angelos esse incorporeos & immateriales negarunt, non quidem simpliciter & absolute, sed comparate ad Deum; quippe qui solus ita incorporeus est ut sit infinitus, incircumscriptus, omnisque compositionis expers. Quo sensu interdum locuti sunt SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Cassianus, Gregorius Magnus, &c.

3. Nonnulli dum dicunt Angelos esse corporeos, volunt tantum eos esse veras & reales substantias: scilicet hoc nomen *corpus*, non sumunt pro substantia corporea; sed pro vero & reali ente, ita ut corpus & ens reale seu verum sint synonyma, quomodo Apostolus in Epistola ad Colossenses ait divinitatem in Christo habitare *corporaliter*, id est, vere, realiter, non ficti-

tie vel apparenter. Sic S. Hilarius in Matth. can. 5. sic etiam corporis nomen usurpat S. Augustinus dum Tertullianum excusat.

4. denique plures alii ex iis qui propendent in eam sententiam, quæ statuit Angelorum substantiam constare ex spiritu & corpore, eam non proponunt tanquam certam, sed tanquam dubiam, de qua cuique pro libito licitum sit opinari. Ita imprimis SS. Augustinus & Bernardus variis in locis, de quibus vide quæ diximus initio Articuli notato 2.

Unde ad probationem negatæ propositionis respondeo dist. min. Patres, & siquidem pauci, quorum aliqui de ea re dubitando locuti sunt, alii vero latius *corporis* nomen usurpant, pro omni ente vero & reali, vel pro eo omni quod non est expers cujuslibet compositionis, asserunt Angelos esse corporeos, eos habere corpora subtilia, aerea, concedo: Patres, id est, major Patrum numerus assertive & ex propria sententia docet Angelos esse corporeos, habere corpora vere & proprie dicta, id est, substantias quantas, extensas, divisibiles, nego. Solutio patet ex dictis.

Colliges ex iis quæ mox relata sunt, quinque omnino esse diversas SS. Patrum classes circa Angelorum incorporeitatem.

Prima eorum est qui dixerunt illos omnino incorporeos esse. Ita SS. Ignatius, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Leo Magnus, Gregorius Magnus, & alii quos supra inter probationes adduximus.

Secunda eos complectitur, qui vere corporeos esse docent. Uti S. Justinus martyr, (in sententia nonnullorum) Joannes Thessalonicensis, & alii pauci,

Ter-

Tertia eorum est, qui volunt Angelos esse corporeos, hoc est, veras & reales substantias.

Quarta eos complectitur qui censent esse corpora comparate ad Deum, qui actus est purissimus, cum cetera omnia habeant potentiam passivam. Sic SS. Hilarius & Hieronymus asserunt, nihil esse quod non sit corporeum.

Quinta denique eorum est qui hac in re nihil certo determinant, sed ancipites ac dubii videntur esse circa præsentem controversiam. Ita SS. Augustinus, Hieronymus & Bernardus.

Tres posteriores classes non adversantur nostræ sententiæ. Iis vero qui pro secunda stant, merito opponimus alios numero & auctoritate potiores qui primæ adhærent.

Quarta Objectio ex apparitionibus Angelorum.

Objicies 4. Illi sunt vere ac proprie corporei, qui sensibus humanis sunt perceptibiles: atqui Angeli humani sensibus percipi possunt, nempe visi sunt a Patriarchis & Prophetis aliisque viris sanctis, cum iis conversati sunt, cum iis manducarunt ac biberunt, aliasque veras actiones externas exercuerunt: sic Abraham tres Angelos convivio excepit, Jacob cum Angelo luctatus est per totam noctem; vidit etiam Angelos ascendentes & descendentes, ut refertur Genes. 18. 19. & 28. & in Libro Tobiæ Angelus Raphael comes fuit Tobiæ juniori in via, ut videre est cap. 6. ergo Angeli sunt vere ac proprie corporei.

Resp. 1. aliquos extitisse auctores qui dixere omnes angelicas apparitiones quas Scriptura commemorat, non vere exterius exhibitas, sed tantum phantasticas fuisse, nimi-

rum sola facta immutatione circa imaginationem eorum quibus Angeli leguntur apparuisse; quomodo Joannes non oculis corporeis, sed in spiritu vidit apocalypsim, & Petrus in extasi vidit vas animalibus plenum de cœlo descendens, & fere in universum Prophetæ ea quæ sibi revelabantur, non corpore, sed spiritu viderunt.

Hæc autem opinio, inquit Estius in 2. Sent. dist. 8. paragr. 6. *pugnat cum manifestis Scripturis, testantibus Angelos ab hominibus visos & contrectatos fuisse corporaliter, etiam usque ad pedum lotionem, velut ab Abraham, Loth, Jacob, Tobia patre & filio, B. Virgine, Zacharia, mulieribus in Resurrectione Domini, & Apostolis in ejusdem Ascensione, & alias sæpissime; quæ cuncta ad solam imaginationem referri nulla ratione possunt.*

Et vero sicuti ratiocinatur S. Thomas hic, eandem opinionem refellens, quod videtur imaginaria visione, id in sola est imaginatione videntis, & proinde non videtur communiter, promiscue ac indifferenter ab omnibus: atqui Scriptura sacra ita introducit Angelos apparentes, ut interdum videantur ab omnibus communiter ac promiscue: sic Angeli apparentes Abrahæ Genes. 18. visi sunt ab eo & a tota ejus familia: similiter qui Genes. 19. apparuerunt Loth, videbantur ab ipso & a domesticis & a civibus Sodomorum; Angelus Raphael qui Tobiæ apparuit, promiscue videbatur ab omnibus sicut ipse Tobias. Non igitur hæc in sola contigerunt imaginatione, sed secundum visionem corpoream, qua videtur id quod positum est extra videntem.

Resp. 2. alios fuisse qui scripserunt dictas ap-

apparitiones factas esse per quamdam immutationem sensuum exteriorum, qua fit, ut id quod non est, apparet; quomodo in cœlo & nube colores apparent qui non sunt. Nimirum contendunt illi Deum, Patriarcharum aliorumve quibus Angeli dicuntur apparuisse, organa sensus ita movisse, ut mota fuissent, si Angeli sub aliqua sensibili specie sese realiter præsentes exhibuissent.

Verum hæc opinio nulla ratione probari potest; atque iisdem refellitur momentis quæ mox adduximus ad priorem confutandam, quibus istud addi potest: Quæ vivido, uniformi ac constanti plurium sensuum testimonio comprobantur, ad immaginariam & fictitiam apparentiam reduci non possunt; hac enim ratione Christus suis Apostolis probavit, se post Resurrectionem verum, & non phantasticum corpus habuisse: Lucæ 24. *Palpate & videte, quoniam spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Porro ii quibus Angeli dicuntur apparuisse, non unius sensus sed plurium sensuum actione probarunt Angelorum præsentiam: scilicet illos viderunt, palparunt, cum iis manducarunt ac biberunt; ergo &c.

Resp. 3. quosdam existimasse apparitiones Angelorum factas fuisse in veris corporibus quæ assumpserunt Angeli in unitatem suppositi, seu illa sibi uniendo hypostatice. Rejicienda est ista responsio tanquam erronea, inquit Sylvius 1. p. q. 51. art. 2. tum quia unio hypostatica nullibi legitur facta præterquam in mysterio divinæ Incarnationis; tum etiam quia assumptio corporum ab Angelis facta, est naturalis (communis est enim bonis & malis) unio autem hypostatica

est

est maxime supernaturalis, ut indicat S. Thomas 3. p. q. 3. art. 1.

Resp. 4. alios dixisse apparitiones hujusmodi fieri in corporibus assumptis, non quidem in unitatem suppositi, sed in corporibus, vel ex aere, vel ex alia materia tenui & subtili formatis, quibus uniuntur Angeli, sicut forma unitur materiæ. Rejicienda est etiam ista responsio, inquit ibidem Sylvius tum quia, sic uniri, est ejus formæ quæ in ratione entis & substantiæ individuæ est incompleta, utpote compars alicujus substantiæ completæ; Angelus autem est substantia completa: tum etiam quia ex unione qua forma substantialis unitur suæ materiæ, exurgit compositum quod est unum per se; ex unione vero Angeli ad corpus quod assumit, non potest exurgere unum per se, quia fatentibus omnibus id quod advenit enti completo, unitur ei accidentaliter, nisi uniatur hypostatice.

Resp. 5. vulgatam ac communem Theologorum sententiam eam esse quæ post sanctum Thomam hic & in 2. dist. 8. art. 3. docet, Angelos vere apparuisse, non quidem in propria specie, seu in corporibus propriis, id est, hypostatice aut naturaliter sibi unitis, sed in corporibus assumptis & formatis vel ex aere circumstante, vel ex alia materia tenui & subtili: hæc autem sibi efformant virtute qua pollent in res creatas, aerem scilicet condensando & in ossa, carnes ceteraque humani corporis partes compingendo.

Juxta hanc ultimam sententiam, cui ultro subscribimus, respondeo ad argumentum: Distinguo maj. illi sunt vere & proprie corporei qui in propria specie seu in corpore pro-

proprio naturaliter sibi unito, sensibus humanis sunt perceptibiles, concedo maj. in aliena specie, seu in corpore assumpto & ascititio, nego maj. similiter dist. min. & nego conseq. Itaque Angeli multoties hominibus apparuerunt, cum iis sunt collocuti, cum iis manducarunt ac biberunt &c non quidem in corporibus propriis, sed in corporibus assumptis. Solutio ex sese & ex mox dictis patet.

Instabis: Illi apparuerunt in propria specie, seu in corporibus sibi propriis ac naturaliter unitis, qui in corporibus illis in quibus sese visibiles præbuerunt, vere & proprie reales ac vitales operationes exercuerunt, operationes enim vitales non possunt proficisci nisi a principio interno vitaliter informante: atqui Angeli in corporibus in quibus visibiles sese præbuerunt, hujusmodi operationes exercuerunt: scilicet Scriptura refert Angelos fuisse locutos, comedisse, bibisse, ambulasse &c. & S. Augustinus Epistola 49. asserit, *vere* hæc ab ipsis facta: porro istæ actiones, omnibus fatentibus, vitales sunt; ergo &c.

Resp. nego min. quoad secundam partem, nempe Angelos in iis corporibus in quibus visibiles sese præbuerunt, actiones vitales vere & proprie exercuisse. Equidem Angeli (quod observa) in corporibus assumptis veras ac reales operationes exercere possunt, illas nimirum de quarum ratione non est ut procedant a principio vitali. Cum enim Raphael profectus est cum Tobia, ipsique loquebatur, verus erat ac realis motus illius corporis in quo apparebat; verus etiam ac realis sonus quem edebat. At non possunt in assum-

sumptis corporibus seu per assumpta corpora vere & proprie exercere opera vitæ seu operationes vitales, propter rationem in objectione adductam. Operationes siquidem vitales dicuntur, quæ proficiscuntur a principio interno vitaliter informante: operationes autem quæ fiunt ab Angelis per assumpta corpora, non proficiscuntur a principio interno vitaliter informante, cum proficiscantur ab Angelo qui non est internum principium illarum, neque est vitaliter informans; ergo &c.

Et vero nullus potest vere & proprie exercere opera vitæ, nisi habeat internum principium activum hujusmodi operationum: atqui Angeli quamvis habeant principium, id est, virtutem qua possint corpora seu partes eorum localiter movere, & hoc motu mediante quædam in illis opera exercere habentia aliquid commune cum operibus vitæ corporalis, iisdemque valde similia; non tamen habent principium internum activum ad veras & proprie dictas hujusmodi actiones, quia non habent sensum, neque vim progressivam, comestivam, generativam &c. ergo non possunt eas vere & proprie exercere.

Quapropter dum Scriptura refert Angelos fuisse locutos, comedisse, bibisse, ambulasse, vel quid simile fecisse, ita loquitur Scriptura propterea quod Angeli fecerint actiones secundum speciem externam similes locutioni, comestioni & aliis. Quidquid enim ad substantiam pertinet in ejusmodi operibus, quodque solent producere animata corpora, totum id ab Angelis per assumpta corpora vere exerceri potest, velut sonum

arti-

articulatum in aere excitare, qualem nos loquentes excitamus, cibum frangere & comminuere, liquorem infundere, & utrumque in partes interiores trajicere atque etiam consumere, quod homines edentes & bibentes faciunt; item movere corpus eo modo quo moventur homines ambulantes. Propter hæc & locutos fuisse Angelos, & edisse ac bibisse, & ambulasse legimus in Scripturis: non tamen existimandum est quod vera fuerit eorum locutio, comestio, bibitio; cum istæ actiones de sui ratione postulent fieri a principio vitaliter informante. Unde Angelus Raphael Tobiæ 12. sic loquitur: *Videbar quidem vobiscum manducare & bibere, sed ego cibo invisibili, & potu qui ab hominibus videri non potest, utor.* Quod autem hic de manducatione & bibitione proprie dicta dicitur, id similiter de ceteris vitæ corporalis operibus intelligendum est.

Ad id quod additur ex sancto Augustino Epist. 49. respondeo sanctum Doctorem non asserere quod Angeli vere comederint, sed quod legamus Angelos veras escas sumpsisse; *non ficto & inani phantasmate, sed manifestissima veritate.* Quibus verbis vult ostendere quod Angeli non tantum fictitie & imaginarie visi sunt, vel escas sumere, vel eas ori infundere, sed quod escas vere acceperint, vereque ad os posuerint. Ex quo tamen non sequitur veram hanc fuisse ac proprie dictam comestionem, cum profecta non sit a principio vitali; quod quidem in homine non aliud est quam anima quæ vere ac substantialiter unitur corpori; Angeli autem non vere ac substantialiter, sed accidentaliter tantum, hoc est, per quasdam exte-

exteriores operationes, eo fere modo quo motor mobili, sicuti v. g. nauta navi, corporibus assumptis uniantur.

Dixi, *eo fere modo* quo motor mobili: quia Angelum assumere aliquod corpus, non est præcise quid idem ac ipsum uniri corpori, sicut motor unitur mobili, cum certum sit Angelos non omnia assumere corpora quæ movent; sed Angelum assumere corpus, est ipsum uniri corpori ut motorem mobili in quo suam personam, suasve proprietates vel actiones aliquo modo repræsentet. *Assumsit Angelus corpus*, ait S. Thomas qu. 6. de potentia art. 7. ad 1. *non ut suæ naturæ uniat, sicut homo assumit cibum: neque ut uniat suæ personæ, sicut Filius Dei assumpsit naturam humanam, sed ad suam repræsentationem, illo modo quo intelligibilia per sensibilia repræsentari possunt. Tunc ergo Angelus corpus assumere dicitur, quando corpus aliquod hoc modo format quod ad repræsentationem suam est aptum*; sive quod est conveniens ad repræsentandum id quod vult de se manifestare, quemadmodum indicat idem S. Doctor in 2. dist. 8. art. 2. conformiter iis quæ hic docet in responsione ad 2. Hinc est quod etsi secundum Aristotelem concederetur Angelos movere orbes cœlestes, non possunt tamen dici eos assumere; quia licet uniantur eis ut motores mobilibus, non tamen uniuntur sic ut in illis repræsententur vel appareant.

Quinta Objectio ex analogia momentistheologicis.

Objicies denique, Illi non sunt pure immateriales ac incorporei, qui habent aliquam cum quibusdam rebus corporeis sympathiam & antipathiam: atqui Angeli, præsertim mali, habent hujusmodi sympathiam & antipathiam. Sic 1. Regum, 16. refertur, ad pul-

pulsum citharæ Davidis dæmonem a Saule recessisse. Sic etiam Tobiæ, 6. v. 8. & cap. 8. v. 2. legitur fumo jecoris piscis cujusdam fugatum fuisse dæmonem, ejusque maleficium depulsum. Eandem dæmones exagitandi & expellendi vim quibusdam rebus corporeis inesse, liquet ex variis ritibus in exorcismis observari solitis; ergo Angeli non sunt pure immateriales & incorporei.

Adde quod S. Augustinus Lib. 8. de civit. Dei cap. 16. & alii dicant dæmones delectari rebus quibusdam sensibilibus, v.g. odoribus, nidoribus & fumo: at hæc delectatio sensitiva non potest esse nisi alicujus sentientis, & proinde corporei.

Denique cum torqueantur igne corporeo, consequens videtur eos aut corporeos, aut propria quædam habere corpora in quibus ab igne patiantur; corpus enim in rem mere spiritualem agere non potest.

Resp. ad primum, supra dictos effectus non oriri ex vi nativa & oppositione inter res ipsas & dæmones; sed ex eo quod Deus interdum rebus naturalibus & corporeis ad dæmones expellendos veluti instrumentis ad hoc assumptis utatur, ut patet exemplis allatis.

Vel etiam dici potest, certis quibusdam rebus sensibilibus & corporeis dæmones abigi, quatenus res illæ contrariæ sunt aliis rebus corporeis, quibus veluti signis rerum spiritualium ipsos allici, ex divo Augustino docet Angelicus Doctor 1. p. q. 115. art. 5. ad 3. his verbis: *Dicendum quod sicut Augustinus ait Lib. 21. de civitate Dei, dæmones alliciuntur per varia genera lapidum, herbarum, lignorum, animalium, carminum, rituum,*

non

non ut animalia cibis, sed ut spiritus signis; in quantum nempe hæc eis exhibentur in signum divini honoris cujus ipsi sunt cupidi.

Ac per hoc patet responsio ad id quod subjungitur ex sancto Augustino: scilicet dæmones nidoribus & fumo proprie non delectantur, quasi ex illis voluptatem corporalem percipiant; sed dicuntur iis delectari, quatenus eis placent oblationes & sacrificia ab hominibus perditis qui se ipsis devovent exhibita, quorum signa sunt nidor, fumus &c.

Ad ultimum respondeo, ut igne inferni dæmones crucientur physice aut moraliter, non esse opus eos esse corporeos aut habere corpora sibi naturaliter unita: nam & animæ separatæ, licet pure spirituales, eo torquentur. Quomodo autem illæ animæ vel dæmones pati possint ab igne, commodior erit alibi dicendi locus, ubi de pœna dæmonum. Sufficiat hic observasse cum sancto Augustino Lib. 21. de civit. Dei cap. 10. *Quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici.*

Quæres, utrum fidei sit Angelos esse incorporeos.

Resp. 1. quibusdam videri ad fidem pertinere doctrinam superius traditam, scilicet Angelos incorporeos esse, nec habere corpora sibi naturaliter. Nituntur ii potissimum auctoritate Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quod cap. 1. de fide catholica sic loquitur: *Firmiter credimus Deum ... de nihilo utram condidisse creaturam, spiritualem & corpoream, angelicam videlicet & mundanam, ac deinde humanam quasi communem ex spiritu & corpore constitutam.*

Ubi

Ubi inquiunt auctores hujusce sententiæ, Patres Concilii definiunt angelicam naturam spiritualem esse, tum per oppositionem ad entia quæ mere corporea sunt, tum etiam per oppositionem ad hominem qui ex corpore & spiritu constat.

Resp. 2. cum Suaresio Lib. 1. de Angelis cap. 6. quæstionem de qua agitur ad fidem non pertinere. Ratio est quia omnes fere Scholastici, etiam ii qui scripsere post tempora Concilii Lateranensis, quamvis doceant Angelos esse pure immateriales & incorporeos, negant tamen id ab Ecclesia fuisse definitum, & proinde ad fidem spectare. Ita S. Thomas. De malo quæst. de dæmonibus art. 1. Sixtus Senensis Lib. 5. Bibliothecæ sanctæ annot. 3. Bartholomæus Carranza Collector Summæ Conciliorum in annotatione ad Actionem quintam septimæ Synodi. Cajetanus adeo non putat esse fidei, ut scribens super illud Ephes. 2. *secundum principem potestatis aeris hujus*, affirmet dæmones esse spiritus aereos; ac denique Dominicus Bannes in primam partem quæst. 51. art. 1. Ita etiam expresse docent Salmanticenses, Estius, Sylvius, Meratius & alii.

Neque efficaciter colligitur quod ista res sit fidei ex citato mox ab auctoribus primæ sententiæ Concilii Lateranensis Decreto. *Quod enim Angeli sint spirituales & corporei*, inquit Sylvius 1. p. quæst. 52. art. 1. *non fuit ibi ex professo assertum a Patribus, tanquam hoc definientibus, sed potius tanquam hoc supponentibus, & quasi aliud agendo. Eorum siquidem intentio erat duntaxat definire quod Deus sit auctor & creator omnium rerum, tam eatum quæ dicuntur corporales,*

quam

quam illarum quæ dicuntur spirituales: (idque appositè ad errorem Albigensium, contra quos agebatur, qui hac in parte secuti Manichæos, contendebant Deum non esse rerum omnium principium, sed quasdam esse corporales scilicet a principio nequam, alias vero a bono principio, quod quidem Deum esse fatebantur.) Porro, pergit ibidem Sylvius, hoc non censetur a Conciliis definitum, quod in eis dicitur non ex intentione definiendi, sed magis vel supponendo, vel obiter & quasi per transennam asserendo.

Resp. 3. cum Estio in 2. dist. 8. parag. 4. absque temeritate affirmari non posse Angelos esse corporeos, aut habere corpora sibi naturaliter unita. Id ipsum probat Estius ibidem hac ratione, *quia Patres Concilii Lateranensis capite primo satis videntur explicuisse mentem suam de Angelis, tanquam creatura mere spirituali, licet absque intentione definiendi; inde est quod temere facturus sit, qui post illud decretum ausus fuerit aliter docere*. Idem etiam docet ac probat Sylvius 1. p. q. 51. art. 1. tum ex sæpius citato Decreto Lateranensi; tum etiam ex unanimi Theologorum consensu. *Negari non potest*, inquit, *quin post istam Concilii sententiam & post Scholasticorum unanimem consensum, valde nunc foret temerarium asserere, quod Angeli sint corporei, vel quod habeant corpora sibi naturaliter unita.*

AR

ARTICULUS II.

Utrum Angeli incorruptibiles sint & immortales.

OBservandum 1. aliquid triplici modo dici posse immortale, incorruptibile, indefectibile.

I. quidem *absolute*, quod scilicet talis est naturæ, ut per nullam potentiam destrui possit, & in nihilum abire; quodque adeo caret principio tum intrinseco tum extrinseco sui ipsius destructivo. Hac ratione solus Deus dici potest immortalis.

II. *hypotetice*, quod nempe ex principiis suis intrinsecis, ubi semel accepit esse, exigit in perpetuum perseverare ac nusquam deficere; licet tamen per absolutam Dei potentiam destrui possit & annihilari. Ita anima rationalis immortalis est & incorruptibilis.

III. denique illud dicitur immortale, quod semper extiturum est, & nusquam interiturum; non quidem ex principiis suis intrinsecis, sed ex sola gratia, favore ac liberalitate Dei.

Observandum 2. constare apud Theologos fide divina tenendum esse, omnes Angelos tam bonos quam malos semper futuros esse, nec unquam interituros, & proinde immortales seu incorruptibiles esse, hoc sensu, quod nunquam esse desinent. Id ipsum docent omnes ad unum Theologi contra Hæreticos nomine *Libertinos*, qui negant Angelos & animas rationales esse immortales, ita quod sicut initium sic & exitum sint habituri: quippe solius Dei proprium esse immor-

mortalitatem volunt, cujus res creatæ participes esse nequeunt.

Observandum 3. hoc semel suppositio tanquam certo apud omnes Theologos, scilicet Angelos omnes in perpetuum, extituros esse, nec unquam interituros; & proinde immortales seu incorruptibiles esse, alteram enasci quæstionem, utrum nempe Angeli quod sint immortales, habeant ex natura, an aliunde.

Circa quod duæ sunt potissimum Theologorum opiniones.

Prima affirmat Angelos ex sese & natura sua non esse immortales & incorruptibiles, sed ex solo Dei beneficio; quia cum ex nihilo educti fuerint, etiam in nihilum abire ex se postulant. Ita Gabriel dist. 2. quæst. 1. art. 2. concluſ. 6. Ochamus in 2. quæst. 7. & ex recentioribus Vasques hic disput. 182. cap. præsertim 2.

Secunda asserit illos ex natura sua ac principiis intrinsecis incorruptionem & immortalitatem exigere, ita ut per solam Dei potentiam extraordinariam destrui possint & annihilari. Atque hæc sententia communis est apud Theologos, eamque expresse docent S. Thomas 1. par. quæst. 10. art. 5. & quæst. 50. art. 5. Cajetanus, Medina, Scotus, quibus subscribunt Molina in hunc articulum 5. Valentia, Suares, Lessius & alii. His præsuppositis sit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli sunt in perpetuum extituri, nullique interitui subjacebunt unquam, Concluſio est de fide.

Pro-

Probatur 1. ex iis omnibus Scripturæ sacræ textibus, quibus constat Angelos bonos æternum perseveraturos in gloria: malos vero in pœna.

Ac de bonis quidem id habetur Lucæ 20. ubi nobis promittitur æqualitas cum Angelis, cum vitam possidebimus æternam: *Illi vero qui digni habebuntur sæculo illo & resurrectione ex mortuis, neque nubent ∴ neque ultra mori poterunt: æquales enim Angelis sunt.* Cum ergo æterna futura sit justorum hominum beatitudo, idem judicandum est de sanctorum Angelorum præmio ac beatitudine.

De malis autem expressa est Scripturarum doctrina Matth. 25. *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Et Epist. sancti Judæ v. 6. dicitur Angelos qui non servaverunt suum principatum, esse vinculis æternis sub caligine reservatos. Angeli itaque seu boni seu mali nunquam desinent, æternumque vivent.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui constanter asserunt *Angelos esse substantias incorporeas, intellectuales & immortales.* Ita S. Athanasius Lib. de communi essentia divinitatis, S. Basilius in Psalmum 44. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 8. Thesauri c. 2. idemque sensus est aliorum omnium Patrum & omnium Fidelium, quem Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus expressit in Epistola quæ lecta est in sexta Synodo Actione 11. approbata vero a Patribus ejusdem Synodi Act 13. in ea enim tam Angelos quam animas hominum incorruptibiles & immortales esse docet.

Probatur 3. hac ratione: animas humanas immortales credere necesse est, juxta totius

Ecclesiæ sensum, & Concilii Lateranensis sub Innoc. X. definitionem: *Sacro approbante Concilio damnamus*, inquiunt Patres Lateranenses, *& reprobamus omnes asserentes animam intellectivam mortalem esse; cum illa non solum vere & per se, & essentialiter humani corporis forma existat, verum & immortalis*, Porro Angeli animas & humanum genus perfectione antecellunt 2. Petri 2. & Hebr. 2. ergo & ipsos immortales esse credendum est.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli sunt incorruptibiles & immortales ex suis principiis intrinsecis.

Probatur. Substantia omnino incorporea & pure spiritualis dici debet intrinsece & per naturam incorruptibilis ac immortalis: atqui substantia angelica omnino incorporea est & pure spiritualis; ergo &c. Minor constat ex dictis priori Articulo. Major vero probatur, quia ut hic ratiocinatur Doctor Angelicus, illud est incorruptibile ab intrinseco, quod intrinsece non constat materia quæ est unicum corruptionis principium: atqui substantia pure spiritualis & incorporea intrinsece non constat materia; ergo &c.

Et vero nihil corrumpitur nisi in quantum vel forma ejus separatur a materia, vel partes dissolvuntur, vel denique propter pugnam contrariæ qualitatis; porro substantia omnino spiritualis non est composita ex materia & forma, non habet partes quæ dissolvantur, nihilque habet sibi contrarium; ergo &c.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli non sunt immortales & incorruptibiles absolute, seu ratione potentiæ Dei extraordinariæ, qua nempe agit præter exigentiam causarum naturalium.

Ratio a priori est, quod sicuti Deus Angelos libere produxit, ut & alias res omnes creatas, ita productos conservat libere; quemadmodum ergo potuit non producere, ita potest non conservare: porro si non conservaret, in nihilum abirent; sicut si non produxisset, extra nihilum nunquam fuissent; ergo Angeli dici non possunt immortales, incorruptibiles, absolute & respectu extraordinariæ Dei potentiæ.

Hoc ipsum expresse docent Sophronius Epist. supra citata, S. Hilarius in Psal. 148. S. Augustinus Lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 2. S. Cyrillus Lib. 8. Thesauri cap. 2. S. Gregorius Lib. 12. Moralium cap. 18.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. In sacris Scripturis Deus solus dicitur immortalis 1. ad Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*; ergo immortalitas nec Angelis nec animalibus rationalibus competit.

Resp. dist. ant. solus Deus dicitur immortalis, immortalitate absoluta, essentiali & independenti, concedo: participata & dependenti, nego. Scilicet solus Deus ex se & per se ac independenter ab omni alio est absolute immortalis, utpote qui sit essentialiter vita: Angeli autem, sicut & animæ rationales, participative solum ac dependenter

sunt immortales, cum hoc a Deo acceperint.

Addi potest quod perfecta immortalitas sit omnimoda immutabilitas; omnis enim mutatio mors quædam est, ut ait S. Augustinus Lib. 3. contra Maximinum cap. 22. & S. Bernardus serm. 81. in Cantica. Sicut ergo solus Deus est prorsus immutabilis, ita solus est perfecte immortalis. Expositionem hanc refert S. Augustinus Lib. 1. de Trinitate cap. 1.

Objicies 2. contra secundam Conclusionem. Plurimi e SS. Patribus docent Angelos non natura, sed sola Dei gratia immortales esse.

S. Ambrosius Lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 2. *Neque*, inquit, *Angelus immortalis est naturaliter, cujus immortalitas in voluntate est Creatoris*. Et infra generaliter de omni creatura sic loquitur: *Ergo corruptelæ & mortis, etiamsi non moriatur aut peccet, capax tamen est omnis creatura*.

S. Damascenus Lib. 2. cap. 3. sic loquitur: *Immortalis est Angelus, non natura: nam quidquid initium habuit, & desinere suapte natura potest*. Eadem est sententia Patrum quos ad finem Conclusionis tertiæ mox laudavimus.

Denique in Epistola Sophronii supra memorata, & in sexta Synodo generali approbata sic legitur: *Intellectualia & invisibilia nullatenus quidem moriuntur, neque corrumpuntur: non tamen sunt immortalia per naturam, neque in essentiam incorruptibilem transeunt; sed gratiam eis largitus est Deus a corruptione & morte ea coercentem. Sic animæ hominum permanent incorruptæ, sic Angeli immortales perseverant, non naturam re-*

vera

vera incorruptam, proprieve immortalem habentes essentiam, sed gratiam a Deo sortiti, quæ immortalitatem largitur & incorruptionem eis providet. Hæc ille.

Ex his omnibus colligitur, in mente ac doctrina horumce SS. Patrum, Angelos & animas rationales non esse natura & ex principiis suis intrinsecis immortales, sed gratia, favore ac liberalitate Dei, duntaxat; cum diserte doceant 1. quidquid initium habuit *suapte natura deficere posse*; 2. Angelos & animas rationales non habere naturam *revera & proprie immortalem*; 3. intellectualia nullatenus quidem mori, neque tamen esse immortalia *per naturam*, sed *per gratiam a corruptione & morte ea coercentem.*

Resp. dist. ant. Plurimi e SS. Patribus docent Angelos non esse immortales *natura*, id est, ex vi suæ essentiæ & a se, ac independenter a cujusvis alterius influxu, concedo: non esse immortales *natura*, id est, ex suis principiis non exigere in perpetuum conservari ac nusquam deficere; nego.

Similiter dist. alteram ejusdem antecedentis partem. Plurimi e SS. Patribus docent Angelos non esse immortales natura sed sola Dei *gratia*; id est, Dei beneplacito ac libera voluntate, qua voluit Angelos creare & perpetuo conservare immortales, concedo: Dei *gratia*, id est, beneficio aliquo ordinis supernaturalis, nego.

Atque ut hæc solutio clarior fiat, & mens ac doctrina SS. Patrum circa præsentem quæstionem plenius dignoscatur.

Adverte 1. particulam, *ex natura*, dupliciter accipi posse:

I. ut idem significet quod, ex vi suæ essen-

tiæ & a se, independenter a cujusvis alterius influxu. Hoc sensu Patres laudati merito negant Angelos dici posse immortales *ex natura sua*: hoc enim esset asserere eos omnino esse independentes, quod est hæreticum.

II. Vocabulum *ex natura* sic accipi potest, ut significet naturalem inclinationem & exigentiam ad semper subsistendum & nusquam deficiendum. Hoc sensu SS. Patres citati non inficiantur Angelos esse *natura sua* indefectibiles & immortales: siquidem cum juxta ipsos sint incorporei ac consequenter nullum corruptionis & defectionis in se principium includant, naturaliter exigunt perpetuo subsistere, ita ut interitus & defectio ipsis esset omnino contra naturam; sicut igni violenta foret a nativo calore spoliatio, & causis secundis violenta pariter foret privatio concursus divini ipsis naturaliter debiti ad operandum.

Adverte 2. duobus etiam modis sumi posse *gratiæ* nomen:

I. pro beneficio aliquo ordinis supernaturalis; quo sensu Apostolus ad Ephes. 2. ait, *Convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.*

II. pro liberali Dei dono & influxu, quo omnes creaturæ, hoc ipso quo creaturæ sunt, indigent, tum ut sint, tum ut conserventur & agant. Hoc sensu beneficium creationis & conservationis, quia gratis a Deo conceditur, gratia vocatur a Patribus. Concilii Africani apud S. Augustinum Epistola 95. *Non improbanda ratione dicitur gratia Dei qua creati sumus ut nonnihil essemus ∴ quia non præcedentium aliquorum operum meritis, sed gratuita Dei bonitate donata est.*

His

His suppositis patet solutio tum ad ea SS. Patrum testimonia quæ mox objecta sunt, tum ad alia bene multa quæ refert Vasques loco supra citato. Scilicet, Angeli & animæ rationales ab iis SS Patribus dicuntur esse non *natura* sed *gratia* immortales & incorruptibiles, quia non sunt immortales ex vi suæ essentiæ & a se, ac independenter a cujusvis alterius influxu, sed egente generali Dei dono & influxu, perpetua nempe omnipotentis Dei manu conservatrice, sine qua in nihilum ex quo formati sunt, relaberentur: verum hac semel posita conservationis exigentia, non negant eos esse *natura* immortales; cum enim iidem SS. Patres doceant Angelos esse pure immateriales & omnino incorporeos, consequens est ut pariter agnoscant, illos secundum exigentiam causarum naturalium destrui non debere: siquidem quod pure immateriale est & incorporeum: omni prorsus corruptionis & destructionis principio caret.

Instabis: Quod *natura sua* in nihilum tendit ac inclinatur, non potest dici incorruptibile secundum inclinationem & exigentiam naturalem, atqui SS. Patres mox laudati asserunt Angelos esse *natura* corruptibiles & mortales, quia ex nihilo formati sunt, & ad nihilum *natura sua* propendent & inclinantur; ergo &c.

Resp. dist. maj. quod ad nihilum *natura sua* inclinatur, id est ex aliquo principio intrinseco corruptioni & defectui obnoxio, potestque vel a causis corruptivis destrui, vel definere per negationem ulterioris concursus Dei agentis secundum potentiam ordinariam, illud dici nequit immortale, incorruptibile secundum inclinationem & exigentiam natu-

ralem, concedo : quod ad nihilum *natura sua* tendit, hoc solum sensu, quod destrui possit per extraordinariam & absolutam Dei potentiam, utentis scilicet suo supremo in creaturas dominio, etiam contra earum naturalem ordinem & exigentiam, illud dici nequit immortale & incorruptibile secundum inclinationem & exigentiam naturalem, nego. Ad eundem sensum distincta minore, nego conseq.

Fateor itaque quod Angeli *natura sua* sint in potentia obedientiali ut a Deo possint destrui: at nego quod hæc destructio foret eis connaturalis ac conformis eorum principiis intrinsecis; adeoque revera semper dicendi sunt intrinsece & *natura sua* incorruptibiles.

Objicies 3. contra eandem Conclusionem. Illi non intrinsece & *ex natura sua* sunt immortales, incorruptibiles, qui in nihilum redigi possunt: atqui Angeli, sicut & cetera omnia creata, a Deo in nihilum redigi possunt. Ut enim ait sanctus Gregorius Lib. 16. Moralium cap. 18. *Omnia in nihilum tenderentur, nisi ea manus omnipotentis conservaret;* ergo Angeli non sunt intrinsece & *ex natura sua* immortales.

Resp. nego maj. ut enim observat Doctor Angelicus hic ad 3. *Non per hoc aliquid dicitur esse corruptibile, quod Deus possit illud in non esse redigere, subtrahendo suam conservationem; sed per hoc quod in seipso aliquod principium corruptionis habet, vel contrarietatem, vel saltem potentiam materiæ.* Porro Angeli, utpote pure immateriales & incorporei, his omnibus carent; ergo sunt intrinsece incorruptibiles, immortales.

Instabis : Quod est alicui connaturale & in-

intrinsecum, infert secum in eo repugnantiam ad oppositum: atqui Angeli non habent repugnantiam ad non existendum, cum possint per absolutam Dei potentiam destrui & annihilari; ergo &c.

Resp. dist. maj. quod est alicui naturale infert secum in eo repugnantiam ad oppositum, quod accidat rei per causas agentes juxta naturæ ordinem & exigentiam, concedo: quod accidat per absolutam & extraordinariam Dei potentiam, nego. Similiter distincta min. nego conseq. Itaque immortalitas quæ est Angelo connaturalis, infert in eo repugnantiam ut deficere possit, vel a se, vel per causas extrinsecas naturaliter illius corruptivas: non tamen dicit repugnantiam ut a Deo præter naturam agente destrui possit & annihilari.

Et vero sicut ignis, licet vim habeat calefactivam naturalem ac innatam, tamen potest non calefacere, si nempe Deus cum eo ad calorem producendum non concurrat: ita pariter licet Angelus vim innatam ad incorruptionem habeat, poterit deficere, si Deus influxum conservativum subtrahat, quem potest illi libere denegare, utendo sua absoluta potestate.

Urgebis: Angeli non habent repugnantiam ut a Deo annihilentur per extraordinariam saltem Dei potentiam: atqui hæc non repugnantia est vera potentia naturalis ac positiva ad *non esse*, ergo ex natura sua possunt deficere, adeoque non sunt naturaliter indeffectibiles.

Resp. nego min. hæc non repugnantiæ non est vera, naturalis ac positiva potentia ad *non esse*, neque enim ulla res suapte natura po-

sitive fertur & inclinatur in malum suum, quale est sui ipsius destructio, sed solum infert potentiam obedientialem, qua quælibet creatura subditur Deo, ad hoc ut in ea vel ex ea faciat quidquid contradictionem non implicat.

Unde sequitur quod Deus Angelum annihilando violentiam illi non inferret, quia licet tunc ageret contra inclinationem particularem quam habet Angelus ad semper durandum; non tamen ageret contra inclinationem universalem, quam ut pars universi habet ad obediendum Creatori. Porro ut advertit S. Thomas 1. 2. q. art. 5. quæ fiunt contra inclinationem particularem, dici non possint simpliciter violenta, si fiant juxta generalem rei inclinationem. *Sicut*, inquit S. Doctor, *Cum aliquis inflectit membra contra naturalem dispositionem, hoc est violentum secundum quid, scilicet quantum ad membrum particulare, non tamen simpliciter quantum ad ipsum hominem.*

ARTICULUS III.

Utrum omnes Angeli sint unius & ejusdem speciei.

CIrca præsentem quæstionem tres sunt præcipuæ Theologorum sententiæ.

Prima est sancti Thomæ in 2. dist. 3. q. 1. art. 4 & in dist. 1. q. 2 art. 1. & in Summa 1. part. q. 50. art. 4 & alibi; Cajetani de ente & essentia cap. 5. q. 9. & aliorum affirmantium omnes Angelos sive ejusdem, sive diversi sint ordinis, specie inter se differre; atque esse impossibile dari plures Angelos

gelos solo numero diversos. Impossibile, inquam, vel absolute & simpliciter, ut sentiunt Cajetanus, & alii per eum citati; vel de potentia ordinaria, quod videtur sentire sanctus Thomas Opusculo 16.

Secunda, priori opposita, vult omnes Angelos sive ejusdem, sive diversi sint ordinis, in eadem specie constitui, ac solo numero distingui. Ita sentire videtur S. Basilius Lib. 5. contra Eunomium, ubi sic loquitur: *Inter Angelos differentia est ordinis & dignitatis; & tamen ejusdem naturæ sunt omnes, sicut ejusdem appellationis.*

Tertia sententia & media inter præcedentes, affirmat alios quidem Angelos, qui ejusdem sunt ordinis, ejusdem etiam esse specificæ naturæ; alios vero, qui diversorum sunt ordinum, etiam natura seu specie differre.

Est præterea aliorum nonnullorum sententia. Volunt illi quæstionem hanc ab humana cognitione remotam esse, cum nec revelatione tradita sit, nec lumine naturali cognosci possit, adeoque plane nobis incertum esse, utrum Angeli ejusdem speciei sint, an diversæ. Sic sanctus Augustinus Lib. contra Priscillianistas ad Orosium cap. 10. & S. Damascenus Lib. 2. de fide orthodoxa cap. 3. His suppositis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Certa fide non constat, utrum omnes Angeli sint unius aut diversæ speciei.

Probatur: quia hac de re, nihil certi divinitus Ecclesiæ traditum est. Diserte istud testantur SS. Augustinus & Damascenus.

S. Augustinus Lib. contra Priscillianistas

ad Orosium cap. 10. *Esse itaque Sedes*, inquit, *Dominationes, Principatus, Potestates in cœlestibus apparatibus firmissime credo & differre inter se aliquid indubitata fide teneo. Sed ∴ quænam ista sint, & quid inter se differant, nescio; nec sane ignorantia periclitari me puto.* Idem asserit Enchir. cap. 58. Quibus in locis S. Augustinus fatetur quidem se *indubitata fide* tenere Angelos inter se aliquid differre: at ibidem ingenue profitetur se nescire *quid* & qua ratione *inter se differant*; id est, utrum unius aut diversæ sint speciei.

S. Damascenus Lib. 2. de fide othodoxa cap. 3. *Soli Deo*, inquit, *qui Angelos fecit, pro certo comperta est Angelorum inter se substantialis differentia; utrum scilicet secundum substantiam sint æquales, an differentes.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Certum est dari posse plures Angelorum species.

Probatur: quia nulla hic apparet contradictio. Et vero cum Deus sit infinitus in ratione substantiæ spiritualis completæ, profecto in tali ratione est infinita varietate participabilis & imitabilis, adeoque dari possunt plures species substantiæ spiritualis completæ: porro substantia spiritualis completa est Angelus; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Certum etiam videtur, possibile esse sub eadem specie dari plures Angelos solo numero differentes.

Pro-

Probatur : quia non est aliquid denegandum omnipotentiæ divinæ, nisi quod manifestam involvit contradictionem : ea autem in proposito nondum apparet.

Et certe præcipuum fundamentum quo nititur opposita sententia istud est, quia individuatio petitur a materia *signata*, ut ajunt, seu, quod idem est, affecta quantitate, at hoc falsum esse liquet multiplici momento:

I. De fide est dari unum tantummodo Deum secundum numerum, ita ut impossibile sit unitatem istam multiplicari : in Deo tamen nulla datur materia affecta quantitate.

II. Omnes animæ rationales, etiam separatæ ejusdem sunt speciei, solo differentes numero : quam quidem differentiam in eis efficit, non materiam, qua dum separatæ sunt, carent; sed proprietatum singularium quibus affectæ sunt, diversitas. Quod si ita res se habet in animabus, idem dicendum in Angelis.

III. Gratia sanctificans, lumen gloriæ, visio beatifica, aliaque accidentia supernaturalia, sunt ejusdem speciei in omnibus & hominibus & Angelis, in quibus proinde solo numero differunt, idque independenter a materia.

His demum accedit quod anno 1325. a sacra Facultate Parisiensi, agente Stephano Episcopo, proscripti sunt plures articuli quorum unus sic habet : *Deus non potest multiplicare individua sub una specie sine materia*; ergo licet Angeli sint pure immateriales, nihil obstat quominus intra eandem speciem multiplicari possint, ac proinde dari possunt plures Angeli solo numero differentes.

Ob-

Observa hic obiter, censura articuli mox laudati proscribi *Averois* doctrinam, qua docuit unum numero intellectum esse in omnibus hominibus. Quam doctrinam ut hæreticam S. Thomas multis in locis oppugnat, ac speciatim & ex professo Opusc. 16. cui titulus, *De unitate intellectus contra Averoistas*.

QUARTA CONCLUSIO.

Probabilius est, non omnes Angelos esse unius & ejusdem speciei.

Probatur 1. ex Scriptura, quæ sæpius indicat distinctionem & inæqualitatem inter ipsos Angelos, cum aliquos vocat Archangelos, aliquos Principes, aliquos Dominationes &c. ut constat ex cap. 1. & 2. ad Colossenses, & 1. ad Corinth. & aliis locis. Porro quamvis distinctio hæc dici possit accidentalis ac numerica, videlicet orta ex diversitate meritorum & officiorum, tamen probabilius existimatur essentialis ac specifica: ut enim docet sanctus Thomas, & communiter post ipsum Theologi, diversa dona gratuita fuere Angelis distributa secundum diversitatem naturalium.

Probatur 2. quia huic sententiæ plurimi SS. Patres favere videntur.

S. Dionysius de cœlesti hierarchia c. 5. *Enuntiant*, inquit, *sanctorum voluminum Traditiones, superiores substantias esse graduum inter se celsitudine differentes*. Jam vero differentia graduum ad minus significat diversitatem specificam; nam plura individua solo numero differentia, non differunt inter se diversis gradibus, *seu graduum celsitudine*.

S. Hieronymus Lib. 2. contra Jovinian. cap.

cap. 15. sic habet: *Inter inviſibiles creaturas* (loquitur de Angelis) *multiplex eſt & infinita diverſitas.*

Idem docet S. Auguſtinus in Enchir. cap. 29. S. Anſelmus Lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 21. & alii.

Probatur 3. Id maxime aſſerendum eſt Deum conſtituiſſe, quod magis cedit in ipſius divinæ potentiæ ac ſapientiæ commendationem, & univerſi pulchritudinem, quodque ex natura ſua non repugnat: atqui plures eſſe Angelos ſpecie diverſos nullatenus repugnat, ut conſtat ex dictis præcedenti Concluſione; aliunde vero ſpecifica Angelorum diverſitas maxime conducit in Dei commendationem & univerſi pulchritudinem: quemadmodum enim ſpecierum corporalium diverſitas mundum viſibilem & ſenſibilem mirifice exornat; ſic ſubſtantiarum ſpiritualium varietas mundum ſpiritualem & intellectualem illuſtrat; ergo &c.

QUINTA CONCLUSIO.

Probabilius etiam eſt, non omnes Angelos differre ſpecie, ſed plures eſſe ejuſdem ſpeciei, & ſolo numero differentes.

Primum pro hac ſententia argumentum petitur ex S. Auguſtino loco mox citato Enchir. cap. 29. ubi abſurdum reputat S. Doctor, totam aliquam ſpeciem rationalem ſeu intellectualem in æternum damnatam eſſe: quod tamen de tot angelicis ſpeciebus neceſſario concedendum eſſet, quot numero Angeli lapſi ſunt, ſi nulli darentur inter ipſos unius ejuſdemque ſpeciei.

Secundum ducitur ex eo quod non ſatis apparet

paret unde plures Angeli pertineant ad eundem ordinem, nisi quia sunt ejusdem speciei.

Et vero Angeli ejusdem ordinis iisdem specifice supernaturalibus donis instructi sunt, ac proinde ejusdem speciei naturam habent: cum, uti antea observavimus, supernaturalia dona, juxta communem Theologorum sententiam, Angelis concessa non fuerint, nisi secundum proportionem naturalium.

Tertium est, societatem naturæ specificæ plurimum conducere ad concordiam & amicitiam fovendam: hæc enim multo facilior, jucundior & arctior reperitur inter ejusdem speciei individua, quam diversæ: atqui datur inter Angelos perfecta arctissimaque concordia & amicitia; ergo, &c.

His adde, quod sicuti in ipsius divinæ potentiæ commendationem & universi pulchritudinem maxime cedit plures Angelos esse specie distinctos, ita etiam ad ejusdem potentiæ manifestationem & universi ornatum plurimum conducit, plures esse Angelos ejusdem speciei, & solo numero differentes.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra tertiam & quartam Conclusionem. In substantiis pure spiritualibus & incorporeis nulla potest esse numerica distinctio; siquidem, uti docet S. Thomas pluribus in locis, & etiam hic in corpore articuli, sola materia vel intrinsecus ordo ad illam est principium individuationis & multiplicationis individuorum: atqui Angeli sunt substantiæ pure spirituales & incorporeæ, non tantum quoad intrinsecam suam entitatem, cujusmodi sunt animæ nostræ rationales, sed etiam quoad ordinem & habitudinem,

nem, quatenus Angeli nullum dicunt ordinem ad aliquam substantiam corpoream, sicut animæ rationales, quæ intrinsece ordinantur ad informanda corpora, ergo in Angelis nulla potest esse numerica distinctio, ac proinde sub eadem specie non possunt dari plures Angeli solo numero differentes.

Antequam respondeam, observo, varie invicem dissentire auctores, a quo petenda sit differentia numerica, seu, quod idem est, principium individuationis: aliqui illud repetunt ex materia, sive affecta quantitate, & aliis accidentibus, sive tantum secundum se considerata: alii illud colligunt ab existentia rei; alii ex unitate numerica proprietatum singularium quibus res affecta est; alii aliter sentiunt. Docet Scotus eam differentiam esse aliquam entitatem positivam, sed indistinctam formaliter a natura quæ individuatur. Hoc prænotato,

Resp. ex dictis Conclusione tertia, patere majorem propositionem esse falsam. Enimvero Deus unus est numero, nec tamen in Deo datur materia. Præterea anima habet individuationem suam sine materia & ordine ad illam; cum animæ substantia prius concipi debeat numero distincta ab alia anima, quam concipiatur dicere ordinem ad corpus. Denique in omnibus & hominibus beatis & Angelis, gratia sanctificans, lumen gloriæ, & visio beatifica sunt ejusdem speciei independenter a materia.

Quod vero spectat ad auctoritatem sancti Thomæ. Respondet Estius in 2. Sentent. dist. 3. paragr. 2. deferendam esse hac in parte S. Doctoris sententiam. *Quamvis*, inquit, *opinio sancti Thomæ, esse videatur quod sit ab-*

absolute, etiam secundum divinam potentiam, impossibile plures esse Angelos in eadem specie, potius tamen iis subscribendum, qui hoc divinæ potentiæ non subtrahunt. Addit ibidem, *hanc esse omnium fere Doctorum sententiam.*

Respondet vero Sylvius 1. p. qu. 50. art. 4. cujus expositio magis videtur apposita ad mentem & doctrinam sancti Thomæ; quod cum S. Doctor, tum hic, tum aliis locis dicit esse impossibile ut plures substantiæ spirituales ejusdem speciei, pluraque individua producantur, quæ nullum ordinem sive habitudinem importent ad materiam vel ad corpus; id exponendum non esse de absoluta & omnimoda impossibilitate, sed potius intelligendum cum Banneſio, Cumel & aliis, de impossibilitate secundum potentiam ordinariam, & secundum eum rerum creatarum cursum vel ordinem qui nunc cognoscitur esse.

Hanc expositionem confirmat ibidem Sylvius ex eo quod S. Doctor contra Averroistas disputans Opusc. 16. expresse asserit individua quæ nec materiam habent, nec naturalem causam suæ multiplicationis, posse tamen *ex supernaturali causa*, id est, absoluta Dei potentia, multiplicari; ex quo aperte sequitur ipsam immaterialitatem non impedire multiplicationem individuorum in eadem specifica natura spirituali. En S. Doctoris verba: *Sic ergo intellectus si naturaliter esset unus omnium, quia non haberet naturalem causam multiplicationis, posset tamen sortiri multiplicationem ex supernaturali causa, nec esset implicantia contradictionis.*

Eadem sancti Doctoris expositio rursus confirmari potest ex eo quod in 1. Sentent. dist.

dist. 34. q. 1. art. 1. expressis verbis asserat naturam communem individuari & determinari ad hoc singulare per materiam, *vel per aliquid quod loco materiæ sese habet in creaturis*. Quo in loco addendo hanc postremam particulam disjunctivam, clare significat se nolle materiam communi modo loquendi Philosophorum acceptam, esse unicum individuationis principium in omnibus rebus creatis, sed tantum vel ipsam materiam, vel aliquid materiæ correspondens, cujusmodi est potentia in rebus spiritualibus, quæ ex actu & potentia componuntur.

Objicies 2. Illi differunt species, quorum differentia petitur a forma: siquidem omnis differentia formalis est specifica, rem enim constituit in sua specie, & eam distinguit a ceteris; unde homo ideo specie differt a brutis, quod aliam ab iis formam, animam nempe rationalem habeat: atqui Angelorum ab invicem differentia petitur a forma. Scilicet omnis differentia petitur vel a forma, a materia: atqui in Angelis non petitur a materia, cum sint substantiæ pure immateriales; ergo, &c.

Resp. concessa maj. nego min. & ad probationem, distinguo: omnis differentia essentialis petitur vel a forma, aut a materia, concedo: differentia accidentalis, nego. Porro differentia quæ inter Angelos (ejusdem saltem ordinis) reperitur non est essentialis, sed accidentalis tantum: unde non petitur a forma, sed a differentia individuali; id est, ab unitate numerica proprietatum specialium quibus singuli afficiuntur: ac proinde Angelus unius ordinis differt ab alio Angelo ejusdem ordinis, quod hanc non autem illam

in

in individuo naturam habeat, licet sint ejusdem specificæ naturæ.

Objicies 3. Omnis forma simplex ac separata a materia habet totam perfectionem suæ speciei; sicut albedo si esset ab omni subjecto separata, haberet totam perfectionem albedinis: atqui Angelus est forma simplex ac separata a materia; ergo habet totam perfectionem debitam suæ speciei; adeoque non possunt esse plures Angeli numero distincti in unica specie.

Resp. dist. maj. omnis forma simplex ac separata a materia habet totam perfectionem suæ speciei, intensivam, concedo: extensivam, nego. Et concessa minori, similiter dist. conseq.

Itaque duplex est speciei perfectio, una *intensiva*, altera *extensiva*: prior attenditur penes omnia essentialia & propria ipsius speciei attributa: posterior vero spectatur penes multitudinem subjectorum, in quibus hæc essentialia ac propria speciei attributa reperiri possunt.

Equidem forma simplex ac separata a materia habet omnem perfectionem *intensivam* suæ speciei, quatenus habet totam ejus essentiam, seu omnia ejus prædicata essentialia: at non habet omnem perfectionem ejus *extensivam*; cum eam non habeat illis omnibus singulis modis, quibus potest haberi a pluribus individuis, ad quæ potest ultimate contrahi per differentiam individualem ac numericam: & sic licet quilibet Angelus, etiam existens unicus in sua specie, totam habeat *intensivam* perfectionem essentialem suæ speciei, attamen non habet totam *extensivam*, nec proinde ei repugnat habere

bere plura individua ejusdem secum speciei.

Objicies 4. contra quartam Conclusionem. Plurimi SS. Patres affirmant Angelos esse ejusdem naturæ & speciei. S. Basilius Lib. 3. contra Eunomium: *Angeli omnes*, inquit, *ut & appellationis unius, sic & naturæ omnino sunt ejusdem invicem*. Et rursus ibidem addit, *Angeli priores sunt alii aliis, & tamen sunt ejusdem essentiæ*. Subscribit S. Cyrillus Lib. 2. in Joannem. *Angelus*, inquit, *ab altero Angelo nulla re differt secundum id quod sunt Angeli ∴ cum sint omnes ejusdem speciei*. His plane consentiunt SS. Greg. Nyssenus, Damascenus, Maximus martyr & alii.

Resp. 1. prædictis SS. Patribus merito opponi posse auctoritatem SS. Dionysii, Hieronymi, Isidori, & aliorum quorum testimonia superius Conclusione 4. relata sunt.

Resp. 2. SS. Patres mox laudatos nomine essentiæ, naturæ, vel speciei, intelligere gradum speciei, non quidem infimæ, sed subalternæ, nempe spiritualitatem & intellectualitatem, in quibus omnes Angeli univoce conveniunt: quo sensu omnes creaturæ corporeæ dici possunt ejusdem naturæ, habent quippe rationem materiæ & corporis communem.

Objicies 4. Omnes animæ rationales sunt ejusdem speciei; ergo etiam & omnes Angeli. Consequentia videtur certa: sicut enim animæ rationales in gradu rationalitatis, ita & omnes Angeli in gradu puræ spiritualitatis & intellectualitatis conveniunt: ac proinde sicut intra latitudinem rationalitatis nullæ sunt differentiæ specificæ,

sed

sed ipsa est ultima; ita neque intra latitudinem intellectualitatis.

Resp. nego conseq. & ad probationem nego paritatem. Ratio disparitatis hæc proferri potest, quod animæ rationales cum sint formæ naturæ suæ ordinatæ ad informandum corpus, ut cum eo constituant hominem qui mortalis est; idcirco, ne universum unius aut alterius hominis interitu privaretur tota aliqua specie vel pluribus, debuit tota hominum multitudo esse unius & ejusdem speciei. Non sic autem est de Angelis: cum enim unusquisque ex natura sua forma sit simplex, completa, incorruptibilis, nec ad sui conservationem indigeat multiplicatione aut aliqua propagatione individuorum in sua specie infima; hinc est quod nihil obstet quin Angeli potuerint esse diversæ speciei.

Alteram disparitatis rationem assignat Doctor Angelicus quæst. unica de spiritualibus creaturis art. 8. ad 10. his verbis: *Quod autem est una sola species animalis rationalis, multis existentibus speciebus rationalium, ex hoc provenit, quia animal rationale constituitur ex hoc, quod natura corporea attingit in sui supremo naturam substantiarum spiritualium in sui infimo. Supremus autem gradus alicujus naturæ, vel etiam infimus, est unus tantum.* Scilicet, uti explicant Salmanticenses disput. 1. de Angelis dubio 5. parag. 3. rationalitas, ut convenit homini, habet rationem extremi & termini: quia natura corporea in rationalitate attingit infimum ordinis substantiarum spiritualium, de ratione autem extremi est carere secundum se latitudine, adeoque non esse divisibile: at vero intellectualitas, ut convenit Angelis, non ha-

habet rationem extremi, cum sit medium inter Dei intellectualitatem superiorem, & hominum inferiorem; & sic potest optime habere secundum se latitudinem, ac proinde esse divisibilem in plures species. Hæc Salmanticenses.

QUÆSTIO TERTIA.

De Intellectu Angelorum.

ABsolutis iis quæ ad existentiam & naturam Angelorum spectant, ordo videtur postulare ut de intellectu, qui est prima ac præcipua substantiæ angelicæ facultas, disseramus.

Nemini autem dubium esse potest Angelos præditos esse intelligendi virtute, sunt enim substantiæ natura sua prorsus immateriales & incorporeæ, liberi arbitrii compotes, perfectæ beatitudinis capaces, denique imaginem & similitudinem præstantissime referentes, quæ omnia totidem sunt veluti demonstrationes & argumenta quibus in eis virtutem intellectivam esse suadetur ac evincitur.

Itaque præsuppositio, tanquam certo ac constanti quod Angeli vi intellectiva & actuali cognitione præditi sunt, quinque hic potissimum superfunt pertractanda.

Primum, de natura intellectus angelici.

Secundum, de illius objecto.

Tertium, de medio cognitionis angelicæ.

Quartum, de dotibus seu proprietatibus quibus angelica cognitio ab humana differt.

Quintum denique de Angelorum locutione.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De natura Intellectus Angelici.

CONveniunt omnes Theologi, Angelos esse vi intellectiva præditos; dissentiunt vero in his tribus: 1. an & qua ratione distincta sit vis illa intellectiva a substantia Angeli; 2. an & qua ratione intellectio distinguatur, tum ab intellectu, tum a substantia Angeli; 3. an intellectus *agens & patiens*, ut ajunt, in Angelis sit admittendus.

Tria hæc paucis hic seorsim attingemus.

An & qua ratione vis intellectiva Angeli distincta sit ab ipsius substantia.

Circa hanc quæstionem variæ sunt Theologorum sententiæ. Alii existimant vim intellectivam distingui realiter ab ipsa spirituali substantia: ita Thomistæ. Alii volunt distingui formaliter duntaxat ex natura rei: ita Scotistæ. Alii denique solam admittunt inter hæc duo distinctionem virtualem, cum quibus sit

CONCLUSIO.

Intellectus angelicus non realiter, sed virtualiter duntaxat a substantia ipsius Angeli distinguitur. Hæc Conclusio duas habet partes.

Probatur 1. pars: 1. auctoritate SS. Patrum. S. Augustinus L. 1. de Trinit. c. 11. sic loquitur; *Hæc tria igitur, memoria, intelligentia & voluntas, quoniam non sunt tres vitæ, sed una vita, nec tres mentes sed una mens, consequenter utique nec tres substantiæ sed una*

una substantia; ergo illæ facultates non sunt accidentia seu qualitates realiter ab anima diversæ, ut volunt Thomistæ.

S. Bernardus serm. 11. in Cantica, *Quoniam*, inquit, *in anima intueor, memoriam, intelligentiam & voluntatem; & hæc tria ipsa anima sunt*. Sed quod est distinctum re ab anima, non est ipsa anima; ergo, &c.

Accedit & Hugo Victorinus Lib. de spiritu & anima, ubi ait: *Anima secundum sua opera variis nominibus nuncupatur; dicitur namque anima dum vegetat, sensus dum sentit, animus dum sapit, mens dum intelligit ∴ ista vero non differunt in substantia, quemadmodum & in nominibus, quoniam omnia una essentia, proprietates quidem diversæ*. Nihil certe disertius ad excludendam distinctionem realem.

His constat intellectum humanum, aliasque animæ facultates ab essentia animæ realiter non esse distinctas: porro eadem est prorsus ratio de intellectu angelico: ut patet; nulla enim potest assignari causa cur intellectus humanus ab animæ substantia re non distingueretur, bene vero intellectus angelicus ab ipsa Angeli substantia; ergo intellectus angelicus realiter non differt ab ipsa Angeli substantia.

2. idem probatur iis omnibus rationum momentis quibus, ubi de anima, demonstratur facultates animæ non esse realiter ab ipsa distinctas. Unam aut alteram ex his rationibus hic retulisse sufficiat.

Prima sic est, Si angelicus intellectus sit facultas ab ipsius substantia realiter distincta, quæ illius erit causa, nisi hæc ipsa Angeli substantia? Porro si angelica substantia possit

producere facultates a se realiter distinctas; multo facilius actiones ipsas exeret.

Secunda: Tam potest spiritualis substantia suas exercere operationes per semetipsam, quam suas movere facultates a se distinctas per semetipsam, atqui qui asserunt facultates substantiæ spiritualis distinctas esse realiter ab illa, ii pariter dicunt hanc spiritualem substantiam applicare suas facultates, eisque uti per semetipsam immediate; ergo pari ratione affirmari potest, animam aut Angeli substantiam suas exercere operationes per semetipsam immediate.

Tertia: Distinctio virtualis, utpote æquivalens reali, sufficit intellectum angelicum inter & ipsam Angeli substantiam; ergo major distinctio non est absque necessitate admittenda, cum ad perfectionem non pertineat.

Addo, adversarios mirifice torqueri in explicandis illis facultatibus ab anima aut Angeli substantia re distinctis. Etenim quæri potest ab illis, quales sint hujusmodi facultates, sintne substantiæ, vel accidentia? sintne separabiles ab ipsa anima & Angeli substantia? &c. Certe dici non possunt substantiæ, ut per se compertum est, ac fatentur adversarii: non etiam dici possunt accidentia, tum quia facultates illæ sunt proprietates essentiales; siquidem conceptus adæquatus substantiæ spiritualis eas necessario importat ac includit: tum quia non potest accidens intelligere, aut percipere, aut velle, si quidem accidentis tanta vis esse nequit, ut actionem immanentem, quæ principio suo inest, exerat: ea quippe est substantiæ notio, ut in se existat & operetur: neque id ulli accidenti competit.

Pro-

Probatur secunda pars: 1. iisdem SS. Patrum testimoniis quæ ad astruendam primam Conclusionis partem adduximus.

2. Illa distinguuntur virtualiter, quæ licet sint unica entitas, æquivalent tamen pluribus realiter distinctis: atqui substantia & vis intellectiva Angeli sunt ejusmodi; tum quia habent diversas definitiones, diversosque conceptus objectivos; tum quia ad diversos proprios actus per se ordinantur, cum essentia seu substantia ordinetur ad existentiam, potentia vero ad operationem: existentia autem & operatio sunt actus diversi; ergo, &c.

Dices: Diversi actus diversas requirunt potentias: sed substantiæ actus est existentia, actus vero facultatis intellectivæ est intellectio: hi porro actus, existentia nempe & intellectio, inter se differunt; ergo & facultas intellectiva est quid a substantia vel essentia rei intelligentis distinctum.

Resp. dist. maj. diversi actus diversas requirunt potentias, si actus illi non sint subordinati, concedo: si sint subordinati, nego. At vero intellectio supponit existentiam, ut actio voluntatis ab actione intellectus pendet; ergo nihil necesse est inter substantiam spiritualem & ejus vires distinctionem realem comminisci, cum distinctio virtualis omnino sufficiat.

Et vero alias intellectus ipse ut & voluntas iterum secandi essent in alias vires; ita ut alia sit vis percipiendi, alia judicandi, aut ratiocinandi.

Quod si lux corporea cum eadem sit & simplex tot effectus diversos producit, multo magis substantia angelica, quæ spiritualis

est & pure incorporea : in plura ac distincta officia vim suam impendet.

An & quatenus Intellectio distinguatur tum ab Intellectu, tum a substantia Angeli.

Observa 1. cum Suarez, Tom. 2. L. 2. de Angelis c. 1. variis modis concipi posse, intellectionem identificari cum substantia aliqua spirituali : 1. formaliter & essentialiter adequate, scilicet ut tota rei essentia ; 2. formaliter & essentialiter inadæquate, sicuti differentia essentialis rei constitutiva ; 3. identice tantum, non tamen essentialiter & formaliter, sicut motus est idem realiter cum mobili, licet de essentia ejus non sit.

Similiter variis modis concipi potest, intellectionem distingui a substantia intelligente : 1. virtualiter, quo sensu proprietas metaphysica ab essentia fluens, ab ipsa distinguitur ; 2. modaliter, scilicet, tanquam modus extra rei essentiam existens, licet non sit res, vel qualitas omnino distincta ; 3. realiter, tanquam entitas ex æquo & adæquate distincta.

Observa 2. circa præsentem controversiam, multiplicem esse sententiam.

Prima existimat intellectionem formaliter, essentialiter & adæquate identificari cum Angeli substantia, seu esse totam ejus essentiam. Quo sensu quidam dicunt mentem humanam esse formaliter ipsam cogitationem.

Secunda docet intellectionem identificari cum substantia Angeli, non quidem formaliter, essentialiter & adæquate, sed inadæquate duntaxat, ita ut non sit tota Angeli essentia, sed differentia essentialis ipsius constitutiva.

Ter-

Tertia vult intellectionem identice tantum, non vero essentialiter & formaliter identificari cum angelica substantia, ea fere ratione, qua modus est quid idem realiter cum re modificata, licet de ejus essentia non sit.

Quarta eorum est, qui censent intellectionem distingui quidem realiter distinctione reali majori a substantia Angeli: at vero intellectionem inter & vim intellectivam nonnisi modalem intercedere distinctionem.

Quinta denique eorum est, qui volunt intellectionem tum a substantia Angeli, tum ab ejus virtute intellectiva distingui realiter, tanquam entitas ex æquo & adæquate distincta.

Addi potest & specialis sententia quæ distinguit inter naturales & supernaturales Angeli cognitiones, priores modaliter duntaxat, tum a substantia, tum ab intellectu Angeli distingui contendit; posteriores vero realiter distinctione reali majori.

Quid in hac intricata quæstione sentiamus, sequentes aperient Conclusiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Intellectio nec est tota angelicæ substantiæ essentia, nec differentia essentialis ipsius constitutiva.

Probatur 1. Si intellectio actualis esset tota angelicæ substantiæ essentia, aut differentia essentialis ipsius constitutiva, Angelus tam immutabilis esset in intelligendo, quantum est in essendo, seu in esentia, quia non posset mutari in intellectione, quin mutaretur in esentia: atqui constat Angelum mutari in sua intellectione, non mutata esentia,

vel substantia sua; ergo, &c. Major constat, minor vero probatur: tum quia multa cognoscit Angelus in habitu, quæ non semper actu considerat, quia non potest simul ad omnia attendere, vel quia non vult; tum etiam quia futura contingentia non cognoscit, priusquam fiant, & postea illa potest intueri.

Probatur 2. Omnis modificatio & omnis actus ex principio activo fluens supponit suum subjectum & suum principium essentialiter constitutum, adeoque non est tota ipsius essentia, aut differentia essentialis ac constitutiva: atqui omnis Angeli intellectio est aut modificatio passiva recepta in substantia angelica, aut actus procedens ab ipsa tanquam a principio activo; ergo &c.

Probatur 3. Quod est intrinsece supernaturale, non potest esse tota essentia, aut differentia essentialis substantiæ angelicæ, alias Angelus esset essentialiter substantia supernaturalis: atqui prima ac nobilissima Angelorum intellectio, scilicet visio beatifica, est intrinsece supernaturalis; ergo &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Intellectio Angelica differt a vi intellectiva Angeli, non realiter, tanquam res a re ex æquo & adæquate distincta; sed modaliter, tanquam modus a re modificata.

Probatur 1. ex sancto Augustino qui huic suffragatur sententiæ, lib. 9. de Trinitate, cap. 1. 3. 4. & sequentibus: siquidem ibi generatim docet 1. quod mens per se ipsam novit; 2. quod amor & cognitio tanquam in subjecto insunt menti; 3. addit, quod *mens & notitia ejus unum sunt, ac una sub-*

substantia. Ergo intellectio non differt a vi intellectiva, tanquam res a re, sed tanquam modus a re modificata. Idem sæpius ibi repetit sanctus Doctor, ac præsertim lib. 10. 11. 15. &c.

Probatur 2. Vix concipi potest quid sit entitas intellectionis angelicæ ab ejus intellectu ex æquo distincta; foretne separabilis a virtute intellectiva, necne? Si sit distincta tanquam res a re, non est cur ab ipsa separari non possit: at ex altera parte, intellectionem posse extra substantiam intellectus separatim existere, quam sit absurdum nemo non videt.

Probatur 3. Posita sola distinctione modali per varios respectus substantiæ angelicæ ad objecta optime explicantur natura, proprietates, aliaque intellectionis angelicæ officia: quemadmodum per variam partium dispositionem recte exponuntur diversæ modificationes materiæ: ergo superfluum est recurrere ad entitates vi intellectivæ superadditas.

TERTIA CONCLUSIO.

Non alia etiam admittenda est distinctio quam modalis, intellectionem inter & Angeli substantiam.

Probatur: quia istud manifeste sequitur ex dictis. Scilicet, vis intellectiva Angeli identificatur cum ipsius substantia, uti probatum fuit Articulo præcedenti: atqui ex mox dictis Conclusione secunda, intellectio nonnisi modaliter distinguitur ab intellectu Angeli; ergo nec magis distinguitur ab ipsius substantia.

Dices: Visio beatifica, quæ præcipua est inter intellectiones Angelicas, est profecto intrinsece supernaturalis, imo actionum supernaturalium merces ac finis ultimus: atqui nulla ratione concipi potest actum intrinsece supernaturalem realiter identificari cum intellectu & substantia Angeli, alias Angelus in sua substantia esset intrinsece supernaturalis; ergo, &c.

Resp. dist. min. Nulla ratione concipi potest actum intrinsece supernaturalem identificari cum vi intellectiva & substantia Angeli, in se præcise spectatis, concedo: ad ordinem supernaturalem beneficio auxilii supernaturalis, nego. Duplici modo spectari potest intellectus angelicus (idem dic de angelica substantia) 1. in se præcise; 2. prout auxilio supernaturali adjutus: utroque autem modo sumptus suas producit modificationes: sicut ergo intellectus in se spectatus producit suas modificationes ordinis naturalis, & eas producendo sibi identificat; ita etiam intellectus auxilio supernaturali adjutus producit suas modificationes ordinis supernaturalis, & eas producendo sibi identificat. Itaque, sicut intellectio naturalis est modificatio intellectus in se præcise spectati; ita intellectio supernaturalis est modificatio ejusdem intellectus beneficio gratiæ aut luminis gloriæ ad ordinem supernaturalem evecti.

An Intellectus agens *&* patiens *in Angelis sit admittendus.*

Observa duobus modis *intellectum agentem* dici posse: 1. late, prout est facultas quomodocumque activa, sive productiva actuum, aut

aut ſpecierum vel habituum intellectualium; 2. ſtricte, prout eſt facultas ſolum productiva ſpecierum intelligibilium in intellectu poſſibili carente illis, ſive abſtrahendo ſpecies illas a phantaſmate, ſive agendo aliter.

Similiter *intellectus poſſibilis* vel *patiens* dupliciter accipitur: 1. late, pro facultate quomodocumque paſſiva & receptiva, quæ ſcilicet eſt in potentia ad recipiendum actus proprios, & ſpecies, & habitus intellectuales; 2. ſtricte, pro facultate quæ ſit prius nuda potentia in genere intelligibilium, & veluti tabula raſa, quæ poſtea per ſuſceptionem ſpecierum vel verbi mentis, exhibet quodcumque intelligibile. Hoc præſuppoſito ſit

CONCLUSIO.

Admittendus non eſt in Angelo intellectus *agens* & *patiens* proprie & ſtricte dictus. Ita S. Thomas hic, Cajetanus, Suares, Vaſques, &c. contra Scotum in 2. diſt. 2. quæſt. ult. & quoſdam antiquiores Scholaſticos.

Probatur: Intellectus *agens* proprie & ſtricte dictus, eſt facultas immediate productiva ſpecierum intelligibilium: intellectus vero *patiens* ſeu *poſſibilis* proprie eſt facultas quæ nullas habet in ſe ſpecies intelligibiles, & eſt nuda potentia in genere intelligibilium: atqui neutra ex illis facultatibus locum habet in Angelis; ſiquidem Angeli rerum quas intelligunt ſpecies habent concreatas ſibi, & coævas, ut docet S. Thomas qu. 55. art. 2. & uti oſtendemus art. 3. hujuſce Quæſtionis; ergo, &c.

Dixi, *proprie & stricte*: Si quis enim intellectum *agentem* vocare velit eum qui agit seu producit intellectionem; & intellectum *possibilem*, eum qui est in potentia ad recipiendam intellectionem; sic nemo Theologorum negat unum eumdemque intellectum Angeli sub diversa ratione spectatum, posse dici intellectum *agentem*, & intellectum *possibilem*: verum, quemadmodum supra notavimus, strictæ ac propriæ non sunt hæ acceptiones intellectus *agentis* & *possibilis*.

ARTICULUS II.

De objecto Intellectus Angelici.

OBjectum intellectus angelici est id omne circa quod versari potest angelica cognitio: id autem quod ab ea attingi potest ad ista capita revocatur.

I. ad substantias spirituales & incorpóreas, Deum nempe, naturam angelicam, & animam rationalem.

II. ad ea quæ ex corpore constant, cujusmodi sunt corpora omnia.

III. ad futura, sive necessaria, sive libera.

IV. ad secretas & occultas hominum, vel etiam aliorum Angelorum cogitationes, sive sint præteritæ, sive præsentes, sive futuræ.

V. denique ad fidei nostræ mysteria. Quid super his quinque propositis articulis sentiamus, sequentibus Conclusionibus aperiemus.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli possunt aliquam cognitionem de Deo habere per sua naturalia: se ipsos quoque, necnon alios Angelos ac substantias per se subsistentes cognoscere possunt. Ita S. Thom. hic art. 1. 2. & 3.

Probatur prima pars: quia vis intellectiva Angelorum multo perfectior est ac subtilior vi intellectiva hominum: at homines posse aliquam Dei notitiam habere per sua naturalia, ex c. 1. Epist. ad Rom. liquet. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis manifestavit: invisibilia enim ipsius, a creatura mundi, per ea quæ facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

Et vero Deus, ut aliquo modo cognoscibilis, continetur intra latitudinem naturalis objecti intellectus angelici; ergo nihil obstat quominus Angelus per sua naturalia aliquam de Deo notitiam habeat.

Hæc autem cognitio imperfecta est & abstractiva, ex creaturis deducta; non autem perfecta & intuitiva: quia neque essentia Dei videri potest ab intellectu creato, solis naturæ viribus relicto, secundum ea quæ dicta sunt ubi de visione Dei: neque ulla Dei species dari potest, præsertim naturaliter, per quam perfecte cognoscatur.

Probatur secunda pars: Ad cognitionem objecti tria hæc requiruntur & sufficiunt: 1. facultas intellectiva; 2. objectum intelligibile; 3. unio objecti cum facultate: atqui Angelus, ut pote immaterialis, maxime intellectivus est & intelligibilis; aliunde vero essentia Angeli semper est ejus intellectui

præsens; ergo Angelus seipsum cognoscit.

Nec obstat quod anima, licet proportionem habeat cum vi hominis intellectiva, ipsique sit intime præsens, tamen semetipsam saltem perfecte non cognoscat: id enim ex eo contingit, quia anima, quandiu est forma corporis ac ipsi remanet unita, ab ipso impeditur ne spiritualia perfecte contempletur.

Probatur tertia pars: 1. Scriptura nobis exhibet Angelos sibi invicem quasi colloquentes: Isaiæ 6. Seraphim *clamabant alter ad alterum*. Zachar. 2. unus Angelus ad alium dicebat: *Curre, loquere ad puerum istum.* Apoc. 7. unus Angelus *loquebatur quatuor Angelis*: *Nolite nocere terræ & mari.* Porro colloquium Angelorum mutuam illorum cognitionem arguit.

2. Angeli constituunt unam Rempublicam & societatem, ad eamque pertinent ut concives: societas autem illa non potest consistere absque mutua notitia.

3. Omnis potentia potest attingere objectum sibi proportionatum: sed omnis Angelus est objectum proportionatum respectu intellectus alterius, cum sit immaterialis, & naturalem universi perfectionem spectet, ideoque sit res ejusdem ordinis in ratione intelligibilium; ergo quilibet Angelus quemlibet Angelum naturaliter cognoscere potest.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli cognoscunt res materiales, tam universales, quam singulares. Ita S. Thomas hic, art. 1. & 2. &c. & alii communiter.

Probatur prima pars quam hic indicat sanctus Doctor. Quidquid potest inferior virtus, po-

potest & superior : atqui intellectus hominis, qui naturaliter est inferior intellectu angelico tum in essendo, tum in cognoscendo, attingit res materiales ut universales, id est, secundum communes earum rationes spectatas, & prout abstrahunt a singularibus; ergo, &c.

Probatur secunda pars: 1. Angelus est supra hominem ; cum igitur homines cognoscant singularia, inconveniens est dicere quod Angeli ea non cognoscant.

2. Cum Angeli sint partes quædam universi, naturale desiderium habent cognoscendi ea quæ apud nos geruntur : ipsi autem sunt naturaliter perfecti ; ergo ista cognitio eis non deest.

3. Quemadmodum ratiocinatur sanctus Thomas hic, Angeli ea norunt quorum administratio ipsis est commissa: atqui singularium administratio Angelis est commissa, juxta illud ad Hebræos 1. *Omnes sunt administratorii spiritus*; ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli certo cognoscunt futura necessaria, qualia sunt ortus solis, eclypsis, &c. Hæc Conclusio certa est apud omnes.

Probatur. Scilicet Angeli propter naturæ perfectionem agnoscunt omnes causas naturales, ut docet S. Thomas qu. 3. de veritate, art. 12. atqui effectus qui ex causa sua necessario provenit, certo cognosci potest ab eo qui causam cognoscit; ergo, &c.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Futura contingentia quæ a solis naturalibus causis nullo interveniente concursu liberi arbitrii proveniunt, possunt ab Angelis certo cognosci. Ita Alensis 2. part. quæst. 26. membro 4. Suares Lib. 2. de Angelis c. 9. Vasques, Wigers, Meratius, &c.

Hæc Conclusio videtur etiam extra controversiam, nisi aliqua æquivocatio vel quæstio de nomine intercedat, quæ ut tollatur,

Observa, futura esse in triplici differentia: alia sunt *necessaria*, quæ scilicet sunt immediate a causa naturali necessaria, quæ naturaliter impediri non potest, ut sunt ortus solis, lunæ, futura eclypsis, &c.

Alia sunt *contingentia, non libera*, ea scilicet quæ sunt a causis quidem naturalibus & necessariis, sed quæ tamen possunt impediri per accidens, per concursum alicujus alterius causæ naturalis. Exempli causa, terra recte aptata producit, & quidem necessario, si nihil obstet, fructus suos: ab iis tamen producendis per nimium ardorem, repentinam tempestatem, aut aliam similem causam naturalem impediri potest. Sic etiam dici potest contingens, mors secuta ex morbo qui per se causa mortis sufficiens esse non poterat, sed subitanea aliqua & mere naturali causa, ut aeris mutatione adjutus mortem attulit.

Alia denique sunt futura *contingentia & libera*, ea scilicet quæ proveniunt ex libertate alicujus causæ, quæ effectum promovere, vel impedire pro arbitrio suo potest. Hoc prænotato,

Pro-

Probatur Conclusio hac unica ratione. Futura simpliciter necessaria certo cognoscuntur ab Angelis, ut constat ex dictis superiori Conclusione: atqui futura quæ a solis naturalibus causis nullo interveniente concursu liberi arbitrii procedunt, sunt simpliciter necessaria: licet enim hæc futura, ut comparantur ad suas causas proximas, sint contingentia & indeterminata, attamen ut comparantur ad totam seriem causarum, non sunt proprie contingentia vel indeterminata, sed prorsus necessaria ac determinata, saltem in suis causis, quas cum Angelus penetret, novit etiam certo ejusmodi futura; ergo, &c.

Hæc autem futura certo cognoscit Angelus, non quidem scientia absoluta & independenti ab omni prorsus conditione; Deus enim ex speciali dispositione, eaque superioris ordinis, v.g. propter orationes Sanctorum, vel ad punienda quædam peccata, vel ad alios occultos fines, naturales causas ejusmodi futurorum immutare ac interturbare potest, sicque absolute futura non erunt: sed ea certo novit Angelus, scientia duntaxat conditionata, id est, sub ista conditione, quod causæ naturales sibi permittentur, nec earum concursus impedietur interventu alicujus causæ liberæ.

Atque ex his facile solvitur quod hic ex SS. Augustino & Thoma solet objici. Cum enim videntur negare Angelos certo cognoscere futura contingentia, de cognitione absoluta, non conditionata intelligendi sunt: subintellecta enim & applicata mox adducta conditione, quod causæ naturales sibi permittentur, nec earum concursus interventu alicujus causæ liberæ impedietur, jam futu-

ra

ra hujusmodi spectantur & reipsa sunt necessaria. Porro necessaria certo ab Angelis cognosci, aperte docent multis in locis SS. Augustinus & Thomas, idque etiam omnes confitentur.

QUINTA CONCLUSIO.

Angelus non cognoscit certo futura contingentia. Conclusio est de fide.

Probatur 1. ex Scripturis Isaiæ 41. *Annuntiate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus quia Dii estis vos.* Danielis 2. *Est Deus in cœlo revelans mysteria, qui indicavit tibi Rex Nabuchodonosor, quæ ventura sunt in novissimis temporibus*; ergo, &c.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui id constanter docent: Sanctus Hilarius lib. 9. *Quid est tam proprium Deo, quam futurorum cognitio?* S. Cyrillus lib 4. in Joan. *Nulli alii,* inquit, *quam uni ac soli naturali Deo futura nosse convenit.* S. Aug. lib. 5. de civit. Dei cap. 9. *Qui non est præscius omnium futurorum, non est ubique Deus*, & ante hos omnes Tertullianus Apologetici cap. 20. sic loquitur: *Idoneum opinor testimonium divinitatis, veritas divinationis.* Eadem est sententia SS. Chysostomi, Hieronymi, Damasceni & aliorum.

Probatur 3 ratione. Si Angeli futura contingentia libera certo cognoscerent, ea viderent aut in se ipsis, aut in futurorum causis: porro nullum ex his dici potest.

Non primum: nam ut Angelus videret futura in se ipsis, necesse foret ut esset futuris præsens: porro Angelus non est futuris præsens. id enim soli Deo eximium est, qui ut

est

est æternus, æternitate sua omnia tam futura quam præterita habet præsentia.

Non secundum: quia Angelus non potest in causa indifferente & indeterminata certo cognoscere effectum determinatum: atqui causæ futurorum contingentium liberorum sunt indifferentes & indeterminatæ; ergo, &c. Scilicet liberum arbitrium quod est futurorum liberorum causa, ex se indifferens est ad unam & alteram partem, ac proinde ex illo non magis intelligitur eventus futurus, quam non futurus.

SEXTA CONCLUSIO.

Angeli cognoscunt naturaliter cogitationes & affectiones aliorum, tam Angelorum, quam hominum, naturales & necessarias: liberas vero propriis naturæ viribus, nec certo cognoscunt, nec possunt cognoscere.

Antequam probetur Conclusio, observa non unam esse Theologorum sententiam circa hanc quæstionem, an scilicet Angeli cognoscant secretas cordium cogitationes. Varias illas sententias referunt Suares lib. 2. de Angelis cap. 22. & Sylvius in secundum dist. 7. §. 12. non abs re erit eas hic paucis recensere.

Prima eorum est qui asserunt affectiones & cogitationes quascumque, etiam liberas esse naturaliter cognoscibiles Angelis bonis & malis: ceterum eas actu ab illis non cognosci eo quod Deus nolit concurrere auxilio generali cum intellectu Angeli ut cogitationes hujusmodi cognoscat: sed eum sibi soli hoc reservasse, idque ad excludendam ordinis

dinis confusionem, quæ esset in natura intellectuali, si quisque Angelus cognosceret quaslibet alterius aut etiam hominis cogitationes. Ita docent Scotus, Ochamus, Gabriel, & ex recentioribus Fraſſen, & alii.

Secunda eorum est qui existimant probabiliter dici posse Angelos actu cognoscere quascumque mentis tum cogitationes tum affectiones, quæ præsentes sunt, non autem præteritas & futuras, & in hoc volunt Angelorum cognitionem a divina discrepare. Ita Durandus.

Tertia quorumdam est qui distinguunt inter liberas mentis cogitationes, & voluntatis affectiones. Fatentur equidem Angelos non posse liberas voluntatis affectiones certo cognoscere: at liberas intellectus cogitationes posse ab illis certo detegi contendunt. Ita quosdam eruditos recentiores sensisse refert Vasques disput. 210. cap. 2. a qua sententia alienum se non esse ibidem indicat.

Quarta sententia docet Angelos naturaliter nosse cogitationes & affectiones cordium, quantum ad ipsarum substantiam, licet non quantum ad respectum quem habent ad propria objecta: aut ut alii, quantum ad substantiam & ad objecta, non tamen quantum ad finem seu intentionem: aut rursum ut alii, quantum ad substantiam & objecta formalia, sed non quantum ad objecta materialia & circumstantias singulares. Primum docet Guillelmus Parisiensis. Secundum Henricus Gandavensis. Quodlibet 3. qu. 13. Tertium Hervæus in 3. dist 8. qu. 3.

Quinta denique sententia est, Angelos nosse quidem naturaliter cogitationes & affectiones aliorum tam Angelorum quam hominum

na-

naturales & necessarias: at vero cogitationes & affectiones aliorum liberas neque nosse de facto, neque solis naturæ viribus posse cognoscere. Hoc prænotato,

Probatur prima Conclusionis pars, scilicet Angelos nosse propriis naturæ viribus aliorum Angelorum cogitationes naturales & necessarias, quia naturales Angelorum operationes pertinent ad naturalem eorum perfectionem, ergo cum quisque Angelus naturaliter cognoscat, non solum essentiam alterius, verum etiam omnia naturali necessitate ei competentia, tanquam naturales ejus perfectiones, consequens sit ab hac generalitate non posse excludi naturales affectiones. Atque hanc Conclusionis partem communiter omnes docent.

Probatur secunda pars, scilicet Angelos certo non cognoscere liberas cogitationes mentis & affectiones cordium. Hæc Conclusionis pars omnino certa est & tenenda, *Eam enim*, inquit Estius loco supra citato. *tam Scriptura quam Patres valide confirmant*. Imo Suares, Meratius & alii eam de fide esse censent, prout restringitur ad liberas voluntatis affectiones. Itaque

Probatur ex Scripturis, iis scilicet textibus quibus secretorum cordis notitias soli Deo reservari significatur 1. Regum 16. *Homo videt ea quæ parent, Deus autem intuetur cor.* 2. Paralip. 6. *Tu solus nosti corda filiorum hominum.* Psam. 7. *Scrutans corda & renes Deus.* Jerem. 17. *Pravum est cor omnium & inscrutabile; quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor & probans renes.*

Hanc ipsam veritatem præter Scripturarum testimonia etiam SS. Patres nos docent.

S. Hi-

S. Hilarius in Psalm. 7. v. 10. *Cogitationes cordis*, inquit, *nosse non nostrum est, sed ejus de quo dictum est, Scrutans corda & renes Deus*: ejus quoque qui dixit, *Sciens cogitationes eorum, quid cogitatis mala in cordibus vestris?*

Subscribit S. Ambrosius Lib. 5. in Lucam cap. 3. *Dominus*, inquit, *volens salvos facere peccatores, occultorum cognitione Deum se esse demonstrat.*

His plane consentit S. Chrysostomus Homilia 30. in Matth. his verbis: *Quod vero Deus solius sit secreta cordium nosse, audi Prophetam dicentem, Tu noscis corda solus, &c.* Ita ceteri vulgo Patres disserte testantur. S. Cyrillus Alexandrinus Lib. 2. in Joannem, S. Fulgentius Lib. 2. ad Trasimundum cap. 16. S. Chrysologus serm. 5. Origenes, Cassianus, &c.

Ex quibus omnibus abunde colligitur Angelos, in sententia SS. Patrum, minime nosse secretas cordium cogitationes, cum asserant ejusmodi cognitionem certissimum esse divinitatis argumentum, ac Christum ostendisse se esse verum Deum, per hoc quod Pharisæorum aliorumque cogitationes, præsentes quidem, sed secretas certo cognosceret.

Accedit multiplex ratio. Prima ea est quam variis in locis innuit D. Thomas. Angeli naturaliter ea tantum cognoscere possunt, quæ spectant ad ordinem naturæ: atqui liberæ cogitationes & affectiones cordium, nisi sponte manifestentur a cogitante, non continentur sub ordine naturæ, quia non habent connexionem & dependentiam a causis naturalibus, sed solum a causa libera

ut

ut tali, scilicet voluntate humana; ergo eas naturaliter nequeunt cognoscere.

Secunda ratio hæc est: Agentia libera postulant ut eorum liberæ cogitationes & cordium affectiones tandiu occultæ remaneant, quandiu eas non manifestant, sic enim magis elucent eorum dominium & potestas in actus suos; ergo Angeli certo non cognoscunt secreta cordium, nisi vel appareant per effectus, vel revelentur, vel ad eos dirigantur.

Tertia denique: Si omnibus Angelis omnium aliorum tam Angelorum quam hominum cogitationes patereht, ita ut eas statim nossent cum vellent, frustra essent illuminationes & locutiones Angelorum mutuæ: harum enim usus est ut alii manifestent sua cogitata, & notitiam inter se communicent; ergo, &c.

Probatur tertia pars, nempè quod Angeli virtute naturali liberas cogitationes & affectiones mentis certo detegere non possint. Ita S. Thomas hic, Alensis, Richardus cum aliis plerisque, nec non omnes S. Thomæ sequaces contra Scotum in 3. dist. 9. quæst. 4. num. 27.

I. Scripturæ & Patres locis mox citatis aperte soli Deo tribuunt, tanquam proprium ejus privilegium, scire secreta cordium: quandoquidem afferant ejusmodi cognitionem certissimum esse divinitatis argumentum, ac Christum ostendisse se esse verum Deum, per hoc quod secretas & liberas cogitationes videret; ergo Angeli non cognoscunt liberas mentis affectiones, non præcise quia Deus non vult concurrere cum intellectu angelico ut aliorum cogitationes cognoscat, ne confusio ordinis inde nascatur in Angelorum

lorum Republica, ut volunt Scotus, Gabriel &c. sed quia ex propria virtute ac natura sua eas non possunt nosse.

II. Idem suadent rationes theologicæ mox adductæ ad probandam secundam Conclusionis partem: ex iis enim ac prima potissimum constat liberas cordium cogitationes & affectiones, nisi manifestentur, non pertinere ad ordinem naturæ, cum non dependeant ab ulla causa naturali (prout causa naturalis opponitur liberæ) ac proinde Angeli naturaliter eas cognoscere non possunt.

III. Si Angeli ex natura sua possint liberas mentis affectiones certo detegere, saltem Angeli boni eas viderent: cur enim Deus impediret eos universaliter ab eo quod ipsi foret naturale? atqui tamen ex dictis in secunda Conclusionis parte certum est Angelos actu non cognoscere secreta cordium; ergo &c.

Et vero verisimile non est Deum dedisse Angelis potentiam ista secreta agnoscendi, omnino frustra: quod tamen esset, si eam haberent, & in universum ipsos impediret ab iis cognoscendis.

SEPTIMA CONCLUSIO.

Angeli non possunt propriis naturæ viribus certo cognoscere mysteria gratiæ, sive sint futura, sive facta. Hæc Conclusio certa est ac constans.

Antequam probetur, observa, mysteria gratiæ proprie vocari illa opera quæ ex sola gratuita Dei voluntate pendent & totum naturæ ordinem excedunt, ac in salutem humani generis ordinantur, cujusmodi sunt mysteria-

sterium sanctissimæ Trinitatis, Incarnatio Verbi divini seu unio hypostatica, visio beatifica, &c. Hoc præsuppositio,

Probatur 1. Conclusio ex Scripturis: 1. ad Cor. 2. *Quis hominum scit quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quasi diceret, quæ ex sola Dei libera voluntate pendent, qualia sunt mysteria gratiæ, nullus nisi illo largiente cognoscit.

Idem suaderi potest ex illo ad Ephes. 3. ubi sic loquitur Apostolus: *Mihi ... data est gratia hæc, in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi, & illuminare omnes,* (id est instruere ac docere) *quæ sit dispensatio sacramenti absconditi a sæculo in Deo, quia omnia creavit, ut innotescat principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei.* In quæ verba fuse probat S. Chrysostomus, ab Apostolis arcana illa aperientibus illuminatos fuisse principatus & potestates, hoc est, supremos Angelorum ordines, & quæ hactenus ignorabant, ea ab illis didicisse.

Probatur 2. ex SS. Patribus quos sæpius eam in rem laudavimus. Unus hic sufficiet S. Ambrosius Commentario in caput 2. 1. Epist. ad Cor. *Sensum Dei*, inquit, *nemo novit, nisi qui de Deo est Spiritus Dei: inferiora enim non possunt superiorum scire consilium, neque creatura conditoris sui dignoscere voluntatem.* Idem docent SS. Athanasius, Chrysostomus, Theodoretus, Augustinus, Leo, Gelasius, aliique quos refert Petavius Lib. 1. de Angelis cap 9. & sequentibus.

Probatur 3. multiplici theologica ratione. Prima sic est: Angelus id solum nosse potest

quod

quod suæ virtuti naturali proportionatum est: nam inter principium cognoscens & objectum cognitum debet esse proportio: atqui mysteria gratiæ non sunt proportionata activitati naturali intellectus angelici: ista enim mysteria sunt ordinis penitus supernaturalis, intellectiva vero facultas Angelorum ordinis omnino naturalis; ergo &c.

Secunda: Naturalis cognitio debet haberi ex aliqua naturali causa, vel effectu, vel signo, necessariam connexionem habente cum re cognoscenda: atqui mysteria gratiæ, utpote altioris & superioris ordinis, nullam habent necessariam connexionem cum aliqua naturali causa, neque cum effectu, vel signo naturali; ergo, &c.

Tertia: Unus Angelus non potest naturaliter cognoscere cogitationes alterius ex voluntate ejus dependentes; ergo multo minus potest cognoscere ea quæ ex sola Dei voluntate pendent, qualia profecto sunt mysteria gratiæ.

Quæres, an, quando, & qua ratione Angeli cognoverunt mysterium Incarnationis.

Resp. 1. cum Estio 1. parte quæst. 57. art. 5. probabilius videri Angelos viatores ab initio suæ creationis aliquam habuisse notitiam Incarnationis per fidem.

I. id indicat S. Augustinus Lib. 5. de Genesi ad litt. cap. 19. ubi de Angelis secundum quod primitus conditi sunt scribens, ait: *Nec illud eos latuit mysterium regni cœlorum, quod opportuno tempore revelatum est pro salute nostra.*

II. Idem innuit S. Thomas 2. quæst. 2. art. 7. ad 1. *Angelos*, inquit, *non omnino latius mysterium regni Dei, sicut dicit Augustinus.*

Et

Et hujus partis quæst. 94. art. 2. ad 4. *Mysterium regni Dei quod est impletum per Christum, omnes quidem Angeli a principio aliquo modo cognoverunt, sed maxime ex quo beatificati sunt visione Verbi, quam dæmones nunquam habuerunt.*

III. Christus ut homo futurus erat caput hominum & Angelorum in gratia perseverantium, quemadmodum docet S. Thomas 3. parte quæst. 8. ergo cum omnes Angeli ab initio habuerint fidem sibi divinitus infusam, omnino probabile est quod aliquam sui capitis notitiam habuerint, præsertim cum nullum inde sequatur incommodum.

Resp. 2. omnibus electis Angelis ab initio suæ beatitudinis revelatum fuisse mysterium Incarnationis, quantum ad substantiam, & in communi, hoc est, prout dicit hominem Deum super omnes principatus exaltandum; non vero quantum ad particulares ejus & speciales circumstantias, causas nempe, effectus, modum & tempus quo futura esset. *Dicendum*, inquit Doctor Angelicus hic, *quod de mysterio Incarnationis dupliciter contingit loqui. Uno modo in generali, & sic omnibus revelatum est a principio suæ beatitudinis. Alio modo possumus loqui de mysterio Incarnationis, quantum ad speciales conditiones; & sic non omnes Angeli a principio de omnibus sunt edocti, imo quidam, etiam superiores Angeli postmodum didicerunt.*

Resp. 3. processu temporis, partim ante Christum natum, partim postea, Angelos cognovisse plures speciales ejusdem mysterii circumstantias, aut Deo, prout ferebant occasiones, plenius revelante, aut Apostolis ejusmodi circumstantias prædicantibus: un-

de Apostolus citato jam cap. 3. ad Ephesios ait sibi datam esse evangelizandi gratiam; *ut innotescat principibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiam multiformis sapientia Dei, secundum præfinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Jesu Domino nostro.*

ARTICULUS III.

De medio Cognitionis angelicæ.

Circa præsentem quæstionem tria potissimum quærit S. Thomas hic:

I. an & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant speciebus tanquam medio.

II. unde & quando illas species habeant: an sint connaturales ac congenitæ, an vero adventitiæ & a rebus acceptæ.

III. utrum Angeli superiores cognoscant per species magis universales, quam inferiores.

Super his tribus capitibus prolixas quæstiones instituunt plerique Theologi, quas nonnisi obiter ac paucis pertractabimus; utpote cum hæc omnia levioris sint momenti, vixque quidquam de his certo sciri ac definiri possit.

An & ad quæ objecta intelligenda Angeli indigeant speciebus tanquam medio.

Observandum 1. ex dictis ubi de Visione, duplicem vulgo distingui speciem, unam impressam, alteram expressam.

Species impressa definitur, virtualis objecti similitudo, seu imago & repræsentatio objecti, quæ facultati imprimitur, & simul cum ea ad cognitionem objecti concurrit:

un-

unde dicitur objecti vicaria & quasi semen.

Scilicet ut notitia pariatur, oportet objectum & mentem secum invicem conjungi: ut enim ait S. Augustinus Lib. 5. de Trinit. c. 12. *A cognoscente & cognito paritur notitia.* Jam vero cum plerumque contingat objectum esse aut distans aut crassius quam ut facultati per se conjungatur, necesse est ipsius vices suppleri per quamdam similitudinem seu imaginem illius, quæ vocatur species impressa.

Species expressa dicitur, formalis & actualis objecti similitudo ab intellectu expressa, quæ dicitur *verbum mentis*, seu *sermo interior*.

Vel, ut alii volunt, species expressa est terminus internus cognitionis, a mente proinde & cognitione pariter distinctus, qui in intellectu dicitur *verbum* mentis, in imaginatione *phantasma*, estque ipse ab intellectu & objecto concurrente formatus ut ejusdem objecti imago & expressio.

De utraque illa specie quæritur utrum locum habeat in cognitione angelica.

Observandum 2. varia esse (uti diximus Articulo superioris) cognitionis angelicæ objecta: 1. Deum; 2. ipsam Angeli naturam; 3. res corporeas ac materiales; 4. secreta cordium; 5. fidei nostræ mysteria.

Observandum 3. circa præsentem quæstionem non unam esse Theologorum sententiam.

Prima nonnullorum est qui censent Angelos absque ulla superaddita specie innata vel acquisita, sed per solam suam essentiam & intellectum omnia cognoscere quæcumque intelligunt. Ita Durandus in 2. dist. 3. quæst. 6. Gabriel ibidem quæst. 2. Altissiodorensis

Lib. 2. ſuæ Summæ tract. 5. cap. 4. Ocham, Greg. Arimin. & alii.

Secunda aliorum eſt qui exiſtimant Angelos intelligere quæcumque intelligunt per ſpecies ab objectis, mente ac cognitione re diſtinctis. Ita Alenſis 2. parte quæſt. 23. Henric. Quodlib. 5. q. 14. circa finem: in eamdem ſententiam ex parte videtur inclinare Scotus in 2. diſt. 3. quæſt. 10. in fine corporis.

Tertia denique eorum eſt qui docent intellectum angelicum ad cognoſcenda quædam objecta indigere quidem ſpecie ab ipſo objecto & cognitione re diſtincta, ſed non ad omnia. Ita S. Thomas hic art. 1. & 2. contra gentes cap. 98. & quæſt. 8. de verit. art. 6. Conſentiunt Eſtius, Suares, Sylvius &c. Juxta hanc ultimam ſententiam ſit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli Deum vident abſque ulla ſpecie impreſſa aut expreſſa, ab ipſa cognitione aut Deo ſeſe repræſentante, re diſtincta.

Probatur prima pars: quia talis ſpecies impreſſa plane inutilis videtur; admittitur enim vulgo a Philoſophis, ad ſupplendam objecti vel abſentiam, vel improportionem: atqui Deus per ſe præſentiſſimus eſt intellectui angelico, eſt etiam eidem attemperatus beneficio luminis gloriæ; ergo &c.

Probatur ſecunda pars: 1. ex S. Auguſtino L. 15. de Trinit. cap. 16. *Cogitatio noſtra*, inquit, *perveniens ad id quod ſcimus, atque inde formata, verbum noſtrum verum eſt.*

2. Quando objectum maxime intelligibile per ſeſe menti immediate præſens eſt, ipſi-

que

que proportionatum, tunc nulla videtur requiri ſpecies expreſſa; ab ipſa cognitione & objecto ſeſe repræſentante, re diſtincta: porro Deus ſumme intelligibilis eſt, utpote purus ac ſimplex ſpiritus, per ſeſe etiam intellectui angelico intime præſens eſt, eidemque attemperatus beneficio luminis gloriæ; ergo, &c.

3. Vix concipi poteſt quid ſit *ſpecies illa expreſſa* a mente, cognitione & objecto, re diſtincta: multo autem facilius res intelligitur, ſi cognitio dicatur bifariam ſpectari poſſe, nimirum 1. quatenus directa eſt & tendit in objectum; 2. quatenus repræſentativa eſt objecti, illudque exprimit: eam autem, quatenus directa eſt in objectum, dici ſimpliciter cognitionem ſeu ideam formalem; quatenus vero eſt ipſiſſima objecti repræſentatio, verbum, ſimilitudinem ac ſpeciem expreſſam appellari, id eſt ideam objectivam.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli ſeipſos vident independenter ab ulla ſpecie re diſtincta a cognitione & objecto.

Probatur momentis mox adductis ad aſtruendam primam Concluſionem. Scilicet cum objectum per ſeſe intelligibile eſt, & unitum facultati intellectivæ, tunc ſuperflua videtur ſpecies impreſſa aut expreſſa ab intellectu, cognitione & objecto, re diſtincta: porro Angelus intellectivus eſt & intelligibilis, aliunde vero ſibi intime præſens eſt; ergo &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli nullis egent speciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, ceterarumque substantiarum spiritualium, modo sint ipsis immediate præsentes. Ita innuit S. Thomas quæst. 8. de veritate art. 7. & 2. contra Gentes cap. 98. & Ferrariens. ibid. &c.

Conclusio sequitur & constat ex principiis mox adductis in utraque præcedenti Conclusione.

Et vero Angelus seipsum cognoscit independenter ab omni specie, quia est spiritualis & sibi intime præsens: porro quilibet Angelus æque spiritualis est; ergo si unus Angelus sit immediate præsens alteri Angelo, nihil videtur obstare quin per sese independenter ab omni alia specie, ad sui cognitionem concurrat: siquidem eo in casu realis Angeli præsentia præstat quod species impressa præstaret.

Neque vim hujusce ratiocinii elevat quod regerunt nonnulli, nimirum principium concurrens ex parte objecti debere necessario inhærere facultati intellectivæ ut ipsam determinet: istud enim falsum esse aperte liquet exemplo visionis beatificæ, in qua divina essentia loco speciei concurrit, neque tamen inhæret.

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli indigent speciebus ad cognitionem aliorum Angelorum, & cujuslibet alterius substantiæ spiritualis, si sit ab ipsis distans.

Probatur: quia ad hoc ut fiat cognitio, debet objectum vel aliquid loco ejus simul concur-

currere cum facultate cognoscitiva; ut enim supra vidimus ex S. Augustino Lib. 5. de Trinitate cap. 12. *ab utroque notitia paritur, a cognoscente & cognito* : atqui Angelus aut quælibet alia substantia immaterialis si sit distans ab intellectu angelico non potest cum ipso concurrere ad efformandam cognitionem, neque enim naturaliter actio potest esse in distans; ergo debet concurrere per aliquid aliud, quod illius vices gerat : hoc autem nihil aliud est quam species intelligibilis.

Neque est quod quis asserat cum Vasquesio & aliis paucis, intellectum non minus quam voluntatem, esse completum ad eliciendum suum actum : porro, ut ratiocinatur Vasques, voluntas licet egeat objecto determinante, per modum puri termini, non tamen eget objecto determinante per modum causæ concurrentis; ergo &c.

Verum disparitas est aperta, quia actus voluntatis non est imago objecti, atque adeo necesse non est ut procedat ab objecto concurrente: e contra vero cum intellectio sit essentialiter repræsentatio & imago objecti, necesse est ut ab illo procedat : de ratione enim imaginis est procedere ab eo cujus est imago; active quidem & productive, si sit imago naturalis; objective vero duntaxat, si sit solum imago intentionalis ac repræsentativa.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli in seipsis vident communes ac generales rationes rerum omnium corporearum.

Probatur. Angeli vident in seipsis rationes quæ in illorum natura continentur, seipsos

scilicet comprehendunt, atqui communes & generales rerum omnium corporearum rationes continentur in Angelorum natura: namque naturæ superiores continent rationes communes naturarum inferiorum; sic vivens includit perfectiones communes non viventis, animal v. g. perfectiones lapidis; sed Angelorum natura superior est natura corporea; ergo continet rationes communes rerum corporearum.

SEXTA CONCLUSIO.

Angeli in seipsis non vident rationes specificas ac singulares rerum corporearum, sed in propriis ipsarum speciebus.

Probatur prima pars. Angeli id tantum in seipsis vident, quod in eorum natura continetur; ut enim aliquid cognoscatur in aliquo medio, necesse est ut in illo contineatur: atqui rationes specificæ ac singulares rerum corporearum non continentur in natura angelica: lapis, v. g. in ratione specifica lapidis non continetur in natura Angeli, alioquin Angelus esset lapis quod implicat; ergo &c.

Probatur secunda pars. Angeli vident rationes specificas & singulares rerum corporearum in eo per quod res illæ uniuntur eorum intellectivæ facultati, & per quod repræsentantur: atqui res corporeæ spectatæ quoad rationes specificas ac singulares, per species duntaxat uniuntur facultati intellectivæ Angelorum, & per eas repræsentantur, ut patet ex dictis; ergo, &c.

Un-

Unde Angeli habeant ſpecies quibus indigent, & quando illas accipiant.

Diviſi ſunt hac in parte Theologi.

Alii volunt Angelos ab ipſis objectis ſpecies recipere. Ita Alenſis 2. part. quæſt. 23. membro 3. & 4. & quæſt. 24. membro 4. Richardus in 2. diſt. 3. quæſt. 2. Hervæus qu. 2. & Quodlibet 5. quæſt. 6 &c.

Alii cenſent Angelos nullas a rebus ſpecies accipere, ſed a ſolo Deo ad præſentiam objectorum infundi; idque ſucceſſive, prout ſcilicet objecta ſucceſſive fiunt apta ut intuitive poſſint cognoſci. Sententiam hanc refert Suares Lib. 2. de Angelis cap. 6.

Alii exiſtimant Angelos ſuas habere ſpecies a ſolo Deo infuſas initio ſuæ creationis. Ita docet ſanctus Thomas hic, & 2. contra Gentes cap. 96. quem ſequuntur Cajetanus, Ferrarienſis, Salmanticenſes, Suares, Eſtius, Sylvius, aliique communiter.

Eſt præterea aliorum opinio qui aſſerunt ſpecies produci per emanationem a ſubſtantia, vel intellectu ipſius Angeli, tanquam naturales ejus proprietates. Ita Bannes 1. p. q. 55. art. 2. Medina & alii.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli non cognoſcunt res materiales per ſpecies ab ipſis rebus acceptas.

Probatur 1. quia res materiales non poſſunt agere in res mere ſpirituales, qualis eſt intellectus angelicus: omnis quippe actio corporea conſiſtit in motu: motus autem corporeus ut effectum producat, mutuam exigit moventis & moti reſiſtentiam atque impe-

netrabilitatem, cujus incapax est quælibet res spiritualis; ergo, &c. 2. materialia non possunt transmittere speciem sui usque ad cœlum, vel etiam usque ad profundum inferni, nisi facta penetratione, quæ naturaliter non fit, 3. quod corporeum est, spiritualem qualitatem producere non valet, qualis tamen debet esse omnis species in angelico intellectu producta & recepta.

Neque dici potest cum Scoto, Angelos sibi species a rebus materialibus abstrahere, per quas species res ipsas intelligant. Non enim poterit Angelus abstrahere species a rebus incognitis: esset enim temeraria & cæca abstractio.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli non cognoscunt res spirituales per species ab ipsis rebus spiritualibus emissas.

Probatur 1. Angeli (idem dicendum de ceteris substantiis immaterialibus) nihil possunt ad extra, nisi motum localem, & quæ sunt illi connexa: nemo enim Theologorum agnoscit in Angelis potentiam operativam ad extra distinctam a vi motrice, quæ ad motum duntaxat localem, aliaque motui annexa sese extendit: atqui emittere sui speciem, est aliquid ad extra omnino independens a potentia loco motrice proprie sumpta; quia talis actio est tantum intentionalis, cujus principium nullo modo est potentia motrix; ergo, &c.

2. Species emissæ ab objectis distantibus recipi deberent in spatio intermedio, eique inhærere: namque species illæ forent accidentia quædam, ac proinde quid reale non sub-

subsistens, sed natura sua inhærens: atqui spatium non potest assignari velut medium quod recipiat in seipso subjective species transmissas ab objectis spiritualibus: siquidem absurdum esset singulas spatii partes successive fieri subjectum talium specierum motu citissimo ad intellectum Angelorum pervenientium; ergo, &c.

3. Si Angelus posset ex sese effundere species sui repræsentativas, easque transmittere ad intellectum alterius Angeli, vel id efficeret ex necessitate naturæ ad modum agentis naturalis; vel libere, ita ut dominium habeat supra talem efficientiam: porro nullum ex his dici potest.

Non primum, quia omne agens liberum ex natura sua habet dominium supra omnes actiones, quas extra se producere potest; ita videre est in Deo, imo etiam in homine, quantum ad omnes actiones transeuntes, quæ ab anima, ut rationalis est, procedere possunt; ergo idem dicendum de Angelis, qui sunt quasi medii inter Deum & homines.

Non etiam secundum: vix enim concipi potest, quomodo Angelus absque prævia aliqua aliorum Angelorum cognitione habere potuerit liberam voluntatem imprimendi aliis speciem sui, hæc enim voluntas ad alios aliquo modo terminatur, & non potest ferri in incognium.

TERTIA CONCLUSIO.

Species quibus agnoscunt Angeli, non producuntur per emanationem a substantia, vel intellectu angelico, tanquam naturales ejus proprietates.

Probatur: quia si substantia ipsius Angeli produceret in se species eorum quæ potest intelligere, produceret in se species omnium possibilium; quia nullum est possibile quod non possit intelligere; nec est major ratio, cur de facto producat nunc species hujus objecti, quam alterius: atqui absurdum est asserere substantiam Angeli in se producere species omnium possibilium, cum ipsa in infinitum multiplicari possint; ergo, &c.

Et vero, ut ratiocinatur Sylvius 1. part. q. 55. art. 2. proprietates rerum sunt certæ ac determinatæ, semperque (naturaliter loquendo) eædem, quando ipsæ res sunt eædem; species autem Angelorum non sunt ita certæ ac determinatæ. Si enim Deus eosdem creasset Angelos qui nunc sunt, & mundum aliis rerum speciebus constantem, Angeli essent iidem in natura, & tamen non haberent easdem species; illarum namque rerum species intelligibiles sunt Angelis connaturales & congenitæ, quæ ad universi, in quo sunt, perfectionem spectant, non autem aliæ. Hinc Divus Thomas quæst. 56. art. 2. ad 4. *Si Deus instituisset plures Angelos facere, vel plures naturas rerum, plures species intelligibiles mentibus angelicis impressisset.*

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli suas omnes habent species infusas a Deo.

Probatur: quia species angelicæ non possunt esse nisi vel ab objectis cognitis, vel ab ipsa substantia & intellectu agentis cognoscentis, vel denique ab ipso Deo, qui, utpote prima ac universalis causa supplere debet

debet defectum aliarum causarum dum non possunt agere: atqui ex dictis in superioribus Conclusionibus, species angelicæ neque ab objectis, neque a substantia aut intellectu ipsius Angeli oriri possunt; ergo, &c. Amplius constabit præsens Conclusio ex dicendis sequenti Conclusione.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli res omnes quas naturaliter cognoscere possunt, intelligunt per species non a rebus acceptas, sed sibi a Deo initio suæ creationis infusas. Ita S. Thomas hic, qui hanc in rem citat auctoritatem S. Dionysii c. 7. de divinis nominibus, & S. Augustini Lib. de Genes. ad litteram c. 8. hancque sententiam sequuntur Salmanticenses, Suares, Estius, Sylvius & alii.

Probatur 1. Angelus creatus est perfectus & sapiens, ut colligi potest ex Ezechielis 28. at perfectus non est intellectus cui desunt species rerum quas naturaliter cognoscere potest.

Probatur 2. ex dictis patet Deum solum esse causam efficientem specierum per quas Angeli intelligunt: jam vero videtur gratis dici quod Deus novas jugiter species per seipsum formet, quas æque producere potuit ab initio.

At, inquies, si Angeli intelligerent res individuas & singulares per species sibi concreatas, sequeretur ipsos cognoscere distincte futura contingentia, antequam essent: sufficit enim ut aliquid distincte cognoscatur, quod sit præsens potentiæ cognoscitivæ; per speciem perfecte repræsentantem, &

quod

quod potentia cognoscitiva advertat ad rem repræsentatam per ejusmodi speciem : atqui ex dictis Articulo præcedenti, liquet Angelos non posse naturaliter cognoscere futura contingentia, saltem libera; ergo, &c.

Respondet Sylvius loco mox citato negando sequelam & ejus probationem : quia licet Angeli habeant species quæ aptæ sunt repræsentare omnia singularia, nihil tamen futurorum contingentium est in rerum natura, quod speciebus illis assimiletur, adeoque per illas species futura contingentia non valent cognoscere. Ut enim notat ibidem Sylvius, quemadmodum qui leonem nusquam vidit, nec quidquam de illo audivit, præsente leonis tabella prorsus ignorat cujus rei sit imago, donec occurrente leone, hanc esse illius imaginem cognoscat; ita proportione servata dicendum de speciebus futurorum contingentium repræsentativis, quæ insunt intellectui angelico.

Eadem responsio iterum explicari potest ac illustrari exemplo visionis corporeæ, quæ sive per reflexionem luminis, sive per species ab objectis emissas, fiat, requirit certum corporis situm & objecti præsentiam, adeo ut nisi oculus ad objectum, & quidem in debita distantia expositum conversus fuerit, potentia visiva visionem non eliciat : sic intellectus angelicus, quamvis speciebus rerum naturalium instructus, earum existentiam non percipiet, nisi cum præsentes objiciuntur. Namque species innatæ, utpote generales, non repræsentant singularia, nisi modificentur & quodammodo determinentur per illorum præsentiam.

Addo, non sufficere ad cognitionem distinctam

ctam futuri contingentis, existentiam ejusdem, si futurum hoc contingens sit liberum, sed insuper necessariam esse illius manifestationem, ut dicemus infra Articulo quinto, ubi de locutione Angelorum.

Urgebis: Si Angelus intelligit res individuas materiales & immateriales per species sibi concreatas, concedendæ erunt infinitæ propemodum species concreatæ in quolibet Angelo.

Resp. negando sequelam: non enim necesse est, ut tot species habeat, quot cognoscit objecta; quia per unicam speciem eo plura potest apprehendere, quo est perfectior, quemadmodum homo ex uno principio multa colligit. Et vero sicuti unica potentia quamvis finita potest plura objecta percipere, imo & infinita successive; ita pariter una & eadem angelica species licet finita, plura imo & infinita objecta successive repræsentare potest.

Insistes: Angeli de novo cognoscunt multas res præsentes quæ prius erant futuræ; ergo de novo recipiunt species earum rerum repræsentativas.

Resp. cum sancto Thoma negando conseq. ut enim advertit S. Doctor quæst. 8. de veritate art. 9. ad 3. cum cognitio fiat per assimilationem cognoscentis ad cognitum, sicut dupliciter contingit aliquid de novo assimilari alteri, scilicet vel per motum suum, vel per motum alterius ad ipsum; ita dupliciter contingit facultatem cognoscitivam habere novam cognitionem: uno modo, per hoc quod cognoscens de novo accipit formam rei quam cognoscit, sicut in nobis accidit; alio modo, per hoc quod res cognita de no-

novo assimilatur illi formæ quæ est in cognoscente; & hoc posteriori modo Angeli de novo cognoscunt eas res præsentes, quæ prius erant futuræ, sine nova specierum receptione.

An quanto superiores sunt Angeli, tanto per universaliores species intelligant.

CONCLUSIO.

Quo superior est Angelus, eo per pauciores & universaliores species intelligit. Ita S. Thomas hic, & quæst. 8. de veritate art. 10. Cajetanus hoc loco; ibidem Suares, Sylvius, & plerique alii contra Scotum.

Probatur: quia, ut ratiocinatur S. Thomas, quo perfectior est aliqua natura intellectualis, eo debet esse Deo magis similis in modo cognoscendi & perfectione intellectionis: porro perfectio intellectionis divinæ in eo maxime posita est, quod per unicam suam essentiam omnia intelligat; ergo perfectio cognitionis angelicæ in eo etiam erit, ut per pauciores & universaliores species plura intelligat.

Dices: Id quod cognoscitur in universali, cognoscitur imperfecte: superiorum autem Angelorum cognitio est perfecta; ergo non est per species universaliores.

Respondet S. Thomas quæst. 8. de verit. art. 9 ad 1. quod cognoscere aliquid in universali, dupliciter potest intelligi. Uno modo, *ex parte rei cognitæ*, cum scilicet solummodo cognoscitur universalis natura rei; & sic id quod cognoscitur in universali, cognoscitur imperfecte. Alio modo, *ex parte medii cognoscendi*, quando nempe aliquid co-

cognoscitur per medium universale: sic autem cognoscere in universali, perfectius est, modo cognitio sit rei secundum ea quæ sunt ei propria; perfectior est enim intellectus qui per unum universale medium potest rem aliquam cognoscere secundum omnia quæ ipsi conveniunt, quam qui ad hoc opus habet diversis mediis: Angeli autem superiores, juxta hunc posteriorem modum intelligunt in universali, ac proinde perfectior est eorum cognitio.

ARTICULUS IV.

De dotibus seu proprietatibus Cognitionis angelicæ.

Hic cum S. Thoma 1. part. q. 58. quinque quæremus ac breviter resolvemus: 1. utrum cognitio angelica semper sit in actu; 2. utrum multa simul attingat; 3. an sit discursiva; 4. an componat ac dividat; 5. denique quid sit Angelorum tum matutina tum vespertina cognitio.

An Angeli Cognitio semper sit in actu.

PRIMA CONCLUSIO.

Angelorum cognitio semper est in actu, quantum ad cognitionem Verbi, & eorum quæ vident in Verbo formaliter, hoc est, illa ipsa visione qua vident Verbum.

Probatur. Cognitio angelica semper est in actu respectu illius objecti, quod sine intermissione attingit: atqui Angeli semper & absque ulla intermissione contemplantur essentiam

tiam divinam; in hoc enim consistit ipsorum beatitudo: contemplantur etiam perpetuo ea quæ vident in Verbo formaliter; scilicet Verbum est veluti speculum in quo res illæ necessario repræsentantur; ergo, &c. Vide quæ diximus Tractatu de Attributis, ubi de objecto secundario Visionis beatificæ.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelorum cognitio non est semper in actu respectu eorum mysteriorum quæ vident in Verbo solum causaliter, aut quæ aliter eis revelantur; neque etiam respectu eorum omnium ad quæ naturalis illorum vis intellectiva sese potest extendere.

Probatur: quia cognitio angelica non semper hæc omnia considerat actualiter, sed quandoque solum: in hoc enim angelica cognitio differt a cognitione divina, quod hæc semper actu in objectum suum feratur.

Quod si quæras, unde fiat quod Angelus interdum hoc, interdum aliud actu consideret, cum antea illud non consideraret? Responderi potest, interdum hoc provenire a solo Deo, ut in eis quæ naturalem cognitionem excedunt, ac etiam in quibusdam aliis: interdum etiam provenire ab Angeli libera voluntate, quæ ex prævia cognitione essentiæ suæ, specierumque sibi connaturalium, intellectum determinat ad considerandum, nunc unam rem, nunc aliam. Responsionem hanc indicat S. Thomas Lib. 2. contra Gentes cap. ultimo, & quæst. 8. de verit. art. 13. ad 4.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Quantum ad cognitionem suæ propriæ essentiæ seu suiipsius, Angelus semper est in actu secundo, & nunquam in potentia. Ita tradit S. Thomas quæst. 8. de verit. art. 6. ad 7. Subscribunt Cajetanus, Bannes, Estius, Sylvius & Suares Lib. 2. de Angelis, cap. 33.

Probatur. Essentia Angeli est objectum maxime proportionatum ejus intellectui, & est ei intime unita in ratione intelligibilis; neque est aliquid quod intellectum impediat a continua ipsius consideratione; ergo semper eam intelligit. Adde quod ad perfectionem substantiæ angelicæ spectet, ut semper sit in actu secundo, ut sic Deum magis imitetur qui nunquam est in potentia: nullus autem actus secundus seu nulla operatio potiori jure potest Angelo sine intermissione tribui, quam cognitio suiipsius, ergo, &c.

Ex his sequitur, quod Angelus nusquam cesset, imo nec cessare possit a cognitione Dei secundum quod est auctor naturæ: cognoscendo enim se, etiam cognoscit Deum, sicut causa cognoscitur in effectu.

An Angeli cognitio plura simul attingat.

PRIMA CONCLUSIO.

Plura quæ per unam speciem repræsentantur, potest Angelus uno & eodem actu simul intelligere.

Probatur. Plura quæ per unam speciem repræsentantur, mediante illa specie præsentia sunt

sunt intellectui, ut unum quoddam intelligibile; ergo uno & eodem actu ab intellectu simul percipi possunt.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angelus potest simul diversa intelligere per diversas species ac intellectiones.

Probatur. Nam Angelus v. g. simul intelligit 1. divinam essentiam, quæ cognitio supernaturalis est; 2. seipsum per suam substantiam, quæ cognitio independens est a specie; 3. res quarum species habet congenitas; 4. res supernaturales & liberas, per novas species infusas; 5. in omnibus beatis admittitur cognitio matutina & vespertina. Porro hæ cognitiones sive intellectiones profecto diversæ sunt: ergo, &c.

Nec obstat quod afferunt nonnulli, ejusdem intellectus duas non posse simul esse intellectiones; quemadmodum nec ejusdem corporis duas figuras: siquidem ejusdem corporis non possunt simul esse duæ figuræ totales, bene vero partiales. Deinde vero lata est inter utrumque disparitas: namque ex duplici figura duplex situs sequitur, qui naturaliter repugnat; at vero ex duplici intellectione quæ simul & semel inesse supponuntur in eodem intellectu, nihil repugnans sequitur.

TERTIA CONCLUSIO.

Possibile videtur Angelum simul cognoscere res omnes quarum habet species.

Probatur 1. ex S. Augustino Lib. 4. de Genesi ad litt. cap. 32. ubi id ipsum docet 2. Activitas intellectivæ facultatis angelicæ pro-

proportionata est universalitati speciei infusæ ipsi Angelo; ergo, &c. 3. Species Angeli pendet quoad usum a libera ipsius voluntate, ut sæpius tradit Doctor angelicus; ergo, &c.

Accedit quod Angelus ita attentionem suam dispensare possit, ut ad singulas species extendatur: maxime cum ejusmodi attentio sit intensionis capax, neque tam exigua dari possit, quin adhuc minor sit possibilis; sicque quo major erit attentio *extensive*, minor erit *intensive*. Par est ratio respectu animæ separatæ a corpore, non autem ubi est unita corpori. Cum enim dependens sit a phantasia, eaque ut plurimum uni objecto addita sit, nec ejus attentionem moderari possit, ex eo fit ut ad unam fere rem attendat.

An Cognitio angelica sit discursiva.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli respectu eorum quæ ab ipsis naturaliter cognoscuntur, *proprie* non discurrunt. Ita S. Thomas hic, & S. Augustinus Lib. de Genesi ad litteram cap. 32. & 33.

Probatur. Discurrere *proprie* est unum ex alio, & per aliud cognoscere: at Angelus respectu eorum quæ ab ipso naturaliter, sed unico actu mox in principiis & causis cognoscuntur, cognoscit effectus qui ex iis naturaliter cognosci possunt; ita ut eodem intuitu quo principia & causas intelligit, etiam plene videat effectus naturaliter in illis latentes: idque tum propter plenitudinem luminis intellectualis & summam virtutem intelligendi, tum etiam propter perfectionem specierum

qui-

quibus in intelligendis rebus naturalibus utuntur Angeli, quæ quidem ſpecies ea omnia perfectiſſime exhibent quæ rei naturaliter conveniunt aut inſunt, ergo, &c. Sic v. g. unico ſimpliciſſimo intuitu videt Angelus per ſpeciem ſibi concreatam, eſſentiam hominis, proprietates omnes ejuſdem, conditiones individuantes, &c. eo quod iſta omnia perfecte repræſententur per hujuſmodi ſpeciem concreatam.

Quæres an angelica cognitio ſit diſcurſiva reſpectu earum rerum quæ ab eis naturaliter non cognoſcuntur, ut ſunt cogitationes cordium, & res aliquo modo ſupernaturales?

Reſpondent aliqui cum Cajetano, negative; alii vero, & quidem multo plures, cum Suares, Yſambert, Vaſques, &c. negative: idque ex eo probant, quia ex his aut illis motibus quos in alicujus hominis corpore percipiunt; colligunt eum has aut illas cogitationes animo volvere: ſic etiam dæmones ex Chriſti miraculis inferebant eum eſſe Meſſiam in Lege promiſſum.

Ex dictis ſequitur, Angelos res naturales unico intuitu cognoſcere, abſque compoſitione aut diviſione *proprie* dicta, id eſt, abſque comparatione unius rei cum alia, ex qua colligeretur convenientia vel diſconvenientia, ſiquidem hæc fieri nequeunt ſine diſcurſu: ac proinde unico ac ſimpliciſſimo actu cognoſcunt Angeli ſubjectum & proprietates, cauſam & effectus, non proprietates ex ſubjecto, neque cauſam ex effectibus, ſed proprietates in ſubjecto, & effectus in cauſis.

An

An Cognitio Angelorum possit esse falsa.

Resp. 1. Angelos sive bonos, sive malos, non posse falli respectu eorum quæ ab illis naturaliter cognoscuntur. Ratio est, quia perfectissimo modo illa omnia penetrant, & naturalia manserunt integra in dæmonibus.

Resp. 2. circa res vel supernaturales, vel liberas, vel etiam contingentes, secundum quod divinæ dispositioni subsunt, bonos Angelos falli non posse, licet eas naturaliter non cognoscant.

Ratio est, quia propter prudentiam qua pollent, cohibent se a ferendo certo & determinato judicio. Sic boni Angeli de rebus supernaturalibus, quandiu non habent certas revelationes, non judicant ita esse vel non esse absolute; sed ex signis probabilibus tantum judicant hoc esse probabile, & posse ita evenire. Similiter de rebus naturalibus, secundum quod subsunt divinæ dispositioni (per quam circa illas varia mutatio accidere potest) non proferunt absolutum judicium. Unde fit quod licet in naturalibus causis videant v. g. pestem aut siccitatem, non tamen absolute judicent eam esse eventuram, quia sciunt vel sancti alicujus oratione, vel etiam sine illa, posse per divinam sapientiam aliter fieri.

Resp. 3. malos Angelos circa res vel supernaturales, vel liberas, vel etiam contingentes, secundum quod illæ subsunt divinæ dispositioni, plerumque falli: id autem ex eo contingit quoniam ex pravitate suæ voluntatis a divina sapientia removentur, eamque nolunt attendere, nec ei se submittere; unde sæpe secundum conjecturas aut argumen-

menta probabilia vel cursum rerum naturalium judicant absolute, atque ita sæpe falluntur. Totum istud clare docet S. Thomas hic: *Angeli boni*, inquit, *habentes rectam voluntatem, per cognitionem quidditatis rei non judicant de his quæ supernaturaliter ad rem pertinent, nisi salva ordinatione divina; unde in eis non potest esse falsitas aut error. Dæmones vero per voluntatem perversam, subducentes intellectum a divina sapientia, absolute interdum de rebus judicant secundum naturalem conditionem. Et in his quæ ad rem naturaliter pertinent; non decipiuntur, sed decipi possunt quantum ad ea quæ supernaturalia sunt; sicut si considerans hominem mortuum judicet eum non esse resurrecturum: & si videns hominem Christum, judicet eum non esse Deum.*

An & quid sit Angelorum tum matutina, tum vespertina Cognitio.

Sanctus Thomas hic art. 5. & 6. secutus S. Augustinum Lib. 4. de Genesi ad litt. c. 22. & 23. docet in Angelis beatis recte distingui cognitionem matutinam & vespertinam. Communis hæc est ac certa Theologorum sententia, quæ ex ipsa utriusque cognitionis notione manifeste patet.

Cognitio matutina vocatur, qua Angeli cognoscunt res in Verbo divino, ubi omnia clarissime lucent; tanquam in sole æterno. Vespertina dicitur, qua res easdem cognoscunt per illarum species sibi congenitas; quæ cognitio, facta comparatione ad eam qua Verbum divinum videtur & res in Verbo, obscurior est, & idcirco dicitur vespertina, *Cognitio creaturæ in seipsa*, inquit S. Augustinus L. 11. de civit. Dei c. 7. *decoloratior est*,

est, ut ita dicam, quam cum in Dei sapientia cognoscitur, velut in arte per quam facta est; ideo vespera congruentius dici potest.

Hæc autem distinctio cognitionis angelicæ in matutinam & vespertinam, a sancto Augustino excogitata fuit, ut caput primum Geneseos, in quo mundus sex dierum spatio a Deo creatus narratur, facilius exponeret. Cum enim quarto die sol factus describatur, difficile apparet qua ratione ante quartum diem potuerit esse distinctio inter mane & vespere, & series illa dierum, qui solis circuitu peraguntur. Unde ut ab hac difficultate se expediret, de die spirituali seu cognitione angelica, illud exposuit: ita ut sicut ex mane & vespere fit unus dies consuetus, sic ex utraque notitia matutina & vespertina, unus dies angelicæ cognitionis exurgat. Videri potest hac de re S. Thomas qu. 8. de verit. art. 17. ubi duplicem hanc Angelorum cognitionem late exponit.

ARTICULUS V.

De Locutione Angelorum.

LOcutio generatim est *manifestatio conceptuum*; unde patet locutionem Angelorum esse expressionem proprii conceptus quam ipsi ad alios dirigunt.

Quæritur hic, an & quibus loquantur Angeli, & quomodo ipsorum locutio fiat. Tria hæc sequentibus Conclusionibus obiter resolvemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli inter se colloquuntur. Ita S. Thomas 1. p. q. 107. art. 1.

Probatur 1. ex Scripturis Isaiæ 6. *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum, & dicebant: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus, &c.* 1. Cor. 13. *Si linguis hominum loquar & Angelorum.* Et in Epist. B. Judæ legitur, quod cum Michael Archangelus cum diabolo disputaret de Moysi corpore, *dixit: Imperet tibi Dominus.*

Hanc eandem de Angelorum ad invicem locutionibus doctrinam tradunt SS. Dionysius cap. 7. cœlestis hierarchiæ, Chrysost. in cap. 13. Epist. 1. ad Cor. Greg. Lib. 2. Moralium cap. 5. Damascenus Lib. 2. de fide cap. 3. & alii.

Suffragatur etiam ratio: nam qui perfectam inter se societatem habent, sibi invicem mutuo loquuntur: id enim necessario videtur exigere perfectio societatis: atqui Angeli perfectam inter se societatem habent, scilicet cœlestis Hierusalem præcipui sunt cives, Respublica cœlestis ex Angelis potissimum constituitur; ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli possunt loqui & hominibus, & Angelis superioribus, & etiam Deo Ita S. Thomas hic art. 1. 2. & 3.

Probatur prima pars, quod nempe Angeli possint hominibus loqui: nam possunt illis suos conceptus exprimere ac manifestare, ut eos vel doceant, vel ut aliquid discant ab ipsis. Sic legimus Lucæ 1. Archangelum Gabrielem beatissimam Virginem Mariam allocutum fuisse.

Probatur secunda pars, scilicet quod Angeli inferiores possint loqui superioribus. An-

ge-

gelum Angelo loqui, est conceptum per propriam voluntatem ordinare ad hoc ut ei innotescat: Angelus autem inferior sic ordinare potest suum conceptum, ut is Angelo superiori innotescat, ergo, &c.

Et vero ut observat Doctor Angelicus hic art. 3. ad 1. locutio potest esse non ad manifestandum alteri aliquid ipsi ignotum, sed ad quærendum ab eo discere id cujus notitiam non habet ille qui loquitur: at Angeli inferiores, cum non omnia cognoscant quæ superioribus nota sunt, possunt a superioribus quærere notitiam eorum quæ nesciunt; ergo possunt loqui superioribus. Huc pertinere videtur illud Psalmi, *Quis est iste Rex gloriæ?* scilicet, conformiter his quæ tradunt SS. Dionysius, Chrysostomus, Hieronymus, &c. intelligitur esse interrogatio quædam Angelorum inferiorum admirantium gloriam Christi in Cœlum ascendentis, & postulantium edoceri a superioribus.

Probatur tertia pars, quod nempe Angeli etiam Deo loquantur. Sic Sachar. 1. Angelus refertur Deo respondisse & dixisse: *Domine exercituum usquequo tu non miserebaris Jerusalem & urbium Juda?* Sic etiam Job. 1. & 2. Sathan introducitur varia locutus ad Deum. Loquitur porro Angelus Deo, non ut ei quidpiam manifestet, sed vel consulendo ejus voluntatem & sapientiam, vel laudando & admirando ejus potentiam.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius est Angelorum loquendi modum positum esse: 1. in eo quod Angeli cogitationes ad se invicem dirigant; 2. in eo quod Deus ex imposita sibi lege excitet

in Angelo ideam cogitationis, quæ ad ipsum ab alio Angelo directa fuit.

Hæc videtur esse expressa Doctoris angelici sententia. *Ex hoc*, inquit S. Doctor 1. p. q. 107. art 1. *quod conceptus mentis angelicæ ordinatur ad manifestandum alteri voluntatem ipsius Angeli, conceptus unius Angeli innotescit alteri; & sic loquitur unus Angelus alteri. Nihil est enim aliud loqui ad alterum, quam conceptum mentis alteri manifestare.*

Et vero his duobus præcise positis, scilicet, directione & ordinatione cogitationis ex parte Angeli loquentis, & excitatione a Deo facta in intellectu Angeli ad quem dirigitur hæc cogitatio, satis clare intelligitur mutua Angelorum locutio; ergo, &c.

Ex his quæ dicta sunt in præsenti Articulo circa locutione Angelorum colligitur, 1. localem distantiam non obstare quominus Angeli custodes qui in terris versantur, cum iis colloquantur qui sunt in cœlis: ratio est, quia locutio Angeli est plane spiritualis a loco prorsus abstracta ac independens. Colligitur 2. unius Angeli collocutionem cum altero ceteris Angelis non innotescere; non enim, ut supponitur, Angelus ille intendit cogitationes suas omnibus aliis manifestare. Colligitur 3. nonnihil discriminis esse inter locutionem & irradiationem seu illuminationem Angelorum, irradiatio seu illuminatio, inquiunt, est illustratio unius ab alio, inferioris a superiori; locutio autem est manifestatio conceptuum: unde omnis quidem irradiatio est locutio, non omnis tamen locutio est irradiatio; quia nempe Angelus inferior alloquitur superiorem, nec tamen

ipsum

ipsum irradiat : ordo enim inditus substantiis spiritualibus, ait sanctus Thomas quæst. 106. art. 3. postulat ut inferiores moveantur & illuminentur.

QUÆSTIO QUARTA.

De Voluntate Angelorum.

CErtum est 1. Angelis inesse voluntatem: nam in omni substantia intelligente est appetitus seu voluntas rationis. Hinc in Scriptura multoties supponitur Angelos hac facultate esse præditos, eisque tribuuntur peccatum, desiderium, &c. I. Petri 1. *In quem desiderant Angeli prospicere* . II. ejusdem sancti Petri ; 2. *Angelis peccantibus Deus non pepercit*. Peccatum autem, desiderium, &c. nonnisi voluntati rationali competere possunt.

Certum est 2. objectum illius voluntatis esse bonum quodlibet, seu quodcumque ens sub ratione boni; voluntas ergo Angeli versatur circa Deum, seipsum, alios Angelos, homines & alias creaturas, quatenus in omnibus aliqua ratio boni inveniri potest. Ratio autem boni triplex distinguitur, honestum scilicet, jucundum & utile; ac proinde Angelus ferri potest in finem & in media.

Certum est 3. voluntatem Angelorum distingui tum a substantia angelica, tum ab intellectu : distinguitur autem ab utroque, distinctione duntaxat virtuali, quemadmodum generatim una potentia ab alia & a propria substantia distingui solet. Vide quæ supra diximus Articulo primo præcedentis Quæstionis.

His præsuppositis, tria hic solum suscipimus examinanda circa proprietates & characteres voluntatis angelicæ.

I. an agelica voluntas revera sit libera.
II. circa quæ objecta libera sit.
III. denique an sit immutabilis.

ARTICULUS PRIMUS.

An angelica Voluntas sit libera.

OBservandum libertatem esse indifferentiam activam omnibus vinculis necessitatem inferentibus expeditam. Duplex autem distinguitur libertas, exercitii seu contradictionis, quæ est indifferentia ad actum vel non actum; & libertas specificationis seu contrarietatis, quæ est indifferentia ad actum unum vel ad oppositum, ad bonum, v. g. vel ad malum.

CONCLUSIO.

Admittenda est in Angelis libertas. Ita S. Thomas 1. p. q. 59. art. 3.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis ex quibus ostenditur Angelos esse capaces justitiæ, sanctitatis, meriti, præcepti & peccati seu culpæ moralis. Referuntur autem hæc loca in decursu Tractatus. Porro sine libertate hæc stare non possunt: liberum quippe arbitrium necessarium est ad merendum vel demerendum, uti constabit ex dicendis in Tractatu de gratia; ergo, &c.

Probatur 2. ex sanctis Patribus qui unanimi

mi calculo Angelos libertate donatos affirmant. Sic sanctus Augustinus L. 22. de civ. Dei c. 1. *Qui* (Deus) *liberum arbitrium eidem naturæ intellectuali tribuit tale, ut si vellet deserere Deum, continuo miseria esset secutura*. Idem docent SS. Basilius Lib. de Spiritu sancto cap. 16. Greg. Nazianz. Oratione 38. Greg. Nyssen. Leo Magnus, Gelasius, &c. ergo, &c.

Probatur 3. ratione theologica. Libertas arbitrii sequitur intelligentiam seu rationem: atqui Angeli habent perfectam rationem seu intelligentiam; ergo & libertatem. Minor constat ex dictis superiori Quæstione. Major vero probatur inductione: etenim suprema intellectualis natura, nempe divina, eo ipso quod intellectualis est, libera est; infima etiam rationalis natura, videlicet humana, libertate donatur ex eo quod intelligentia & ratione polleat; ergo idem dicendum de natura intellectuali media, id est angelica. Rationem hanc nobis suppeditat S. Damascenus Lib. 2. cap. 3. his verbis: *Est Angelus natura sua intelligens, arbitrii libertate præditus.·. quoniam id omne quod ratione utitur, libertate quoque præditum est.*

Et vero libertas spectat ad perfectionem naturæ intellectualis, alioqui Deo non inesset; ergo natura intellectualis Deo vicinior & propinquior, qualis est angelica, libertate maxime donari debet.

Qua autem ratione Angelorum confirmatio in gratia, & obfirmatio in malo concilientur cum eorum libertate, commodius discutiemus ubi tractabimus de Gloria bonorum & Pœna malorum Angelorum.

ARTICULUS II.

Circa quæ objecta Voluntas Angeli sit libera.

CErtum est ac indubitatum Angelos Deum clare ac intuitive videntes liberos non esse circa amorem Dei visioni beatificæ correspondentem: summum enim bonum, dum intuitive videtur, nullam in intellectu relinquit judicii indifferentiam, totamque voluntatis capacitatem replet, adeoque non potest non amari; igitur de hoc non movetur quæstio: verum quæritur an voluntas angelica ab omni gratia, Dei dono, statuque termini abstracta, possit cessare ab omni actu: an seipsum semper ac necessario amet, & utrum necessario Deum aut quodlibet aliud objectum diligat. Hæc autem quæstio ut facilius solvatur.

Observandum 1. omnem actum voluntatis ex amore seu dilectione derivari, licet non sit formaliter amor. Idipsum expresse docet Doctor angelicus 2. 2. qu. 17. art. 8. *Spes*, inquit, *& omnis appetitivus motus ex amore derivatur*. Idem antea dixerat S. Doctor. 1. 2. quæst. 25. art. 1. & 2.

Observandum 2. cum eodem sancto Doctore, duplicem distinguendum esse amorem, naturalem scilicet seu necessarium; alterum electivum seu liberum.

Amor naturalis hic vocatur, qui elicitur a voluntate ut est natura, ad unum scilicet ex inclinatione naturæ determinata; sive qui est quidem actus voluntatis, sed necessarius saltem quoad specificationem.

Amor electivus seu liber, ille est qui ex electione procedit; seu qui elicitur a voluntate

tate ut est facultas ad utrumlibet active expedita.

Observandum 3. amorem naturalem seu necessarium, alium esse necessarium duntaxat quoad specificationem, liberum autem quoad exercitium : alterum vero necessarium, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium. His præsuppositis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli tenentur ad aliquem actum voluntatis semper ac necessario exercendum. Hanc ut probabiliorem defendimus sententiam.

Probatur 1. Hoc admittendum est in Angelis, quod cum sit perfectius, est ipsis possibile nullamque involvit contradictionem: sed talis est hæc necessitas ad aliquem actum voluntatis semper ac necessario exercendum; actus enim est perfectio potentiæ: porro possibile est angelicæ naturæ hoc perpetuum voluntatis exercitium, neque in eo Angelus lassatur aut fatigatur; ergo, &c.

Probatur 2. Ad illud necessitatur voluntas, in quo nulla ratio mali invenitur, nec in ejus carentia ratio boni apprehendi potest, hac enim ratione amor Dei in Patria necessarius probatur : sed in carentia omnis actus voluntatis nulla ratio boni cogitari potest, nec in actuali exercitio alicujus actus indeterminate sumpti, potest inveniri ulla ratio mali; cum & melius sit actu operari quam ab omni actione cessare, & aliunde in tota actuum latitudine non possunt non esse multi convenientes; ergo, &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli semper seipsos amant aliquo naturali amore. Ita S. Thomas hic.

Probatur. quia naturali appetitu desiderant sibi aliquod bonum, nimirum suam perfectionem.

Et vero ex dictis Conclusione prima, Angeli semper aliquem exercent voluntatis actum: atqui omnis naturalis actus voluntatis est quidam innatus amor sui, quo unusquisque juxta necessariam naturæ inclinationem suam beatitudinem quærit in cujuslibet objecti aut fuga aut prosecutione, hæc autem inclinatio, uti docet S. Thomas 1. p. q. 60. art. 1. ad 3. semper est recta, utpote ab auctore naturæ indita; ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Probabilius videtur amorem illum naturalem quo Angeli seipsos diligunt, necessarium esse, tum quoad specificationem, tum etiam quoad exercitium.

Probatur: quia Angelus seipsum necessario, non tantum quoad specificationem, sed etiam quoad exercitium, cognoscit; ea autem cognitio est sufficiens ad causandum sui amorem, nec Angelus potest ullam causam reperire quæ ipsum moveat ad cessandum ab illo amore; ergo, &c.

Et certe actus quo Angelus seipsum diligit, est omnino proportionatus voluntati angelicæ, nec obstat cuilibet alteri operationi; ergo est necessarius etiam quoad exercitium.

QUAR-

QUARTA CONCLUSIO.

Angeli seipsos diligunt dilectione electiva, id est, amore libero. Ita etiam S. Thomas hic.

Probatur. In tantum quis amat seipsum dilectione electiva, in quantum sibi desiderat aliquod bonum per electionem: porro Angeli sibi desiderant aliquod bonum ex libera electione, ut scientiam, sapientiam, & alia hujusmodi; ergo, &c.

QUINTA CONCLUSIO.

Angeli naturali dilectione diligunt Deum plus quam seipsos.

Probatur ratione sancti Thomæ. Quælibet pars magis diligit naturaliter suum totum quam seipsam; videmus enim quod naturaliter pars se exponat ad conservationem totius; sicut manus exponitur ictui absque deliberatione, ad conservationem totius corporis: porro Angeli sunt partes universitatis; ergo magis diligunt naturaliter bonum commune universi, hoc est, Deum, quam seipsos.

Accedit quod si Angelus plus se quam Deum naturaliter diligeret, sequerentur tria absurda. Primum, quod naturalis dilectio esset perversa, utpote minus diligens id quod est magis diligibile. Secundum, quod Deus esset auctor perversi illius amoris, siquidem *dilectio naturalis est quædam naturalis inclinatio naturæ indita a Deo*, ait S. Thomas Quodlibeto 1. art. 8. Tertium, quod hæc naturalis dilectio non perficeretur per supernatu-

naturalem, sed destrueretur; cum tamen gratia non destruat naturam, naturalemque amorem, sed perficiat; ergo, &c.

Licet autem Angeli naturali propensione ferantur in dilectionem Dei super omnia, non est tamen ipsis necessaria hæc dilectio, si abstrahantur a statu termini; sic enim spectari possunt se a Deo avertere, ad creaturas convertere imo & Deum odio habere: sic enim aliquando eorum plurimi peccaverunt, imo dæmones, divina eos cruciante justitia, omnipotentem scelerum vindicem, odio habent.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra secundam Conclusionem. Omnis dilectio aut est recta, aut non recta: dilectio autem recta pertinet ad charitatem; dilectio vero non recta pertinet ad vitiosam cupiditatem: porro charitas est supra naturam, vitiosa autem cupiditas locum non habet in Angelis; ergo nulla est in ipsis dilectio naturalis.

Resp. cum S. Thoma 1. p. q. 60. art. 1. ad 3. non omnem dilectionem rectam pertinere ad charitatem: omnis enim dilectio naturalis, cum sit ab auctore naturæ, semper est recta, & tamen est aliquid minus charitate, per quam Deus diligitur ut supernaturaliter cognitus. *Dicendum*, inquit S. Doctor loco mox laudato, *quod sicut cognitio naturalis semper est vera, ita dilectio naturalis semper est recta; cum amor nihil aliud sit quàm inclinatio naturæ indita ab auctore naturæ; dicere ergo quod inclinatio naturæ non sit recta, est derogare auctori naturæ. Aliatamen est rectitudo dilectionis naturalis, & alia est re-*

rectitudo charitatis & virtutis; quia una rectitudo est perfectiva alterius: sicut etiam alia est veritas naturalis cognitionis, & alia est veritas cognitionis infusæ vel acquisitæ. Licet ergo charitas sit supra naturam, vitiosa autem cupiditas locum non habeat in Angelis in puris naturalibus, inde non sequitur nullam esse in ipsis dilectionem naturalem.

Objicies 2. contra tertiam Conclusionem. Dæmones vellent se non esse: ergo non se amant necessario.

Resp. nego conseq. non enim volunt non esse, nisi apprehendendo, non esse, tanquam sibi bonum, ut scilicet ita liberentur ab infelicitate in qua sunt.

Instabis: Amor quo dæmones se naturaliter amant, pravus est; ergo non potest esse necessarius, tum quoad specificationem, tum quoad exercitium.

Resp. nego ant. quamvis enim ille dæmonum amor pravus sit, quo seipsos diligunt ex electione seu libere, eo quod non recta intentione se diligant, amor tamen eorum naturalis, qui est inclinatio naturam voluntatis necessario consequens, non est pravus.

Objicies 3. contra quintam Conclusionem: Nemo potest solis naturæ viribus Deum diligere super omnia, quemadmodum docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 109. art. 3. ergo Angeli non diligunt naturaliter Deum plus quam se.

Resp. 1. cum Sylvio 1. p. q. 60. art. 5. negando conseq. quia *naturaliter* hoc loco non idem sonat quod solis naturæ viribus, sed perinde est ac si diceretur, ex naturali inclinatione & propensione: porro, ut observat idem auctor 2. 2. q. 26. art. 3. non omnis incli-

clinatio naturalis ejusmodi est, etiam præveniendo naturæ corruptionem, ut sola naturæ vi possit impleri; nam anima separata naturaliter inclinatur ad corpus, cui tamen conjugi non potest nisi per virtutem supernaturalem.

Resp. 2. cum eodem Sylvio ibidem, distinguo ant. nemo potest propriis viribus Deum super omnia diligere dilectione elective & libera, esto: naturali seu necessaria, nego. Unde quod in nostra Conclusione diximus, S. Thomas communiter de Angelo & homine docet 1. p. q. 60. art. 5. quod *naturali dilectione plus & principalius diligat Deum quam se.*

Resp. 3. cum S. Thoma 1. p. q. 109. art. 3. 2. 2. q. 26. art. 3. cui subscribunt Estius in 2. dist. 26. paragr. 38. Sylvius 1. 2. q 109. art. 3. Alvares Lib. 6. de auxiliis disput. 2. Abulens. quæst. 177. in cap. 19. Matth. &c. quod in statu pure naturali; si nimirum homo conditus esset cum bonis naturæ extra gratiam (idem dicendum de Angelo) ipse ex viribus naturæ absque Dei gratia posset Deum ut naturæ & naturalis beatitudinis auctorem super omnia diligere. Ratio Doctoris angelici est; 1. quia sic diligere Deum est bonum connaturale homini, nec natura fuisset peccato vitiata; 2. quælibet pars naturaliter magis diligit suum totum quam se ipsum; 3. homo sic conditus habuisset præceptum diligendi Deum super omnia; nec tamen in illo statu fuisset ei præscriptum, aliquid operari supra facultatem naturæ. Verum de his fusius ubi de Gratia.

AR-

ARTICULUS III.

De immutabilitate Voluntatis angelicæ.

OBservandum est hic quæstionem moveri de adhæsione voluntatis angelicæ alicui objecto post factam electionem, & quæritur utrum firma sit & immutabilis hæc adhæsio, vel non? Duplex autem est sententia e diametro opposita: prima est plerorumque Thomistarum qui duce sancto Thoma existimant Angelos firmiter & immutabiliter adhærere objecto, secunda est ceterorum Theologorum quorum doctrina est, Angelos ita eligere aliquod objectum, ut possint facta electione mutare sententiam.

CONCLUSIO.

Sicut libere eligit Angelus, ita libere potest electionem mutare: ac consequenter facta etiam electione non est immutabilis angelica voluntas.

Probatur 1. ex illis SS. Patribus qui præsentem voluntatis angelicæ immutabilitatem gratiæ tribuunt. S. Fulgentius L. de fide ad Petrum c. 23. *Hoc ipsum quod ∴ mutari deterius non possunt, non est eis naturaliter insitum, sed postquam creati sunt gratiæ divinæ largitate collatum est.* Isidorus L. 1. de summo bono c. 12. *Gratia dicimus, non natura, esse immutabiles Angelos, nam si natura immutabiles essent, diabolus non utique cecidisset.* Quam autem angelicam immutabilitatem gratiæ tribuunt hi SS. Patres, ex divina eam desertione desumit pro malis Angelis S. Augustinus L. 22. de civ. Dei c. 1.

Por-

Porro si ex natura immutabiles essent Angeli in semel arrepto proposito, vana falsaque esset ex gratia quæ a SS. Patribus reperitur immobilitas; ergo &c.

Probatur 2. evertendo adversariorum principium. Ideo enim immutabiles asseruntur Angeli, quia eorum intellectus immobiliter objectum apprehendit, omnesque rationes amoris & odii attingit ante electionem: sed, quidquid sit de hac apprehensionis immobilitate, de qua Quæstione præcedenti non idcirco probatur voluntatem angelicam esse immutabilem: nam hac apprehensionis immobilitate non imponitur voluntati angelicæ necessitas ante electionem; ergo neque post electionem factam: sicut enim apprehensis amoris & odii rationibus potest Angelus alterutram eligere partem; ita etiam facta electione iisdem rationibus positis suam potest mutare voluntatem; ergo, &c.

Dices: Angelus non potest suam mutare electionem, nisi aliqua influente ratione ab intellectu proposita: atqui ubi intellectus ante electionem immobiliter apprehendit objectum, nulla potest admitti ratio quæ moveat voluntatem contra electionem jam factam; ergo si semel admittatur intellectum Angeli immobiliter apprehendere objectum, admittendum est quoque voluntatem angelicam esse immutabilem.

Resp. nego min. prop. nam sicut ante electionem nulla erat in intellectu ratio quæ voluntatem necessario inclinaret in unam partem præ alia, ita etiam nulla potest assignari post electionem jam factam; & quemadmodum positis odii & amoris rationibus voluntas angelica potest pro nutu amorem aut

odium

odium eligere, cum nullum ex his motivis ei necessitate inferat, ita quoque jam facta electione contrarium amplecti potest.

Neque idcirco dicendum erit, sine ratione angelicam voluntatem a jam facta electione deficere: aliquid quippe est intellectum nullam proferre rationem mutandæ electionis; & aliud, ipsum non proponere novam rationem illius mutationis. Equidem si intellectus angelicus immobiliter & absque discursu apprehendit objectum, non potest novum proponere novæ electionis fundamentum; at cum jam semel facta electione permaneant in intellectu rationes quibus moveri poterat voluntas ad contrarium eligendum, nihil obstat quominus Angelus eas pro nutu amplectatur, sicut ante quemcumque actum liberum eas pro nutu amplecti potuit: ac proinde nulla de novo accedente ratione, sed antiquo perseverante motivo, recte potest voluntas angelica eam mutare sententiam, quam ut libere fuerat amplexa, ita libere potest rejicere.

Ratio a priori est, quia quandiu intellectus voluntati liberæ nullam infert necessitatem, tandiu hæc voluntas potest aut ab omni actu cessare; quia proposito non perfecte satiatur objecto; aut actum mutare, quia propositum ab intellectu objectum rationem subministrat, ob quam amore vel odio pro voluntatis nutu dignum videtur.

QUÆSTIO QUINTA.

De Potentia motrice.

POtentiæ motricis nomine, illam intelligimus virtutem qua Angelus & seipsum de loco

loco in locum transfert, & substantias a se distinctas varie movet ac exagitat. Unde quatuor erunt præsentis Quæstionis Articuli. Primus de loco Angelorum, secundus de eorum motu, tertius de natura potentiæ motricis relative ad substantias ab Angelo distinctas, quartus tandem de iis ad quæ se extendit hæcce potentia motrix.

ARTICULUS PRIMUS.

De Loco Angelorum.

PLurima hic quærunt Veteres: at cum ex iis nonnulla nullius pene momenti sint, tria duntaxat investigabimus: primum, an Angelus sit in loco; secundum, quomodo Angelus sit in loco; tertium, per quid Angelus sit in loco.

An Angelus sit in loco.

Hervæus de motu Angeli q. 1. art. 1. docet Angelum non esse in loco, sed tantum in loco operari, affertque in gratiam suæ sententiæ S. Augustinum L. 83. quæstionum q. 20. & Lib. 8. de Genesi ad Litteram c. 20. & 26. & Damascenum L. 1. c. 17. Ad hanc sententiam accedere videntur ex Recentioribus qui contendunt spiritum non esse in loco, sed ibi esse de quo cogitat.

Durandus in 1. dist. 37. asserit Angelum esse ubicumque simul vel successive operari potest; cum ergo potestatem habeat in singula universi corpora, per totum diffunditur orbem, non quidem præsentia situs, cujus Angelum incapacem opinatur Durandus, sed præsentia, ut ait, ordinis, quatenus ordinem dicit ad singula in quæ valet operari.

PRI-

PRIMA CONCLUSIO.

Angelus est vere in loco.

Probatur 1. ex Scriptura in qua varius assignatur Angelorum locus: de bonis enim Angelis dicitur Marci 13. *De die illo vel hora nemo scit, neque Angeli in cœlo.* Lucæ 2. *Discesserunt ab eis Angeli in cœlum.* Matth. 28. *Angelus Domini descendit de cœlo*, &c.

De malis autem Angelis asserit S. Petrus 2. Epist. 2. quod Deus *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* Verus ergo datur Angelorum locus; ac proinde & ipsi vere sunt in loco.

Probatur 2. ex SS. Patribus qui expresse asserunt Angelos esse creatos in cœlo, unde cœlum S. Gregorius Nyssen. Oratione de infantibus, vocat *naturale domicilium Angelorum*; alii dicunt Angelum circumscribi loco, moveri localiter &c. quosdam illorum textus referemus Conclusionibus sequentibus.

Probatur 3. ratione. Quod non existit in loco, nullibi existit: sed quod nullibi existit realiter non existit, existens quippe substantia alicubi reperitur & est; ergo quidquid existit illud est vere in loco. Igitur cum Angeli realiter existant, sunt vere in loco.

SECUNDA CONCLUSIO.

Finitus atque limitatus est locus a quolibet Angelo occupatus.

Probatur 1. ex Scripturæ locis superiori Conclusione adductis, in quibus Angeli dicuntur mutare loca, ab uno ad alium locum mitti, transferri, ejici, &c.

Pro-

Probatur 2. ex SS. Patribus qui asserunt Angelos loco circumscribi, sic S. Gregorius L. 3. Moralium c. 2. Porro hæc verba necessario important fines & limites ratione loci. Unde S. Ambrosius ait L 1. de Spiritu sancto c. 10. *Seraphim de loco ad locum tranfit; non enim complet omnia*; ergo ex SS. Patribus limitatus est, quem Angelus occupat, locus.

Probatur 3. ratione. Cum Angelus sit in loco, ex Conclusione prima, si ille locus non sit finitus & limitatus, sed sese extendat, ut vult Durandus, ad ea omnia quæ virtuti angelicæ possunt successive subjici, jam immensa erit agnoscenda Angeli substantia; etenim hæc tria velut certa supponi debent: 1. Angelum habere hanc suam extensionem a sua natura & virtus operandi; ac proinde ad ea sese extendere, actu quæ suæ possunt virtuti subjici, ita ut sit jam præsens iis omnibus locis in quibus aliquid operari valet; 2. mundum corporeum in infinitum posse extendi; 3. nullum esse corpus quod non possit saltem per partes virtuti angelicæ subjici: porro his tribus suppositis angelica substantia ad quæcumque loca extendi concipitur; ergo, &c.

Dices contra primam Conclusionem. Quidquid est in loco, debet correspondere variis partibus loci quem occupat; iis autem correspondere nequit nisi per partes proprias, quarum una uni loci parti respondeat, altera alteri, &c. atqui Angelus, utpote spiritus, partium est expers; ergo, &c.

Resp. conc. maj. ad cujus probationem distinguo: non potest correspondere nisi per partes proprias, aut reales, aut virtuales, concedo: nisi per partes proprias, easque reales & a se invicem actu distinctas, nego.

Equi-

Equidem substantia existens in loco illius partibus correspondere debet; nec potest dari talis correspondentia, nisi hæcce substantia singulis loci partibus correspondeat: at partes virtuales sufficiunt ad hanc correspondentiam, cum realibus & a se invicem actu distinctis æquivaleant; sic quippe exponitur immensa Dei diffusio qua præsens est omnibus corporibus. Porro Angelus, sicut & quilibet spiritus partes habet virtuales quibus totus ponitur extra se totum; nihil igitur vetat Angelum esse vere & realiter in loco.

Quæres utrum locus ab Angelo occupatus ad magnum sese extendat spatium.

Resp. plane nobis incertam esse loci ab Angelo occupati peripheriam, sicut & nobis incognita est ejusdem loci dimensio; verum certum est quosdam dari illius fines, quilibet tandem ii sint; probabile quoque videtur Angelum unum posse sese extendere ad majus spatium quam alterum Angelum, cum possit dari Angelus unus Angelo alio perfectior: probabile adhuc est, Angelum determinati suæ naturæ loci modo plus modo minus posse occupare spatii; quemadmodum, servata semper proportione inter spiritum & materiam, corpus quod cedit compressioni, modo minus, dum comprimitur, modo majus, dum ipsi nulla vis infertur, spatium replet & occupat: porro si integrum illud occupet spatium, hic erit adæquatus Angeli locus; si ad aliquam duntaxat sese extendat prædicti spatii partem, hic erit locus Angeli inadæquatus.

Quomodo Angelus sit in loco.

Duplici modo res aliqua esse potest in loco circumscriptive scilicet, & definitive. Est

in

in loco circumscriptive dum per varias sui partes variis correspondet spatii partibus; est autem in loco definitive, dum tota est in toto loco, & tota in qualibet parte loci.

CONCLUSIO.

Angeli non sunt in loco circumscriptive, sed duntaxat definitive.

Probatur prima pars. Quidquid existit in loco circumscriptive, illud habet partes varias & reales quæ singulæ singulis respondeant loci partibus: atqui Angeli, utpote substantiæ omnino immateriales, nullas habent varias ac reales partes; ergo, &c.

Probatur secunda pars. Ex superius dictis, rem aliquam esse in loco definitive, est eam totam esse in toto loco, & totam in qualibet parte loci; atqui substantia simplex & expers partium, quales sunt Angeli, non potest vere esse in loco, quin sit tota in toto, & tota in qualibet parte loci; ergo, &c.

Per quid Angelus sit in loco.

Duplex est generatim circa præsentem controversiam sententia: prima eorum est qui dicunt Angelum esse in loco per solam præsentiam substantiæ suæ indistantis a loco: tales sunt Scotistæ. Secunda Thomistarum est asserentium Angelum in loco constitui per operationem. Verum & ii dividuntur: alii quippe solam admittunt operationem proprie dictam; alii ut Nazarius & Sylvius, nomine operationis intelligunt applicationem virtutis ad operandum, etiamsi operatio non sequatur, Deo nolente, aut alia de causa, aut etiam ex libero Angeli arbitrio; quemadmo-

admodum si quis sese applicet ad trahendam navem. Tandem Estius & alii docent nomine operationis intelligi debere operationem communiter dictam, quæ quamcumque unitionem importat operando; applicando virtutem, præsidendo, continendo, invigilando, impedimenta removendo, &c.

CONCLUSIO.

Angelus est in loco per solam præsentiam substantiæ suæ indistantis a loco.

Probatur. Vel Angelus formaliter constituitur in loco per solam præsentiam suæ substantiæ, vel per operationem, quidquid tandem intelligatur nomine operationis: atqui Angelus non constituitur in loco per operationem: tum quia sicut prius est esse quam operari, ita prius est esse in loco quam in loco operari: tum quia si nullum esset corpus in quod operari posset Angelus, nihilominus tamen in loco adhuc intelligeretur: tum quia tandem recte concipitur existens in loco, etiamsi non concipiatur operans aut etiam applicans suam operandi virtutem; ergo Angelus formaliter constituitur in loco per solam præsentiam suæ substantiæ indistantis a loco.

Objicies 1. Si Angelus est in loco per suam substantiam, aut censetur occupare aliquantum spatium, aut indivisibilem illius spatii partem; sed secundum repugnat, neque enim datur locus indivisibilis; primum quoque admitti non potest, tunc quippe Angelus esset secundum substantiam extensus; ergo Angelus non est in loco per suam substantiam.

Resp. Angelum in loco aliquantum spatium oc-

occupare, illiusque partibus respondere per partes suas virtuales, quemadmodum Deus etsi spiritus, inextensus & indivisibilis, per virtuales suæ immensitatis partes singulis correspondet locorum partibus.

Objicies 1. Deus potuisset Angelos creare ante mundum corporeum; sed in ea hypothesi non fuissent in loco, nulla quippe tunc extitisset extensio; ergo ratione suæ substantiæ non sunt in loco.

Resp. nego min. namque ante mundi creationem erat locus internus, quæcumque sit natura illius loci, sive enim sit spatium quoddam reale, negativum, æternum & immensum, ut volunt plurimi post Gassendum; sive sit immensitas ipsa divina cum suis partibus virtualibus, ut docent Thomistæ, nihilominus semper extabat locus ille ante mundi creationem: si ergo ante illam creati fuissent Angeli, vere extitissent in loco, & substantia illorum de facto correspondisset cuidam parti determinatæ illius loci interni.

ARTICULUS II.

De Motu Angelorum.

Circa motum Angelorum tria potissimum quæruntur. Primum, utrum Angeli moveantur motu locali. Secundum, an moveantur in instanti. Tertium, num moveantur impertransito medio. Quid de his tribus sentiendum sit paucis aperiemus.

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli moventur motu locali. Hæc Conclusio certa est apud omnes,

Pro-

Probatur 1. ex Scripturis, tum ex veteri Testamento ex Genes. 18. & 19. ubi Angeli leguntur venisse ad Abraham & Loth. Tum ex novo Testamento Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel.* Matth. 28. *Angelus Domini descendit de cœlo, & accedens revolvit lapidem.* Ex his porro & aliis Scripturæ locis constat Angelos nulli loco esse necessario adstrictos, sed posse a loco in locum transire; ergo, &c.

Probatur 2. ex SS. Patribus, unus sufficiat S. Ambrosius L. 1. de Spiritu sancto c. 10. *Seraphim de loco ad locum transit. Seraphim descendit cum aliquo secundum naturam suam transitu.* Eadem est omnium sanctorum Patrum doctrina, ex qua liquet Angelos esse capaces motus localis; ergo, &c.

Probatur 3. ratione. Nulla potest assignari causa quæ Angelos certo cuidam loco adstrictos detineat: quæ enim illa esset? non natura Angeli; namque nullum ex se exigit locum, & ad quemlibet concipitur indifferens; ergo nulli loco Angelum alligat: non voluntas libera omnipotentis; de tali quippe voluntate nulla probatio afferri potest: non tandem incapacitas ad motum, cum Angelus, utpote spiritus, sit activus; ergo Angelus potest se movere motu locali.

SECUNDA CONCLUSIO.

Citissimo motu sese movent Angeli, non tamen instantaneo.

Probatur prima pars. Illa substantia citissime movetur quam nulla gravat moles, nullus obex moratur: atqui talis est Angelus. Hinc Psaltes regius eum vento & igni comparat: *Qui facit Angelos suos spiritus, &*

ministros suos ignem urentem; ergo citissimus est Angelorum motus.

Probatur secunda pars, nempe Angelos non moveri in instanti. Ita censet S. Augustinus L. 12. de civit. Dei cap. 15. & S. Thomas hic. Idem etiam tradit S. Bernardus sermone 78. in Cantica, dum ait: *Angelus non absque motu operatur tam locali quam temporali.*

Equidem fateor quod non ita opinari videantur nonnulli SS. Patres ut Tertullianus Apolog c. 22. & S. Petrus Chrysologus sermone 2. Verum forsan benignius interpretandi sunt, & de motu citissimo intelligendi, cum asserunt Angelos momento totum orbem peragrare; neque enim usque adeo urgenda illorum verba. Ceterorum quidquid sit de illorum sententia, SS. Augustino, Bernardo & Thomæ hic potissimum adhæremus.

Et vero ea est motus localis natura, ut ejus velocitas concipiatur posse augeri in infinitum; suscipit quippe hæc velocitas magis & minus, atque partes spatii decurrendi sunt in infinitum divisibiles: sed ubi velocitas motus potest augeri in infinitum, jam nullus est motus ita velox quo velocior dari non possit: porro si agnosceretur in Angelis motus instantaneus, illo velocior dari non posset, cum velocitas cujuscumque motus pensetur ex spatio quod decurritur relative ad tempus per quod decurritur illud spatium; ergo, &c.

TERTIA CONCLUSIO.

Angeli non possunt mutare locum impertransito medio.

Probatur. Ea concipitur motus localis natura, ut sit essentialiter successivus, tum ratio.

tione temporis, tum ratione spatii: & sicut motus successivus ratione temporis tria necessario importat instantia; ita motus successivus ratione spatii tres exigit spatii partes: prima ea est a qua se movere incipit substantia; secunda est terminus ad quem pervenit substantia mota; tertia est spatium per quod fit transitus a termino *a quo* ad terminum *ad quem*; ergo, &c.

ARTICULUS III.

De natura Virtutis motricis Angelorum relative ad substantias ab ipsis distinctas.

DAri in Angelis virtutem seipsos & alia a se movendi, consentiunt omnes: at quæritur utrum hæc virtus sit moralis duntaxat seu occasionalis; vel physica, idest efficiens. Doctrina est quorumdam Recentiorum, omnem creaturam, ac proinde & Angelos, esse tantum causam occasionalem cujuscumque modificationis corporeæ, Deumque solum habere rationem causæ physicæ & efficientis.

Quæri etiam adhuc potest, utrum virtus motrix Angelorum distinguatur ab intellectu & voluntate: alii enim intellectui angelico, nonnulli voluntati adscribunt hanc motricem potentiam, ceteri eam ab utraque prædicta facultate distinguunt: Quid de his duabus quæstionibus sit sentiendum sequentes aperient Conclusiones.

PRIMA CONCLUSIO.

Virtus motrix Angelorũ est physica & efficiens.

Probatur 1. ex iis Scripturæ locis in quibus Angelorum facta recensentur: sic bonis An-

gelis tribuuntur Sodomitarum concrematio, colluctatio cum Jacob, cædes primogenitorum Ægypti, custodia Israelitarum per desertum, liberatio trium puerorum e fornace Babylonica, translatio Habacuc, revolutio lapidis ab ostio monumenti, solutio catenarum Petri, &c.

Malis vero operantibus Angelis Job est afflictus, concussa illius domus, necati filii, consumpti & greges & pastores; Achab decipitur, Magi Ægyptii monstra producunt, homines obsidentur, grex porcorum mare petit, puella Pythone exagitatur, &c.

Porro hæc omnia juxta sensum litteralem de effectione reali & physica sunt intelligenda, cum nihil exigat ut detorqueantur in sensum metaphoricum; ergo Angeli non sunt meræ causæ occasionales motus, ceterarumque modificationum quæ ipsis attribuuntur.

Et vero ex his Angelorum effectibus mox recensitis plurimi Deo non solum permittente, sed volente & jubente, sunt patrati: atqui si voluntas divina esset unica causa efficiens cujuscumque modificationis, inutilis prorsus fuisset voluntas angelica ad eorum effectuum productionem: quis enim fuisset illius usus? num ut voluntates Dei generales determinaret ad casus particulares? Ita quidem respondent qui hic nobis adversantur: sed 1. jam Deus fuisset Angelorum minister; nempe desiderante Angelo, illiusque voluntati obsequente Deo omnipotente, Mosaica lex datur, cremantur Sodomitæ, occiduntur Ægyptii, Israelitæ liberantur, Job affligitur, dæmoniaci torquentur &c. 2. pessumdatur providentia Dei specialis, Angelis est tribuenda peculiaris de rebus inferioribus

bus cura: ipsi scelus vindicant, virtutem remunerantur, justorum vires tentant &c. hæc autem quam sint absurda nemo non videt. Restat ergo ut Angeli physicum Deo jubenti aut permittenti obsequium præstent, ac proinde est in Angelis agnoscenda virtus motrix realis & physica.

Probatur 2. ex SS. Patribus, quorum hæc unanimis est & constans doctrina Angelos plurima realiter operari. Ita Tertullianus Lib. 5. contra Marcionem, L de patientia & in Apologetico; Lactantius, Justinus Apologia 2. Minutius Felix, Origenes L. 5. contra Celsum, S. Chrysostomus in Ep. ad Coloss. Cassianus collatione 7. S. Hieronymus in c. 2. Habacuc.

Verum his omnibus expressior est S. Augustinus multis in locis, ac præsertim Lib. 3. de Trinitate, in quo ut probet Deum solum esse creatorem & universi rectorem, non recurrit ad adversariorum principium, quo nulla facilior solutio dari potest ad exponendos mirabiles dæmonum effectus, sed ait cap. 9. *Mali Angeli pro subtilitate sui sensus in occultioribus elementorum seminibus norunt, unde vanæ serpentesque nascantur, & hæc per certas & notas temperationum opportunitates occultis motibus adhibendo faciunt creari, non creant.* Et paulo post: *Qualibuscumque Angelis vicinas causas ab elementis contrahere, quanto facilius est, tanto mirabiliores in hujusmodi operibus eorum existunt celeritate. Sed non est creator, nisi qui principaliter ista format .·. & ipse est unus creator Deus, ex cujus ineffabili potentatu fit etiam ut quod possint hi Angeli si permitterentur, ideo non possint, quia non permittuntur. Neque enim occurrit alia*

ratio, cur non potuerint facere minutissimas muscas, qui ranas serpentesque fecerunt nisi quia major aderat dominatio prohibentis Dei &c.

Ex isto longiori textu patet quæ sit sententia S. Augustini. Etenim probat Angelos non creare, non quia non agunt, sed quia ad nutum voluntatis divinæ agentes, occultis motibus diversa semina rerum celeriter temperantes mirabilia operantur. Ergo S. Doctor agnoscit in Angelis veram motricem potentiam, occulte quidem sed realiter operantem, dum permittit aut jubet Deus.

Probatur 3. ratione: Non potest denegari Angelis hæc virtus physice activa, nisi quia repugnat aut naturæ modificationis generatim, in quantum modificatio exigerat causam infinitæ virtutis, aut naturæ motus, quasi non posset produci nisi per impetum physicum, aut naturæ spiritus, nempe quatenus spiritus non posset agere in corpus: atqui nullum horum dici potest.

I. ea non est modificationis natura, ut non possit produci nisi a causa infinitæ virtutis: namque certum est tum fide tum ratione, dari creaturas liberas, ac proinde active indifferentes; ergo virtus activa creaturis competit: sed hujus virtutis activæ terminus profecto est ipsa modificatio, intellectio scilicet, volitio, &c. ergo natura modificationis non exigit causam virtutis infinitæ ut producatur.

II. non est de essentia motus ut producatur per impetum physicum in corpus, siquidem Deus non potest essentias mutare, nec efficere quod repugnat; attamen de facto motum producit, idque sola sua voluntate absque ullo impetu physico in corpus quod movet, talis quippe impetus mutuam resistentiam

tiam & impenetrabilitatem moventis & moti exigit: atqui si de essentia motus esset ut produceretur per impetum physicum in corpus, jam Deus illud movens mutare deberet essentiam motus; ergo, &c.

III. tandem: motus corporalis non est talis ex natura sua ut non possit produci a spiritu: 1. quia producitur a Deo qui est spiritus; 2. quia spiritus potest esse causa modificationis nobilioris motu, scilicet modificationis spiritualis; ergo nihil prohibet quominus possit esse causa efficiens motus. Ac proinde nullatenus repugnat vis motrix realis, physica & efficiens quam Angelis tribunt Scriptura, Patres & Theologi omnes constanti & unanimi consensu.

Probatur 4. evertendo fundamenta adversariorum. Primum est, Deum solam esse causam efficientem cujuscumque etiam modificationis. Secundum est, quod in tantum creaturæ intelligentes dicuntur operari, in quantum desideriis suis Deum ad operationem determinant. Tertium, desideria illa semper & statim exaudiri: atqui hæc principia in se falsa sunt, & inter se duo prima pugnant.

I. hæc principia sunt falsa. Primum quidem, quia, ut jam dixi, evertit prorsus libertatem seu activam creaturarum indifferentiam; quod si modificatione liberæ a principio generali excipiuntur, jam non est de ratione causæ ut sit infinitæ virtutis, nullumque momentum assignari potest cur denegetur creaturæ virtus producendi alias modificationes. Secundum etiam, quia tunc Deus non uteretur creaturis, nec Angeli amplius essent *administratorii spiritus*, ut loquitur Apostolus; sed Deus ipse ministeret esset creatura-

rum & opificii manuum ſuarum. Tertium tandem pariter falſum eſt: quis enim mente capere poteſt, dæmones, v. g. noluiſſe præſtigiis ſuis ſemper obſcurare vera Moſis miracula? Cur ergo Deus eos non exaudivit? Quod autem dicimus de dæmonibus hoc in caſu, intelligendum quoque eſt de ceteris creaturis intelligentibus; ergo, &c.

II. prima duo adverſariorum fundamenta inter ſe pugnant: ſi enim Deus eſt auctor cujuſcumque modificationis, quomodo poſſunt creaturæ producere deſideria quibus determinatur Deus ad operandum? Deſiderium eſt modificatio; ergo non poteſt creatura illud efformare ex primo principio: ſed Deus non poteſt illud deſiderium producere, niſi determinante creatura per illud idem deſiderium, neque enim admitti debet progreſſus in infinitum; ergo nullatenus conciliari inter ſe poſſunt adverſariorum principia quibus innixi angelicam rejiciunt virtutem phyſice motricem, ac proinde &c.

SECUNDA CONCLUSIO.

Virtus motrix Angelorum virtualiter diſtinguitur ab eorum intellectu & voluntate.

Probatur. Ibi eſt virtualis diſtinctio, ubi reale agnoſcitur fundamentum illius diſtinctionis: atqui reale datur fundamentum diſtinguendi inter motricem Angelorum potentiam, eorumque intellectum & voluntatem, etenim varii ſunt illarum potentiarum effectus, diverſique termini: motus alius eſt ab intellectione & volitione, atque terminatur præciſe ad ſubſtantiam, ut eam de loco in locum transferat; ergo, &c.

Sol-

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. contra primam Conclusionem. Corpus movere, est corpus in diversis successive locis conservare: atqui Angeli non possunt physice influere in conservationem corporis, cum conservatio sit continuata creatio, ipsi autem creare nequeunt; ergo neque physice movere corpora.

Resp. nego maj. nam corpus movere, est corpus constituere præsens diversis successive locis; siquidem motus est successiva corporis præsentia variis locis; sed aliud est corpus constituere præsens diversis successive locis, & corpus conservare in diversis locis; ergo, &c. Equidem ut corpus moveatur, necessaria est illius conservatio, neque enim moveri potest corpus, nisi existat: sed non idcirco motus censetur produci per conservationem.

Ratio a priori est, quia conservatio est continuata creatio, imo ipsissima est volitio creatrix quæ censetur perseverans; proindeque actio conservatrix eumdem habet terminum ac creatio: porro terminus creationis, est substantiæ, non modificationis, existentia, & per eam sola producitur substantia: Deus enim creando vult duntaxat existentiam substantiæ cum suis attributis essentialibus, abstrahendo a diversis modificationibus accidentalibus quarum potest esse subjectum; ergo conservatio quoque terminatur ad continuandam substantiæ existentiam, abstrahendo a modificationibus quæ ipsi accidentario adveniunt, & quæ non conservantur a Deo, nisi quia substantiæ inhærent. Unde si per impossibile motus, v.g. existere posset separatus a corpore, volitio qua Deus conservaret corpus, nihil conferret ad conser-

vationem motus. Igitur modificatio non est terminus quem spectat conservatio, & volitio conservatrix non tam producit modificationem, quam eam supponit productam.

Objicies 2. Quælibet modificatio est entitas realis superaddita entitati substantiæ: sed entitas realis non potest produci nisi per creationem, cujus incapaces sunt Angeli, ergo, &c.

Resp. 1. nego maj. siquidem varii substantiæ situs diversaque in corporibus partium dispositio quascumque nobis exhibent modificationes; necesse ergo non est ad illas recurrere entitatulas quæ prorsus inutiles videntur & inintelligibiles.

Resp. 2. nego min. demus enim adversariis modificationes reales esse entitates, ipsis fatendum erit has entitates produci posse absque creatione, & per solam eductionem e substantia: siquidem, ut jam diximus, activæ sunt & liberæ creaturæ spirituales; ergo modificationes producunt, licet non sint virtute creandi præditæ, ac proinde, &c.

Objicies 3. Nulla concipitur connexio inter spiritum & corpus, ut istud moveatur ab illo: motus enim intelligitur produci per impetum physicum mutuamque moventis & moti impenetrabilitatem; spiritus autem penetrabilis est, nullamque aliam intelligitur habere actionem præter volitionem quæ sane ad motum quidquam præstare nequit; ergo Angelus non potest physice movere corpus.

Resp. hæc duo maxime inter se differre, nullam esse connexionem, & nullam concipi. Ex eo quod non concipiatur connexio inter volitionem spiritus & motum corporis, non est statim concludendum hanc connexionem

non

non esse, præsertim si ex aliis argumentis eam de facto reperiri probetur: porro inter volitionem spiritus & motum corporis realis datur connexio; Deus enim est spiritus, & tamen quodcumque movet corpus; ergo impetus & impenetrabilitas non essentialiter prærequiruntur motui.

Jam vero si mutua moventis & moti impenetrabilitas non essentialiter exigitur ad motum; & si volitio spiritus habet connexionem cum motu corporis, quid prohibet quominus agnoscamus Angelum voluntate imperante, exequente potentia motrice, posse movere corpus. Sane motus in sua idea non concipitur exigere ad sui productionem virtutem infinitam, Angelus intelligitur & est causa modificationis superioris & nobilioris motu, nempe modificationis spiritualis; ergo sat virtutis habet Angelus ut possit corpus movere, neque ulla ratio occurrit cujus pondere pressi debeamus Scripturas ad alienum & metaphoricum sensum detorquere, & a sententia, unanimi SS. Patrum & Theologorum omnium auctoritate comprobata recedere.

ARTICULUS IV.

Ad quæ se extendit Virtus motrix Angelorum.

CONCLUSIO.

Quanta sit virtus motrix Angelorum prorsus incertum est.

Probatur 1. ex S. Augustino L. 3. de Trinitate c. 9. *Quid autem*, inquit, *possint*, Angeli, *per naturam*, *nec possint per prohibitio-*

nem, & quid per ipsius naturæ suæ conditionem facere non sinantur, homini explorare difficile est, imo vero impossibile, nisi per illud donum Dei, quod Apostolus commemorat dicens, Alii dijudicatio spirituum.

Probatur 2. ratione. De his quæ pertinent ad liberam Dei voluntatem, nullum certum proferre possumus judicium, nisi præeunte atque ducente revelatione: atqui majorem vel minorem potentiam motricem Angelis tribuere istud pendet a libera voluntate Dei, cujus hoc proprium est posse plures vel pauciores gradus alicujus perfectionis concedere creaturæ; aliunde vero nulla est revelatio circa gradus potentiæ motricis Angelis concessæ; ergo, &c.

Ceterum licet non nobis plane constet de perfectione virtutis motricis Angelorum, aut de illius extensione ad objecta; quædam tamen sunt quæ, nec immerito, velut certa habentur a Theologis.

Certum est 1. Angelos non posse producere corpus absque materia præjacente: hoc enim esset creare, creatio autem soli Deo propria est.

Certum est 2. materiam corporalem non obsequi Angelis ad nutum & immediate ad trasmutationem formalem, ita ut pro solo voluntatis imperio possint immutare corpora secundum formas essentiales vel accidentales; istud docet S. Augustinus L. 3. de Trinitate cap. 8. dum ait: *Non est putandum istis transgressoribus Angelis ad nutum servire hanc visibilium rerum materiam, sed soli Deo.* Ratio autem desumitur ex eo quod certum sit, 3. Angelos teneri ad observandas leges physicas a Deo sancitas ad ordinem uni-

universi stabiliendum: tum quia aliter Angeli vera possent patrare miracula, cum miraculum sit præter & contra naturalem rerum seriem, atque adeo supra omnem virtutem causarum naturalium, unde verum miraculum opus est solius divinitatis; tum quia leges, quibus regitur universus orbis, sunt a solo Deo dependentes; ac proinde ad illarum observationem tenentur Angeli.

Igitur quæ mirabilia operantur Angeli, ea triplici modo fieri possunt.

Primus est per motum localem citissimum humanisque sensibus nullatenus obvium; sic enim unam substituere possunt substantiam in locum alterius, & ita quæ oculis offertur substantia, censetur de novo creata atque producta.

Secundus est per applicationem activorum passivis: nimirum profunda qua pollent Angeli naturæ scientia, cognoscunt varia, semina & quæ vis requiratur ad rerum efformationem; unde occultis viis substantiam videntur ad nutum aut creare aut transformare, uti docet S. Augustinus Articulo præcedenti, Conclusione prima.

Tertius modus est dum Angeli nihil quidem operantur exterius, sed secretis motibus spirituum animalium cursum in homine dirigentes, ita ei illudunt ut existimet præsentem videre substantiam, quæ tamen præsens non est.

Verum, quantacumque sit Angelorum potentia, ea divinæ subjicitur Majestatis imperio; unde ipsi ita agunt ut jussu aut saltem permissione omnipotentis inter agendum dirigantur.

QUÆ-

QUÆSTIO SEXTA.

De Auctore Angelorum.

ANgelos a Deo fuisse creatos docet fides, tradit Scriptura, Colossensium 1. *In ipso condita sunt universa in cœlis & in terra, visibilia & invisibilia, sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Hinc Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. *Firmiter*, expresse definit Deum *utramque de nihilo condidisse creaturam, angelicam videlicet, & mundanam, ac deinde humanam.*

Si ergo de Angelorum creatione silere videtur Moses, hoc fit, ut notat S. Thomas q. 61. art. 1. ad 1. vel quia sub nomine cœli & lucis comprehenduntur; vel quia cum judaicus populus rudis esset & ad idololatriam proclivis, ideo de iis siluit Moyses, ne adorarent Israelitæ quod intelligere non poterant, utpote supra materiam & sensus elevatum: eorum tamen postea sæpius meminit idem sacer auctor, nempe quoties illos probare potest Dei administros.

Igitur prætermissa disputatione de creatione Angelorum, quæ nullam videtur facessere difficultatem, duo duntaxat inquiremus; scilicet quando & quo in loco creati fuerint Angeli.

ARTICULUS PRIMUS.

Quando creati fuerint Angeli.

DUplex est circa præsentem materiam controversia: prima est de tempore creationis Angelorum; secunda, utrum aliquid

quid sit tanquam de fide tenendum circa istud punctum.

Quoad primam quæstionem quadruplex est sententia: prima eorum est qui Angelos ante conditum mundum corporeum multo aut saltem nonnullo tempore extitisse volunt. Ita post Origenem plerique Græci, ut SS. Basilius, Gregorius Nazianzenus, Chrysostomus & Damascenus; e Latinis vero SS. Hilarius, Ambrosius & Hieronymus, Isidorus, Cassianus, Hugo Victorinus, &c.

Secunda opinio illorum est qui Angelos asserunt creatos post mundum visibilem; tales sunt Philo Judæus Lib. de Saule arreptitio, Eucherius super cap. 1. Gen. &c.

Tertia eorum est qui sentiunt creatos Angelos simul cum mundo visibili; ita S. Gregorius, Cassiodorus, Beda, Magister, Hugo Victorinus, &c. illam quoque opinionem amplectuntur omnes Lateranenſi Consicio posteriores Theologi.

Quarta tandem sententia rem prorsus dubiam relinquit, eo quod nullum sat firmum illius defensoribus occurrat momentum quo innixi certo possint quæstionem definire: hanc tuentur opinionem Prudentius in apotheosi, auctor Lib. de Incarnatione Verbi inter S. Augustini opera, & S. Ambrosius Lib. de sacramento Incarnationis dominicæ c. 3.

Quid autem senserit S. Augustinus non ita statim liquet: dubitanter enim loquitur lib. de civit. Dei 1. cap. 32. & 12. cap. 15. verum tum ibi tum etiam Lib. 11. c. 6. & 9. & Lib. 12. Confess. c. 13. in tertiam videtur inclinare sententiam, unde inter illius assertores vulgo recensetur, nec immerito.

Circa secundam quæstionem, Gregorius Ari-

Ariminensis, Ferrariensis, Melchior Canus & nonnulli alii, tertiam sententiam veluti de fide defendunt, nempe propter decretum Concilii Lateranensis, illo tamen non obstante decreto, rem non esse de fide sentiunt Cajetanus, Bannes, Sixtus Senensis &c. His prænotatis, sit

PRIMA CONCLUSIO.

Angeli neque ante mundum visibilem, neque post, sed simul cum illo creati fuerunt.

Probatur prima pars: Genesis 1. *In principio* (id est primum omnium) *creavit Deus cœlum & terram*. In quem locum sic habet S. Augustinus Lib. 11. de civit. Dei cap. 6. *Hoc potius in principio Deus fecisse dicitur, ut nihil antea fecisse intelligatur*.

Probatur secunda pars Job. 48. *Ubi eras cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei*; vel ut vertunt Septuaginta, *cum me magna voce laudarent omnes Angeli mei*. Loquitur autem ibi Deus de momento in quo aspectabilem producebat mundum; ergo non post illum creati sunt Angeli.

Probatur tertia pars: 1. sequitur ex dictis; si enim neque ante neque post mundum corporeum creati fuerint Angeli, restat ut simul cum illo producti sint.

2. Exodi 20. dicitur: *Sex diebus fecit Deus cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt*, sed Angeli intra cœli & terræ ambitum continentur; ergo, &c.

3. Concil. Lateranense sub Innocentio III. c. *Firmiter*, docet, *Deum omnipotenti sua virtute simul ab initio temporis utramque de nihilo condidisse creaturam, spiritualem & corporalem, angelicam videlicet & mundanam*.

SE-

SECUNDA CONCLUSIO.

De fide non est Angelos *simul* cum mundo corporeo fuisse creatos.

Probatur: 1. Sententia quæ affirmat Angelos simul cum mundo corporeo creatos fuisse, nullo satis aperto Scripturæ testimonio innititur; 2. in diversas opiniones super ea re abiere SS. Patres; unde, ut ait Estius, una pars præ altera non est dicenda ut fidei contraria. 3. S. Thomas qui scripsit post Concilium Lateranense, quo potissimum hanc veritatem adstrui, & ita ut fide tenendam dici posset, de adversa opinione loquitur velut de sententia innoxia 1. p. q. 61. art. 3. in corpore: idem tradit S. Bonaventura. 4. Nulla proferri potest hanc in rem expressa Ecclesiæ definitio.

Namque decreti Lateranensis vox hæc, *simul*, aut non importat idem instans temporis, sed idem tempus secundum aliquam latitudinem; aut significat Deum æque directa intentione & per se utramque produxisse creaturam, non autem, ut volebat Origenes, creaturam corpoream productam tantum fuisse propter peccatum & demeritum substantiæ spiritualis: hanc fuisse mentem Concilii docet S. Thomas Opusculo 23. aut tandem vox hæc, *simul*, inserta fuit non ad definitionem, sed ut sententiam, quam ut probabiliorem habebat Concilium, exponeret.

Nihilominus ex verbis decreti Lateranensis satis apparet, inquit Sylvius 1. p. q 61. art. 2. *si non est fidei Angelos non fuisse creatos ante mundum; id tamen valde esse consentaneum,*

AR-

ARTICULUS II.

Quo in loco creati fuerint Angeli.

DE loco creationis Angelorum silet Scriptura, silent & SS. Patres fere omnes: communis tamen est sententia, & ab omnibus, post sanctum Thomam hic, propugnata, Angelos fuisse creatos in cœlo quod est Beatorum sedes.

Ratio autem est, quia conveniens erat ut in loco nobiliori crearetur nobilior creatura, quæ sane est angelica; unde Venerabilis Beda in 1. Gen. asserit supremum cœlum cum primum creatum fuit, Angelis repletum fuisse. Hanc eamdem sententiam Straboni adscribunt Magister & S. Thomas.

Nec obstant quæ leguntur verba apud Isaiam c. 14. *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*: hæc enim verba quæ Sathanæ vulgo tribuuntur, ad litteram de Rege Babylonis sunt intelligenda: ipsi enim propter insignem superbiam iste sermo hyperbolicus attribuitur. Quod si hæc verba de diabolo quis vult exponere, nomine cœli intelligenda est metaphorice Dei celsitudo & majestas quam appetebat Sathan: unde subjungitur, *& ero similis Altissimo*. Hanc expositionem tradunt Magister & S. Thomas; innuunt quoque SS. Augustinus L. 14. de civit. Dei c. 13. & Ambrosius Epist. 84.

QUÆSTIO SEPTIMA.

De Gratia Angelorum.

PRæsentem Quæstionem tribus Articulis absolvemus: 1. quæremus an Angeli ab initio

initio seu in primo creationis instanti gratiam sanctificantem acceperint; 2. an præter gratiam sanctificantem ipsis necessaria fuerit gratia actualis ad bene agendum & perseverandum; 3. denique, an gratia Angelis bonis concessa ad perseverandum, fuerit ex sese efficax.

ARTICULUS PRIMUS.

An Angeli in primo creationis instanti Gratiam sanctificantem acceperint.

NEgarunt Hugo a sancto Victore, Magister Sententiarum, Rupertus & alii Scholastici non pauci, qui Angelos fatentur in justitia quadam naturali fuisse creatos, non autem dono ullo supernaturali gratiæ instructos, contra quos sit

CONCLUSIO.

Probabilius est Angelos omnes ab initio & in instanti suæ creationis gratiam sanctificantem, atque adeo justitiam & sanctitatem accepisse. Ita præter sanctum Thomam sentiunt Cajetanus, Major, Estius, Sylvius & alii communiter.

Probatur ex Scripturis, in quibus de Lucifero sub figura Regis Tyrii dicitur: *Perfectus in viis tuis a die conditionis tuæ, donec inventa est iniquitas in te.* Et sub figura Regis Babylonis Isai. 14. *Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer qui mane oriebaris?* Quæ loca de donis gratiæ interpretantur SS. Ambrosius, Gregorius, Bernardus & alii.

Hanc eandem veritatem expresse docet S. Au-

Augustinus Lib. 12. de civit. Dei cap. 9. ubi afferit Deum *Angelos cum bona voluntate, id est, cum amore casto, quo illi adhærent, creasse, simul in eis condendo naturam & largiendo gratiam.*

Accedit & ratio. Angeli non fuerunt creati in minori perfectione quam primus homo: atqui communiter docent Theologi protoparentem in justitia & sanctitate originali fuisse conditum; idque 1. non obscure testatur Scriptura dum ait Eccles. 7. *Deus fecit hominem rectum*: rectitudo enim in Scripturis gratiam & sanctitatem significat; 2. idem innuit Concilium Trid. Sess. 5. ubi docet, *Adam per peccatum, justitiam & sanctitatem perdidisse in qua fuerat constitutus*; 3. denique; filii qui ex Adamo nati fuissent, si ille in statu innocentiæ perseverasset, gratiam quasi congenitam habuissent; ergo & ipse Adam, qui erat ipsorum caput, illam a principio suæ conditionis habuit; ergo & idem dicendum videtur de Angelis.

Dices 1. Job. 4. ubi legimus, quod *Deus in Angelis reperit pravitatem*, in hebræo habetur, in *Angelis suis non posuit laudem vel lucem*: atqui gratia & justitia in sacris Litteris appellantur lumen & lux, juxta illud 1. Petri 2. *Vocavit eos in admirabile lumen suum*, & Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ; nunc autem lux in Domino. Ut filii lucis ambulate*; ergo, &c.

Resp. quod etsi mox laudatus Job textus intelligatur de laude vel luce, non propterea obstat veritati Conclusionis: siquidem hoc unum significat scilicet Angelos non habuisse laudem, vel lucem consummatam & perfectam, qualem habent beati Angeli, qui id-

idcirco ibidem cap. 38. dicuntur *astra matutina Deum laudantia.*

Dices 2. S. Augustinus Lib. de corrept. & gratia cap. 10. scribit: *Sic Deum ordinasse Angelorum & hominum vitam, ut in ea prius ostenderet, quid posset eorum liberum arbitrium, deinde quid posset suæ gratiæ beneficium, justitiæque judicium;* ergo Angeli non fuerunt creati in gratia, cum Deus in eis ostendere voluerit quid absque gratia posset liberum arbitrium.

Respondet Estius in 2. dist. 3. parag. 8. *testimonium istud S. Augustini ad rem præsentem non pertinere*: agit enim eo loci S. Doctor de gratia reparante post casum; unde subjungit, *deinde quid posset suæ gratiæ beneficium*: quæ quidem verba, pergit Estius, *non ad Angelorum referenda sunt, sed ad hominem qui gratiæ beneficio post lapsum erectus est, cum per liberum arbitrium stare noluisset.* Verum de hoc argumento alibi occurret amplior dicendi locus.

Dices 3. Si omnes Angeli fuissent in gratia sanctificante creati, nullus eorum cadere potuisset: falsum consequens; ergo & antecedens. Probatur sequela majoris, quia si in gratia sanctificante fuissent creati, etiam fuissent ad Deum supernaturaliter conversi: non enim solet Deus gratiam sanctificantem conferre personis propria voluntate utentibus: nisi ipsis consentientibus & volentibus illam habere; adeoque ad Deum conversis. Porro si Angeli semel ad Deum fuissent conversi, nunquam ab eo averti potuissent: tum quia Angelorum voluntas vel omnino mutari non potest ab eo quod semel elegit, vel difficillime mutatur, & ideo po-

stu-

ſtulat ſtatim confirmari in ſua electione tum quia ſi in primo inſtanti converſi fuiſſent ad Deum per gratiam, meruiſſent beatitudinem; ergo in ſecundo inſtanti in ſui præmium eam accepiſſent, & ſic cadere non potuiſſent.

Reſp. nego maj. & ad ejus probationem dico, quod licet Angeli tenaces ſint in eo quod ſemel elegerunt, tamen omnino ex ſe non ſunt in ſua electione prorſus immobiles, ut conſtat ex dictis Q. 3. Art 3. atque ideo, quamvis Angelus in prima ſua operatione converſus fuerit ad Deum, tamen ab illa converſione recedere potuit, quippe cum liber eſſet & adhuc in ſtatu viæ; & inſuper, quia nova occaſio peccandi ipſi occurrit, ut expreſſe docet S. Gregogrius Nazianzenus Orat. 38. ubi de lapſu Angelorum.

ARTICULUS II.

An præter Gratiam ſanctificantem neceſſaria fuerit & collata Angelis Gratia actualis ad bene agendum & perſeverandum.

CONCLUSIO.

Præter gratiam habitualem ſeu ſanctificantem neceſſaria fuit ac collata Angelis gratia actualis ad bene agendum & perſeverandum.

Probatur prima pars, ſcilicet Angelos præter gratiam ſanctificantem quam in ipſa creatione acceperant, indiguiſſe gratia actuali ad bene agendum & perſeverandum: idipſum docet S. Auguſtinus Lib. de natura & gratia cap. 26. *Sicut*, inquit, *oculus corporis etiam pleniſſime ſanus, niſi candore lucis adjutus non poteſt cernere; ſic homo etiam juſtifi-*

T. 1. p. 140.

ca-

catur, *nisi æternæ luce justitiæ divinitus adjuvetur, recte non potest vivere.* Quo in loco significat S. Doctor gratiam actualem homini etiam maxime sano & innocenti necessariam fuisse ad bonum supernaturale operandum: porro eadem est ratio hac in parte Angeli & hominis sani; ergo; &c.

Idem colligitur ex Conc. Arausic. 2. Can. 19. *Natura humana*, inquit, *etiamsi in illa integritate in qua condita est permaneret, nullo modo seipsam, creatore suo non adjuvante, servaret.*

Probatur secunda pars, nimirum gratiam actualem ad bene agendum & perseverandum necessariam omnibus Angelis fuisse concessam. Ita S. Augustinus Lib. de corrept. & grat. cap. 11. ubi postquam asseruit Angelos per gratiam in creatione acceptam non potuisse perseverare, nisi præterea aliud quoddam adjutorium datum eis fuisset, tale nimirum sine quo perseverare non possent, & per quod perseverare possent si vellent, subdit: *Quod adjutorium si vel Angelo vel homini cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio manere posset si vellet, non utique sua culpa cecidissent: adjutorium quippe defuisset sine quo manere non possent.* Ex quibus verbis S. Doctoris manifeste patet, omnibus Angelis fuisse concessum adjutorium sine quo perseverare non potuissent.

ARTICULUS III.

An Gratia actualis Angelis bonis ad perseverandum concessa ex se fuerit efficax.

QUæritur quale fuerit auxilium concessum bonis Angelis ad perseverandum: utrum

utrum nempe tale per quod certo & infallibiliter daretur ipsum perseverare; an vero tantum ejusmodi, ut per illud possent Angeli perseverare si vellent.

CONCLUSIO.

Gratia Angelis bonis ad perseverandum concessa non fuit ex sese efficax, sed versatilis.

Probatur dissertis S. Augustini testimoniis Lib. de corrept. & gratia c. 10. 11. & 12.

Cap. 10. sic loquitur S. Doctor: *Angeli quidam, quorum princeps est qui dicitur diabolus, per liberum arbitrium a Deo refugæ facti sunt. ∴ ceteri autem per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt.*

Ibidem cap. 11. *Posset ergo* (primus homo) *permanere si vellet. ∴ sed quia noluit permanere, profecto ejus culpa, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt.*

Rursus cap. 12. *Primo itaque homini*, (ut & Angelis) *datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset.*

Ex his sic arguere licet: Gratia ex sese efficax dat certo & infallibiliter effectum: atqui gratia bonis Angelis ad perseverandum data non erat hujusmodi: scilicet tale erat adjutorium, *non quo fieret ut perseverarent, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non possent; ergo, &c.*

Et vero illud auxilium non est ex se & natura sua efficax: quod omnibus ex æquo

An-

Angelis concessum, alii per illud solum libero arbitrio perseverarunt, alii vero illud libero arbitrio per peccatum deseruerunt: atqui tale fuit auxilium perseverantiæ Angelis concessum; ergo, &c.

Verum de hacce difficultate & aliis in præsenti Quæstione agitatis, uberius & ex professo dicemus Tractatu de Gratia, ubi de statu naturæ innocentis.

QUÆSTIO OCTAVA.

De Merito Angelorum.

QUæremus 1. an meruerint Angeli; 2. quid meruerint.

ARTICULUS PRIMUS.

Utrum Angeli meruerint.

CONCLUSIO.

An sancti revera meruerunt.

Probatur. Illi meruerunt, in quibus fuerunt conditiones omnes ad meritum requisitæ, atqui in Angelis fuerunt conditiones omnes ad meritum requisitæ; ergo, &c. Probatur minor. Scilicet in merito tria potissimum attenduntur ex parte operantis, ut sit liber, viator, in statu gratiæ sanctificantis: ex parte vero operis duo desiderantur, nempe ut sit bonum tum ratione objecti, tum ratione finis; deinde ut fiat ex impulsu gratiæ actualis:

atqui hæ omnes conditiones locum habuerunt in bonis Angelis.

Nam 1. erant liberi: neque enim ex neceſſitate determinati erant ad alicujus actus ſive ſpeciem ſive exercitium: unde, ut mox vidimus ex S. Auguſtino, *aliis cadentibus per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt alii.*

2. erant viatores: licet enim creati fuerint beati beatitudine inchoata, quæ poſita eſt in imperfecta Dei cognitione & imperfecto illius amore, non fuerunt tamen creati in ſtatu beatitudinis conſummatæ quæ in intuitiva Dei viſione poſita eſt, ac proinde aliquandiu fuerunt in via, nec ſemper in termino. Unde S. Auguſtinus Lib. de corrept. & gratia cap. 10. illos docet creatos in beatitudine quadam naturali. *Ut ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, ſummæ beatitudinis plenitudinem* (id eſt beatitudinem ſupernaturalem) *tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent.*

3. ab initio ſeu in prima creationis inſtanti gratia habituali & ſanctificante inſtructi fuere, uti Articulo primo Quæſtionis præcedentis probatum eſt.

4. elicere potuerunt opera quæ bona eſſent tum ratione objecti, tum ratione finis, actus ſcilicet fidei, ſpei, charitatis, obedientiæ, aliarumque virtutum.

5. denique ad ea opera efficienda præſentem habuerunt gratiam actualem, uti diximus Art. 2. ſuperioris Quæſtionis, & fuſius dicemus Tractatu de Gratia; ergo in Angelis locum habuere omnes conditiones ad merendum requiſitæ.

AR-

ARTICULUS II.

Quid meruerint Angeli.

PRIMA CONCLUSIO.

Probabilius videtur omnes Angelos gratiâ sanctificantem accepisse, per propriæ voluntatis cooperationem & veluti dispositionem.

Probatur. Homines adulti non recipiunt gratiam sanctificantem nisi mediante propria dispositione, eo quod libertatis usum habeant quo carent parvuli in quibus illa prævia dispositio non exigitur: atqui Angeli conditi fuerunt cum perfecto usu liberi arbitrii; ergo verisimilius est quod gratiam sanctificantem aliter quam per propriam dispositionem & consensum non receperint.

Et vero sanctificatio quæ fit per propriam dispositionem, nobilior est & præstantior, quam quæ fit absque propria dispositione, quia ex suo genere & ceteris paribus, semper perfectius est aliquid a se habere, quam ab alio tantum, & esse saltem ex parte causam suæ perfectionis, quam illam totaliter ab alio emendicare: atqui Angeli sanctificati fuerunt nobiliori modo qui creaturam rationalem decebat; ergo, &c.

Ex his sequitur, Angelos meruisse saltem de congruo gratiam sanctificantem qua ab initio fuere instructi: qui enim sese disponit ad gratiam sanctificantem, illam impetrat a Deo & meretur saltem de congruo.

SECUNDA CONCLUSIO.

Angeli meruerunt augmentum gratiæ sanctificantis & beatitudinem supernaturalem quæ posita est in intuitiva Dei cognitione.

Probatur 1. pars: quia homo viator per actus supernaturalis ordinis meretur augmentum gratiæ sanctificantis; ergo & Angelus promeritus est.

Probatur 2. pars: Id promeriti sunt Angeli quod fuit præmium illorum in bono perseverantiæ: atqui beatitudo supernaturalis fuit hujusmodi, juxta S. Augustinum Lib. de corrept. & gratia c. 11. antea citato, ubi sic loquitur: *Angeli sancti cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus mansionis debitam mercedem recipere meruerunt, tantam scilicet beatitudinis plenitudinem, qua eis certissimum sit semper se in illa mansuros.*

Dices contra primam Conclusionem: Angeli habuerunt gratiam sanctificantem sibi concreatam, ergo ad illam non potuerunt sese disponere. Probatur consequens. Dispositio præcedit formam: sed quod est concreatum non potest præsupponere aliquid prævium in subjecto quod sit dispositivum ad sui receptionem; ergo cum gratia sanctificans fuerit Angelis concreata, ad eam non potuerunt sese disponere.

Resp. neg. conseq. & ad probationem dist. maj. dispositio præcedit formam, instanti naturæ, concedo: temporis, nego. Similiter distincta minore, nego conseq. Actus contritionis perfectæ, qui est dispositio ad gratiam sanctificantem, simul est cum ipsa gratia sanctificante, licet natura eam præcedat; ergo a pari Angeli cum auxilio supernaturali sibi ab initio concesso, eodem instanti quo creati sunt, potuerunt sese ad Deum convertere per actum amoris perfecti, atque ita sese disponere ad gratiam sanctificantem recipiendam.

QUÆ-

QUÆSTIO NONA.

De Gloria Angelorum.

MUlta quærit hic S. Thomas, quæ, si unum aut alterum excipias, nullam facessere videntur difficultatem.

Primo enim certum est perfectiores secundum dona gratiæ Angelos, majorem fuisse consecutos gloriam; hæc quippe summa spiritus felicitas merces est, quæ proinde proportionata est actioni meritoriæ: porro quo perfectiore gratia instruitur Angelus, eo fortius & efficacius ad Deum se convertit, ac consequenter altioris est meriti.

Certum est secundo cognitionem & dilectionem naturalem in Beatis Angelis remanere: sicut enim gloria non destruit sed perficit naturam intellectualem, ita beatitudinis actus non destruit sed perficit operationem naturalem.

Tertio tandem certum est Beatos Angelos non posse amplius in beatitudine proficere. Ratio est quia jam sunt in termino in quo nullum est meritum; aliunde vero cum Angeli sint a Deo ordinati ad gloriam, ab ipso etiam ordinati sunt ad modum gloriam hanc consequendi.

His igitur præsuppositis velut certis, duo duntaxat quæremus: Primum, quomodo gloria fuerit Angelis concessa; secundum, utrum Angeli Beati possint peccare.

ARTICULUS PRIMUS.

Quomodo Gloria fuerit Angelis concessa.

QUæstio est utrum ante vel post prævisa merita Angelis fuerit concessa beatitudo.

Pendet hæc sane quæstio ab ea quæ Tractatu de Attributis movetur de prædestinatione & reprobatione: eædem sunt sententiæ, eædem occurrunt solvendæ difficultates, eadem quoque sunt litis dirimendæ momenta: unde quod Angelis utcumque peculiare videri potest paucis enucleabimus.

CONCLUSIO.

Prædestinatio Angelorum facta est ex prævisis meritis, saltem conditionate futuris.

Probatur ex S. Augustino, qui Lib. sæpius citato de correptione & gratia c. 10. ait: *Ceteri autem* (Angeli) *per ipsum liberum arbitrium in veritate steterunt, eamque de suo casu nunquam futuro certissimam scire meruerunt*; & c. 11. loquens de Adamo hæc habet: *Quia noluit permanere, profecto ejus culpa est, cujus meritum fuisset, si permanere voluisset, sicut fecerunt Angeli sancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi, & hujus permansionis debitam mercedem recipere meruerunt, &c.*

Accedit & ratio juxta mentem S. Doct. Ubi gratia versatilis est & libero arbitrio subjecta, ibi prædestinatio fit ex prævisis meritis saltem conditionate futuris: atqui ex dictis Quæstione præcedenti, & ex testimoniis mox allatis, gratia Angelis concessa ad perseverandum fuit gratia versatilis; ergo, &c.

ARTICULUS II.

Utrum Angeli beati jam peccare possint.

Consuit Origenes post certas annorum revolutiones futurum, ut & Angeli boni pec-

ca-

carent, ac peccati merito in gehennam mitterentur; atque e diverso dæmones pœnitentiam agerent, & ad felicitatem pervenirent.

Constans vero Catholicorum doctrina est, Angelos beatos & animas sanctas felicitate donatas non posse amplius peccare: verum ex his Scotus, Gabriel & alii nonnulli tenent hanc Angelis inesse impeccabilitatem, non ex statu & natura beatitudinis, sed ex dono & privilegio gratiæ.

CONCLUSIO.

Angeli beati jam amplius peccare nequeunt, idque habent ex statu & natura beatitudinis.

Probatur prima pars: 1. quia Scriptura docet regnum Christi sine fine duraturum, hujus autem concives sunt Angeli: eadem Scriptura nobis promittit vitam æternam cum Angelis. Porro regnum Dei & vita æterna consistunt in pace, justitia & gaudio sancto, ex Apostolo Rom. 14. 2. Traditio constans eandem nos edocet doctrinam. SS Epiphanius & Augustinus, Philastrius opinionem Origenis inter hæreses recensent, ideo præcipue ab utraque Synodo V. & VI. hæreseos notatur ille auctor.

Tandem hæc sententia evincitur ex iis quibus secunda pars ostenditur.

Probatur 2. pars, scilicet quod Angeli sint impeccabiles ex statu & natura beatitudinis. 1. quia, ut ratiocinatur S. Thomas, spiritus intuitive videns Deum, se habet ad illud ens supremum, quemadmodum homo nunc se habet ad rationem boni in genere: sicut ergo homo nunc nihil potest velle nisi intendat in bonum in genere: & in quantum

objectum volitionis habet rationem boni, ita spiritus videns Deum velle aut agere quidquam non potest nisi intendens in Deum; ac proinde peccare non potest.

2. Beati videntes Deum, cognoscunt omnia quæ ad se spectant, quæque ipsis agenda sunt; nullus ergo reperitur error in eorum intellectu, ac proinde nulla perversitas, nullum peccatum in eorum voluntate.

3. Beatus non potest nolle beatitudinem, miseriam amplecti & Deo displicere; ergo neque peccare: peccatum enim Deo displicet, felicitatem adimit, summaque miseria est.

Denique Beatus non potest Deum non amare, intellectus quippe indifferentia tollitur per claram Dei visionem, quam judicium de supremo ente diligendo, necessario sequitur; ergo beata voluntas invicte & necessario in dilectionem Dei rapitur: sed qui Deum invicte ac necessario diligit, peccare non potest; igitur aut Angelus beatus cessat Deum diligere, quod repugnat suppositæ visioni intuitivæ, aut impeccabilis est ex natura & statu suæ beatitudinis.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. Danielis 10. referuntur discordiæ & pugnæ inter Angelos diversis regnis præsidentes excitatæ; ergo, &c.

Resp. 1. hunc locum exponi a Cassiano & Raperto, de malis angelis bonorum conatus impedire volentibus; 2. idem testimonium metaphorice explicatur a SS. Gregorio & Thoma, eo scilicet sensu, quod boni Angeli sibi invicem resistant in quantum de diversis hominum meritis divinam consulunt voluntatem, & ideo inter se dicuntur pugnare.

re, quia de quibus consulunt, aut quæ efflagitant, ea sunt inter se invicem pugnantia.

Objicies 2. SS. Patres tum contra Arianos, tum contra Pelagianos asserunt Deum solum esse in quem peccatum non cadit; ergo, &c.

Resp. SS. Patres agere non de suppositis & individuis naturæ, sed de natura ipsa. Quælibet natura, quæ Deus non est, obnoxia quidem peccato est & defectui; ast non idcirco quælibet persona naturæ intellectualis, præsertim dum suprema fruitur felicitate, debet quoque peccato subjici.

Objicies 3. Angeli etiam beati suo fruuntur libero arbitrio, nec enim beatitudo destruit sed duntaxat perficit naturam: atqui natura creata suo fruens arbitrio peccabilis est; ergo, &c.

Resp. naturam cum beatitudine remanere quidem integram, verum dum intuitiva Dei visione gaudet, clara summi boni visio tollit judicii indifferentiam, quæ radix est libertatis; ac proinde Angelus beatus liber non est ratione objecti primarii beatitudinis, quod Deus est: ratione vero objectorum secundariorum, id est cæterorum bonorum a Deo distinctorum, liberi sunt Angeli libertate contradictionis, dum possunt agere vel non agere illud bonum; sed liberi non sunt libertate contrarietatis inter bonum & malum: cum autem hæc libertas contrarietatis non sit de liberi arbitrii essentia, ut docet S. Thomas variis in locis, maxime vero q. 24. de verit. art. 3. ad 2. & cum libertas peccandi mera sit imperfectio, nihil obstat quominus asseratur simul Angelos & liberos esse & impeccabiles, atque in gratia confirmatos.

QUÆSTIO DECIMA.

De peccato Angelorum.

CErtum est 1. nullum esse ex Angelis qui ex naturæ suæ conditione & inclinatione malus sit; quidquid enim a Deo creatum est, per se & ex natura sua bonum est: solus Manichæismo infectus dixerit aliquid esse ex natura sua malum, quem errorem perpetuo detestata est Ecclesia. Extat ea de re definitio in Conc. Carthag. IV. Can. 1. Bracarensi 1. Can. 1. & speciatim in Concilio Lateranensi IV. ubi de dæmonibus sic habetur: *Diabolus & alii dæmones a Deo quidem natura creati sunt boni, sed ipsi per se facti sunt mali.*

Certum est 2. quosdam ex Angelis in peccatum prolapsos fuisse, unde e Cœlorum sublimi in inferni profundum æterno & irrevocabili lapsu ruerunt, juxta illud 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos.* His præsuppositis.

Tria maxime veniunt in hacce Quæstione determinanda. Primum, quodnam fuerit primum Angelorum peccatum. Secundum, quæ fuerit ipsius radix & origo. Tertium, an voluntas dæmonum ita sit in malo obfirmata, ut nec possit aliquatenus resipiscere, nec bonum aliquod operari.

ARTICULUS PRIMUS.

Quodnam fuerit primum Angelorum peccatum?

DE primo Angelorum peccato variæ reperiuntur opiniones. Communis est ac per-

pervulgata Theologorum sententia, ipsos superbiæ peccato primum corruisse. Juxta hanc sententiam sit

CONCLUSIO.

Primum Angelorum peccatum fuit peccatum superbiæ.

Conclusionem aperte docent Scripturæ. Tobiæ 4. *Superbiam nunquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permitte, in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Ecclesiastici 10. *Initium omnis peccati superbia.* Huc etiam pertinet quod Isaiæ 14. sub figura Regis Babylonis de diabolo dicitur: *Detractata est ad inferos superbia tua. Quomodo cecidisti de cœlo Lucifer, qui dicebas in corde tuo, In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum.* Accedit quod Job 41. tanquam principale diaboli peccatum recenseatur superbia his verbis, *Ipse est Rex super omnes filios superbiæ.*

Suffragantur SS. Patres, S. Ambrosius in Psal. 36. ad illud *Vidi impium superexaltatum*, & in Psalmum 118. ad versum, *Increpasti superbos*, & rursus ad istum, *Superbi inique agebant usquequaque*. S. Augustinus L. 12. de civit. Dei c. 6. de Angelis apostatis sic loquitur: *Ab illo qui summus est, aversi, ad se conversi sunt, & hoc vitium nihil aliud est quam superbia.* His consentiunt SS. Athanasius, Chrysostomus, Cyrillus Alexandrinus, Hieronymus, Prosper, &c.

Hoc ipsum probat S. Thomas hic ista ratione. In spiritualibus, quæ secundum se bona sunt, appetendis, non potest esse peccatum, nisi appetantur contra regulam aut præce-

ptum superioris: porro non subdi superiori in eo in quo debet, est peccatum superbiæ; ergo, &c.

Nec dici potest, nolle subdi superiori, pertinere ad inobedientiam: ut enim advertit Sylvius, nolle subdi superiori, sic ad inobedientiam pertinet, ut vel ea conjuncta sit superbiæ, vel ex superbia originem habeat; præsertim quando agitur de primo peccato ejus qui nondum habuit judicium intellectus depravatum, ac per consequens nec voluntatem depravatam.

Quæres in quo posita fuerit Angelorum apostatarum superbia.

Resp. in eo sitam fuisse, quod revera æqualitatem cum Deo appetierint: quam quidem sententiam variis in locis innuunt Scripturæ Isaiæ 14. diabolus in persona Regis Babylonis legitur dixisse: *Ascendam super altitudinem nubium, similis ero Altissimo.* Ezechielis 28. irridetur quod dixerit, *Deus ego sum.* Ad Philipp. cap. 2. de Christo ait Apostolus: *Non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo*, nempe ut diabolus arbitrabatur.

Ceterum, in modo explicandi, qua ratione Angelus prævaricator æqualitatem cum Deo appetierit, non una est sententia. Censet Doctor angelicus hic, Angelum æqualitatem cum Deo secundum naturam absolute non appetiisse, quia naturali cognitione sciebat hoc esse impossibile: nullus autem potest appetere absolute id quod novit esse impossibile, nisi præcedat aliquis error in intellectu id quod impossibile est apprehendere tanquam possibile, cujusmodi error non poterat esse in Angelo ante peccatum. Igitur in mente ejusdem S. Doctoris, in hoc Angelus

gelus appetiit indebite esse similis Deo, quia appetiit, ut finem ultimum beatitudinis, id ad quod virtute suæ naturæ poterat pervenire, beatitudinem scilicet naturalem, avertens suum appetitum a beatitudine supernaturali, quæ est ex gratia Dei, utpote nihil de illa beatitudine cogitans, neque in eam se suamque operationem ordinans, contentus sua propria excellentia & perfectione, nec eam referens in Deum. Ita S. Thomas hic, de quo etiam Lib. 3. contra Gentes c. 109. In hanc eandem sententiam scripsit S. Augustinus Lib. 12. de civ. Dei c. 2. de Angelis dicens: *Sua potestate delectati velut bonum suum sibi essent, a superiore communi omnium beatifico bono ad propria defluxerunt.*

Censent alii in eo positam fuisse Angelorum superbiam, quod desiderarint esse æquales Deo, si id foret possibile, atque in eo desiderio mirum in modum sibi complacuerint.

ARTICULUS II.

Origo primi Angelorum peccati.

CUm peccatum in hominibus post lapsum primi parentis oriri soleat, vel ex fomite concupiscentiæ cum quo nascimur, quique hac vita durante remanet, vel ex prava consuetudine, vel ex immoderata passione, vel ex ignorantia rerum agendarum, quorum nihil in Angelis ipsum peccatum præcessisse videtur: quæri merito potest quo modo quave via peccatum in Angelis ortum atque ingressum habere potuerit. Quæ quæstio ut resolvatur, sit

CON-

CONCLUSIO.

Origo primi peccati in Angelis non fuerunt aut ignorantia mentis, aut prava aliqua inclinatio, sed sola voluntatis potestas.

Probatur. Illud non fuit origo seu causa primi peccati in Angelis, quod in eis locum non habuit ante peccatum: atqui nec mentis ignorantia, nec prava aliqua inclinatio, locum habuere in Angelis ante peccatum: neque enim in præsenti hypothesi ignorantia aut prava aliqua inclinatio culpam præcessere, sed culpa ignorantiam & pravam inclinationem tanquam pœnam comitem secum traxit, tam in Angelis, quam in primo homine, uti expresse docet S. Augustinus Lib. 14. de civit. Dei cap. 10. 11. 13. idemque sentit S. Thomas hic art. 1. & in 2. dist. 5. quæst. 1. art. 1. ergo, &c.

Atque hinc Patres Angelorum casum libero ipsorum arbitrio adscribunt *Angeli sancti*, inquit S. Augustinus loco antea citato, *cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium steterunt ipsi.*

Est ergo prima origo peccati Angelorum ponenda in defectibili ipsorum voluntate sese avertente a majori bono ad minus bonum, dum videlicet suam excellentiam considerantes, eamque non comparantes cum excellentia divina, inordinato amore sibi ipsis inhæserunt, sicque a Deo aversi sunt.

Dices: Non potest esse peccatum in voluntate, nisi ex præcedenti errore judicii practici in intellectu; ergo Angeli, cum peccaverint, erraruut: error igitur & ignorantia fuere causa primi eorum peccati. Conseq. certa

est.

est. Probatur autem antecedens: 1. ex illo Proverbiorum 14. *Errant qui operantur iniquitatem*, 2. idem docet S. Thomas multis in locis & nominatim hic art. 1. ad 4. ubi negat peccatum posse esse in voluntate, nisi sit aliquo modo deceptio in ratione; 3. id evincit ratio: nam voluntas est appetitus rationalis; ergo non potest eligere, nisi quod ratio judicaverit eligendum; alias non rationalis sed plane temeraria & cæca erit electio. Nusquam igitur voluntas peccat eligendo, quin ratio aberret judicando.

Ut hæc solvatur difficultas adverte cum Sylvio 1. p. q. 63. art. 1. ad 4. *ignorantiam & errorem dupliciter accidi posse; uno modo, vel pro assensu quo quispiam assentitur falso tanquam vero, vel pro hoc judicio quo reputat esse bonum, quod est malum: alio modo pro actuali inconsideratione qua quis non attendit, neque actu considerat ea quæ posset ac deberet considerare; hanc enim inconsiderationem sub ignorantia generaliter dicta merito comprehendi, ex S. Thoma 1. 2. quæst. 6. art. 8. intelligi potest.* Hoc prænotato,

Resp. Cajetanum 1. p. quæst. 63. art. 1. ad 4 & 1. 2. quæst. 77. art. 3. Medinam, Bannesium, Sylvium, &c. asserere in primo Angeli peccato fuisse ignorantiam & errorem, non quidem priori: sed posteriori duntaxat sensu mox exposito, defectum scilicet actualis considerationis, non autem judicium erroneum. E contra vero Estius in 4. dist. 6. parag. 1. & dist. 22 paragr. 21. existimat dici posse primum Angeli peccatum processisse tum ex inconsideratione, tum ex errore judicii practici, quo judicabat Angelus hunc actum, qui utique peccatum erat, sibi

esse

esse faciendum: negat autem hinc esse consequens, quod error aliquis primum peccatum præcesserit, si peccatum totum consideretur. *Ignorantia enim illa*, inquit Estius loco mox citato, *sive inconsideratio, sive error, secundum quem omnis peccans ignorat & errat, proprie non est causa peccati, sed potius pars peccati ipsius. Peccat enim creatura rationalis eo ipso quod ratio prave judicat. Peccat, inquam, veluti inchoative, sicuti consummative peccat in eo quod voluntas male eligit. Nam omne peccatum quasi duabus illis partibus constat & consummatur, inconsideratione scilicet, aut falso judicio & electione mala; & utrumque sit libere suo quodammodo, quia radix & origo libertatis in ratione est, terminus & perfectio in voluntate. Quapropter sicut actus intellectus non est separandus ab actu voluntatis (est enim ille quasi de hujus ratione) ita error judicii non est separandus a peccato, sed in plena & perfecta ejus ratione includitur. Et quamvis inconsideratio aut error judicii, natura prior sit mala electione; tempore tamen simul est.* Hactenus Estius.

Juxta hanc Estii sententiam, cui subscribimus, patet expedita via ad solvendas difficultates in objectione propositas. Scilicet fatemur in primo Angeli peccato fuisse inconsiderationem, quæ ex S. Thoma 1.2. quæst. 6. art. 8. merito dici potest ignorantia: fatemur etiam in eodem peccato fuisse errorem judicii. Nec tamen ex his consequens est, in Angelo locum fuisse errori aut ignorantiæ prisquam peccaret: quia ista sive inconsideratio, sive ignorantia, sive error judicii practici, quem nonnulli vocant malæ electionis, non præcessit peccatum, sed fuit pars

pec-

peccati ipsius, fuitque actu seu defectus voluntarius (saltem interpretative, quatenus potuit & debuit illum vitare) & proinde culpabilis, suoque modo vere peccatum, ut mox ex Estio vidimus.

Responsionem hanc consentaneam esse menti S. Thomæ, ex eo patet, quia 1. 2, qu. 76. art. 4. ad 1. docet inconsiderationem sive ignorantiam secundum quam omnis malus est ignorans, non esse causam peccati ; aliunde constat hanc ignorantiam ex suo genere non esse effectum peccati ; nam ea quæ fuit in primo peccato, ex nullo peccato orta est. Restat ergo, quod sit aliquid ipsius peccati, tanquam de ejus ratione. Quo circa recte & proprie dicitur, omnem eum qui peccat, eo ipso quo peccat, errare; improprie autem, minusque recte, omnem peccantem ex errore peccare.

ARTICULUS III.

An voluntas dæmonum statim post peccatum ita fuerit in malo obstirmata, ut nec possit aliquatenus resipiscere, nec bonum aliquod operari.

CElebris est præsens quæstio, circa quam tria potissimum pertractari solent. Primum, an dæmonum voluntas statim post peccatum ita fuerit in malo, id est, peccato semel commisso obdurata, ut nullatenus resipiscere possit. Secundum, an ratione istius obdurationis in malo, dæmones nullum bonum opus elicere possint. Tertium, unde proveniat hæc obduratio.

PRIMA CONCLUSIO.

Dæmonum voluntas, sicut & aliorum damnatorum, ita est in malo obstirmata, ut nus-

quam

quam revera ad justitiæ statum sit revocanda. Conclusio est de fide.

Probatur 1. ex Scripturis. 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos, in judicium reservari.* Et in Epist. S. Judæ: *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum .·. in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Consequens ergo est quod illi omnes in malo sint obstinati: neque enim Deus æternis suppliciis quempiam damnat, qui non est in malo obstinatus.

Accedunt ea omnia Scripturæ testimonia quibus generaliter significatur, damnatos perpetuis & nusquam finiendis pœnis addici; ac proinde eos commissi peccati veniam nusquam assecuturos, nec delictorum fructuosam ac salutarem pœnitentiam acturos. Ita Matt. 25. de reprobis dicitur: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus.* Et rursus: *Ibunt hi in supplicium æternum.* Et Marci 9. de iisdem reprobis Christus ait: *Vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur.*

Probatur 2. ex Conciliis in quibus hæc veritas definita fuit: 1. in quinta Synodo proscripta fuit Origenis doctrina, uti colligitur ex Libro diurno Romanorum Pontificum; in secunda fidei professione, in qua sic habetur: *Hæc igitur sancta & universalia quatuor Concilia, etiam sanctum quintum Concilium venerandum .·. in hoc Origenes cum impiis discipulis & sequacibus .·. æterna censura ab Ecclesia Dei projecti sunt.* Porro unum ex præcipuis dogmatibus Origenis istud erat, nempe post certas temporum revolutiones, futurum ut dæmones animæque damnatæ pœniten-

nitentiam agerent veniamque consequerentur. Ita testantur SS. Augustinus Lib. de hæresibus cap. 43. & Hieronymus Epist. 61. ad Pammachium; 2. ejusdem erroris condemnatio, & contrarii dogmatis definitio legitur in sexta Synodo Actione 21. 3. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. capite *Firmiter* decernitur de reprobis, quod *cum diabolo pœnam æternam recipient*.

Probatur 3. ex SS. Patribus, qui constanter docent dæmones esse salutaris pœnitentiæ & gratiæ recuperandæ prorsus incapaces. S. Augustinus Ep. 107. *Nemo sanæ fidei*, inquit, *credit aut dicit, apostatas angelos ad pristinam pietatem correcta aliquando voluntate converti*. Et L. 11. de civ. Dei c. 13. *Nemo Catholicus ignorat, quod nullus dæmon in societatem bonorum Angelorum aliquando sit rediturus*. Idem docent SS. Prosper Resp. 6. ad Objectionem Vincent. & Fulgentius Lib. de fide ad Petrum c. 3. His adde Patres, qui diversam Origenis sententiam semper ut fidei adversam rejecerunt, ut S. Epiphanius in hæresi Origenistarum, Philastrius in Lib. de hæresibus, S. Hieronymus in Apologia contra Ruffinum, & alii plerique.

Probatur 4. ex unanimi ac constanti omnium Theologorum sententia, quæ huic doctrinæ tanquam certissimæ consentit. Unde S. Thomas hic art. 2. in corpore conceptis verbis docet, *tenendum esse firmiter secundum fidem catholicam, quod & voluntas bonorum Angelorum confirmata sit in bono, & voluntas dæmonum obstinata in malo*.

Probatur 5. ratione theologica. Similis est ratio confirmationis in bono, & obstinationis in malo: atqui Angeli boni statim ut bene ope-

operati sunt, confirmati sunt in bono; ergo & mali statim ut peccaverunt, obstinati sunt in malo: sicut ergo boni non possunt cadere, ita nec mali resurgere.

SECUNDA CONCLUSIO.

Tanta est in dæmonibus obstinatio, ut nullum usquam eliciant opus bonum, nequidem moraliter. Conclusio certa est, eamqua expresse docent S. Thomas hic art. 2. ad 5. Cajetanus, Ferrarienfis, Adrianus, Estius, Sylvius, aliique omnes pauciffimis exceptis.

Probatur 1. ex Scripturis: Joan. 9. *Venit nox quando nemo potest operari*. Et cap. 11. *Ambulate dum lucem habetis, ut non tenebræ vos comprehendant*. Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum*. Addi potest & illud Eccles. 9. *Neque opus, neque ratio, neque sapientia, neque scientia, erunt apud inferos*. Porro opus bonum fine aliqua prudentia & recta ratione non fit: ubi autem neque ratio, neque sapientia est, profecto neque opus bonum esse potest.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Ignatius ad Philipp. *Sapiens est dæmon*, inquit, *ad male faciendum; bonum autem, quid sit, ignorat*. S. Fulgentius Lib. de fide cap. 3. *In quo* (id est, in igne) *omnes illi prævaricatores angeli nec mala unquam possunt voluntate cavere, nec pœna*. Eodem modo loquuntur SS. Prosper Lib. 3. de vita contemplativa c. 12. Bernardus Epist. 253. &c.

Probatur 3. quia, uti constabit ex dicendis sequenti Conclusione, dæmones in omnibus actibus quos deliberate exercent, male operantur; ergo, &c.

TER-

TERTIA CONCLUSIO.

Omnis damnatorum voluntas deliberata, mortaliter mala est. Ita S. Thomas, loco antea laudato, & quæst. 16. de malo art. 5. & in 2. dist. 7. qu. 1. art. 2. & in Supplem. 4. qu. 98. art. 1. & 2. aliique auctores mox citati: quibus adde Alens. 2. p. q. 102. memb. 2. & 3. Altisiodor. Lib. 2. Summæ Tract. 2. c. 7. quæst. 1. & 2. Bonav. Richard. Greg. Gabriel, Major, Suares, Bellarm. Ysambert, &c.

Probatur 1. auctoritate simul & ratione S. Thomæ loco mox laudato: *Actus dæmonis*, inquit, *est duplex, quidam scilicet ex voluntate deliberata procedens, & is proprie dici potest actus ejus; & talis actus dæmonis semper est malus, quia etsi aliquando bonum faciat, non tamen bene facit: sicut dum veritatem dicit ut decipiat; & dum non voluntarie credit & confitetur, sed rerum evidentia coactus: alius autem actus dæmonis est naturalis, qui bonus esse potest & attestatur bonitati naturæ; & tamen tali bono actu abutitur ad malum.* Ex quibus Doctoris angelici verbis patet; omnes dæmonum actus qui a deliberata ipsorum voluntate procedunt, semper malos esse; ita ut ne unum quidem opus exerceant, quod vel moraliter bonum sit, semper enim operantur, vel ex odio quo contra divinam Majestatem flagrant, vel ex affectione ad malum finem, vel cum aliqua alia prava circumstantia: adeo ut etiam tunc, quando aliquod opus ex objecto bonum faciunt, male agant, non bene id quod bonum est facientes.

Pro-

Probatur 2. Sicut se habet voluntas Beatorum ad bonum, ita se habet voluntas damnatorum ad malum: atqui Beati nihil unquam volunt, nisi bene; ergo nec damnati aliquid volunt, nisi male.

Probatur 3. Voluntas obstinata in malo nunquam flectitur nisi in malum: atqui damnatorum omnium voluntas est obstinata in malo; ergo, &c.

Ex dictis in hac tertia Conclusione, maxime vero ex duabus postremis rationibus facile est colligere, damnatos non posse elicere aliquod opus morale ex omni parte bonum, quod expresse docent Ferrarienses 4. contra Gentes c. 95. Cajetanus super art. 2. hujusce quæst. Salmanticenses disp. 13. de Angelis dub. 2. §. 4. & alii.

Dices: Dona naturalia manserunt integra in dæmonibus, ut ex sancto Dionysio docet S. Thomas hic art. 1. in corpore: atqui opus morale ex omni circumstantia bonum non excedit naturalem facultatem liberii arbitrii angelici; ergo, &c.

Resp. dist. maj. dona naturalia in Angelis manserunt integra, quantum ad ea quæ pertinent ad ordinem naturæ, conc. quantum ad ea quæ pertinent ad ordinem moralem, nego. Similiter dist. min. opus morale ex omni circumstantia bonum non excedit naturalem facultatem voluntatis angelicæ in se absolute sumptæ, conc. jam obstinatæ, & sub prava affectione mali finis consideratæ, nego; & nego conseq. Scilicet, cum totus ordo moralis ex intentione finis pendeat, & finis intentio in dæmonibus depravata sit; inde sequitur quod licet opus moraliter bonum non excedat naturalem facultatem voluntatis

tis angelicæ absolute sumptæ ipsius tamen jam obstinatæ, & sub prava affectione mali finis spectatæ, non solum superet facultatem, sed etiam omnino illi repugnet. Solutio est Salmanticensium loco mox citato.

Juxta hunc sensum intelligenda sunt quæ de integritate Angelorum quoad naturalia docet S. Thomas hic art. 1. in corpore: ita semetipsum exponit S. Doctor qu. 16. de malo art. 5. ad 1. ubi de dæmonibus sic habet: *Dicendum quod bona naturalia in Angelis sunt integra, quantum pertinet ad naturæ ordinem: sunt tamen corrupta vel depravata, seu diminuta, per comparationem ad capacitatem gratiæ vel gloriæ.* Unde, ut antea observavimus, idem S. Doctor hic art. 2. ad 5. docet, quod actus qui in dæmonibus sunt naturales, ut cognitio naturalis Dei & dilectio ipsius, si considerentur ut antecedunt omnem libertatem voluntatis, sunt boni bonitate duntaxat naturali, non morali. Si autem, subdit S. Thomas, prædicti actus ex voluntate dæmonis ingrediantur ordinem moralem, & referantur in finem, tunc referentur in pravum finem, & efficientur mali moraliter, *eique dæmones certo abutentur.*

Quæ hic diximus ad exponendam mentem S. Thomæ circa integritatem naturalium post peccatum, illustrari possunt ex his quæ docet S. Doctor 1. 2. q. 85. art. 1. in corpore. Triplex ibi distinguit naturæ bonum: scilicet ipsa principia naturam humanam constituentia: ipsam inclinationem ad virtutem ex natura rationali fluentem, & ipsum justitiæ originalis donum, quod idoneo naturæ bonum vocat, quia toti naturæ concessum erat. Sic deinde prosequitur: *Primum igitur bonum*

na-

naturæ, nec tollitur, nec diminuitur per peccatum: tertium vero bonum naturæ totaliter est ablatum per peccatum primi parentis; sed medium bonum naturæ, scilicet ipsa naturalis inclinatio ad virtutem, diminuitur per peccatum. Non quidem quasi peccatum ipsam inclinationis entitatem auferat aut minuat; sed quatenus, ut inquit ibidem, voluntate in malum convertit; & a Deo avertit. Voluntas autem a Deo aversa & in bonum delectabile conversa, pronior est profecto ad malum, & multo minus ad bonum expedita.

Quæres, an illi omnes dæmonum aliorumque damnatorum deliberati actus, vere ac proprie sint peccata.

Circa hancce quæstionem non una est Theologorum sententia.

Respondent 1. Alexander Alensis, Richardus a Media-villa, & alii pauci, omnes deliberatos dæmonum actus esse vere ac proprie peccata, iisque novas pœnas mereri. Ea verba Alensis 2. p. qu. 102. membro 3. *Exceptis naturæ motibus, diabolus in ceteris quibuscumque peccat. Scilicet duplex est motus diaboli: unus naturæ, alius liberi arbitrii: si est motus naturæ, non est peccatum ∴ si est ex ipso libero arbitrio, tunc omni motu demeretur.* Paulo ante dixerat idem Alensis: *Diabolus continue peccat, quia continue nocere studet ∴ neque est in eis tantum voluntas habitus, sed voluntas actus.* Eadem fere habet Media-villa in 2. dist. 7. art. 2. quæst. 2. in corp. & ad 3. & 4.

Respondent 2. alii, dæmones in omnibus actibus quos libere exercent, vere ac proprie peccare, nihil tamen amplius demereri, quia ratio meriti & demeriti non absolute se-

sequitur bonitatem & malitiam operis, sed quatenus istud opus sit a viatore: porro dæmones sunt in termino. Vulgatissima est hæc Theologorum sententia. Ita Cajetan. 1. parte quæst. 64. art. 2. Ferrariensis 4. contra Gentes cap. 95. Soto in 4. dist. 50. art. 4. conclus. 2. Bannes 1. p. q. 64. art. 2. ad 4. Salmanticenses disput. 11. de Angelis dub. 2. §. 1. 2. 3. & 4. Estius in 4. dist. 7. §. 8. Sylvius in Supplem. q. 98. art. 6. Gonetus disput. 14. de Angelis art. 1. §. 2. & 3. Suarez Lib. 8. de Angelis cap. 8. Vasquez 5. p. q. 64. disput. 241. cap. 4. Tannerus disp. 5. de Angelis quæst. 6. dub 5. Ysambert 1. p. q. 64. art. 2. & 1. 2. quæst. 109. disp. 5. art. 5. Grandin Tract. de gratia quæst. 1. sect. 3. punct. 4. Petavius Lib. 5. Theolog. dogmat. cap. 10. n. 11. aliique plures quos fuse refert Suarez loco mox laudato.

Verum nonnihil discriminis est (quod observandum) inter illos auctores, in explicanda libertate ad peccandum requisita, cum dæmonum in malis obfirmatione. Cajetanus, Ferrariensis, Salmanticenses, Bannesius, Estius, Sylvius, Gonetus locis mox citatis, aliique nonnulli existimant impotentiam dæmonum ad bonum morale, non obstare eorumdem libertati ad peccandum necessariæ: quia, juxta hos auctores, ad eam salvandam minime requiritur, quod post electionem perversi finis sint indifferentes ad bonum & malum; sed sufficit indifferentia ad diversa mala, servato ordine ad eumdem finem: sicut ad salvandam libertatem in Beatis non requiritur indifferentia ad bonum & malum, sed sufficit indifferentia ad diversa bona, servato ordine ad eumdem finem. Ita to-

eidem ferme verbis Salmanticenſes loco antea citato, *Nam*, inquiunt, *ut ex S. Thoma diximus, ad dæmonum libertatem non eſt neceſſe, ut poſt electionem perverſi finis ſint indifferentes ad malum & ad bonum, ſed ſatis eſt indifferentia ad diverſa mala, ſervato ordine ad eumdem finem. Sicut e contra in Beatis non requiritur ad libertatem eorumdem indifferentia ad bonum & ad malum; ſed ſufficit indifferentia ad diverſa bona, ſervato ordine ad eundem finem.* Ita etiam Cajetanus, Bannes, Gonetus &c. Unde appoſite ad præſentem materiam obſervat idem Bannes 1. p. q 6. art. 2. dubit. 2. ad 4. *quod Angelo aut homini non competat libertas ad bonum & malum per ſe & neceſſario, ſi conſideremus hominem & Angelum abſolute, abſtrahendo ab hoc vel illo ſtatu. Si tamen*, pergit idem auctor, *conſideretur homo vel Angelus prout eſt in ſtatu viæ, in quo ſtatu non eſt confirmatus in bono aut in malo fine, per ſe illi competit libertas ad bonum vel malum: ſi autem e contra conſideretur in ſtatu termini, nullo modo poteſt illi competere illa libertas ad bonum & malum, ſed damnatis neceſſario competit libertas ad malum præciſe, Beatis vero ad bonum præciſe.*

E contra vero Suares, Vaſques, Tannerus, Yſambert, Grandin, Petavius &c. videntur aſſerere dæmones alioſque damnatos gaudere vera ac proprie dicta, non quidem *morali*, ſed *phyſica* electionis indifferentia, non certe ad bonum ſupernaturale, cum omni prorſus gratia deſtituantur, ſed ad aliquod bonum morale ordinis naturalis. Unde, juxta hos auctores, dæmonum ad bonum morale impoſſibilitas, phyſica non eſt, ſeu per carentiam phyſicæ potentiæ activæ ex parte vo-

voluntatis dæmonis; (cum sit inter bonum morale ordinis naturalis & dæmonis voluntatem proportio) sed moralis duntaxat, propter obstinationem, quæ tanta est ut infallibiter nunquam, nec etiam raro contingat, damnatum bene simpliciter operari.

Horum Theologorum fundamenta hæc sunt, 1. quod vis electiva, seu indifferentia electionis, sit aliquid naturale & intrinsecum substantiæ spirituali, quod prorsus inamissibile est, ac proinde in dæmonibus & damnatis superstes manet; 2. quod illa vis electiva respectu boni moralis non sit ligata ullo impedimento physice invincibili, quia supponunt dæmones gravissima & perpetua tentatione ad male agendum ita provocari, ut non omnino eorum judicium absorbeatur, atque adeo non careant indifferentia judicii ad bonum & malum morale, quod sufficit ex mente eorumdem Theologorum, ut tentatio qua damnati continuo urgentur, non sit penitus invincibilis; 3. contendunt quamlicet dæmones non careant indifferentia judicii, nec viribus *physicis*, proportionatis & expeditis relative ad vincendas gravissimas tentationes quas patiuntur, & ad bonum morale naturalis ordinis eliciendum, nusquam tamen futurum ut bonum operentur, propter eorum in malis obstinationem, qua fit, necessum esse necessitate *morali*, ipsos semper exercere, saltem indeterminate, aliquem actum moraliter malum.

Hanc esse Suarefii aliorumque auctorum, quos mox indicavimus, sententiam, aperte patet diserris eorum testimoniis.

Suares Lib. 8 de Angelis cap. 9. n. 7. *Admittimus imprimis*, inquit, *dæmonem non*

ita destitui cogitatione honesta, quin saltem sufficientem habeat ad operandum bonum morale, si velit ∴ Primo quia dæmon libere eligit inter bonum & malum; ergo necesse est ut utriusque sufficientem habeat cognitionem ad volendum quodcumque illorum, quia inter ea quæ sufficienter non cognoscuntur, non est electio nec libertas.

Et cap. 8. n. 3. sic habet: *Angelus ex natura sua est liber, vel in omnibus, vel fere in omnibus actibus suis quoad specificationem, seu determinationem inter bonum & malum, ut est certissimum de Angelo in pura natura spectato: sed in dæmone manet voluntas naturalis integra & perfecta, quia non est læsus in naturalibus, juxta commune axioma Dionysii & Theologorum; ergo retinet eamdem libertatem.*

Rursus cap. 11. n. 22. & 23. sic loquitur: *Respondeo concedendo istam impossibilitatem non esse per carentiam physicæ potentiæ activæ ex parte voluntatis dæmonis. Cum enim fateamur, hos actus esse liberos dæmoni saltem quoad exercitium, necesse est ut in illo sit aliquo modo potentia ad agendum, & non agendum, etiam suppositis omnibus conditionibus & impedimentis, quæ determinationem voluntatis antecedant, ipsamque ante illius consensum liberum afficiunt, quia hoc est intrinsece necessarium ad libertatem.*

Tannerus disput. 5. de Angelis qu. 6. dub. 5. n. 20. 21. 22. & 23. *Mihi*, inquit, *in hac re quatuor videntur dicenda: 1. dæmones posse aliquod opus morale saltem ex objecto bonum operari, quod tamen aliqua circumstantia mala depravatur ∴ 2. omnes illorum actus deliberatos reipsa esse malos, ut aperte docet S. Thomas hic art. 2. & communis habet Doc-*

tor-

ctorum sententia ∴. 3. non posse dæmones moraliter loquendo bonum operari, ad eum modum, & majori etiam ratione, qua assuetus diu, immersusque vitio, & pravæ peccandi consuetudini, occasione durante, moraliter censetur a peccato se non posse continere ∴ Quæ impotentia ∴ etiam non tollit libertatem & facultatem physicam, non committendi hoc vel illud peccatum. Præterquam quod dæmones ex actibus malis possint modo hos, modo alios exercere; liberi proinde non solum quoad exercitium, sed in plerisque etiam quoad specificationem. Dico in plerisque, quia actum dilectionis Dei super omnia, oppositum odio Dei, verius est eos non posse in hoc statu elicere ∴ 4. posse tamen (dæmones) *absolute & physice loquendo, potentia nunquam in actum redigenda, bonum aliquod opus morale facere, cum nullum illis principium ad ejusmodi potentiam requisitum desit. Siquidem etsi gratia omnis, etiam sufficiens illis denegetur, ea tamen minime necessaria est ad quodlibet opus bonum morale peragendum. Atque in hunc modum plures auctores conciliantur: quem etiam video tradi a Suarez Lib. 8. cap. 8. & 11. præsertim n. 23.* Describendum fuit, tametsi prolixius istud testimonium, quo Tanneri, Suaresii, aliorumque quos supra laudavimus, mens atque doctrina plene ac clare dignoscitur.

Petavius Lib. 5. Theologic. dogmat. cap. 10. n. 11. de obduratis & dæmonibus sic scribit: *Nec excussa illis est penitus libertas arbitrii, nec alia est ista quam moralis necessitas, cui licet absolute reluctari possint, & in contrarium niti, si velint, non tamen hoc facturi sunt. Quod in dæmonibus ac damnatis multo evenit magis, qui & libere peccant, ut quæ*

faciunt, possint non facere: nec tamen facturi non sunt, nec usuri liberæ potestatis arbitrio. Idem non minus diserte docent Vasques, Ysambert, Grandin & alii. *Dæmones & animæ damnatæ*, inquit Grandin Tract. de gratia qu. 1. sect. 3. puncto 4. pag. 61. *vires quidem physicas habent ad opus bonum, (cum sit inter illud & eorum voluntates proportio) non morales propter obstinationem.*

Quidquid autem sit de hacce Suarefii aliorumque sententia, longius certe distat aberrore tertiæ Jansenii Propositionis: tum quia auctores hujus sententiæ non agunt de libertate hujusce status; tum quia loquuntur de libertate ad peccandum, non autem ad merendum & demerendum necessaria; tum denique quia admittunt in dæmonibus & damnatis veram ac proprie dictam ad bonum morale potentiam, vincendis omnibus occurrentibus impedimentis *physice* proportionatam: unde si quid durius in ea sententia occurrat, non in eo certe est quod libertatem nimium deprimat, sed potius quod libertati dæmonum aliorumque damnatorum plus æquo tribuat, quatenus nempe hujusce sententiæ auctores gratis supponunt damnatorum judicium non absorberi gravissimis illis tentationibus & miseriis quibus obruuntur; atque adeo illos veram ac proprie dictam ad bonum morale retinere indifferentiam.

Respondent 3. Bellarminus Lib. 5. de gratia & libero arbitrio cap. 14. Ruardus Taperus in articulum 7 Facultatis Lovan. pag. 271. 272. 273. Deschamps de hæresi Pelag. disput. 4. cap. 7. quo etiam recedit sententia Estii in 2. dist. 7. §. 8. & Sylvii in Supplem. quæst. 98. art. 1. & 8. eodem modo

sta-

ſtatuendum eſſe de damnatis qui generali peccandi conſuetudine adſtringuuntur, ac de Beatis qui contraria & generali bene agendi neceſſitate devincti ſunt: porro Beati liberi ſunt, non quidem reſpectu finis ultimi, ſeu amoris beatifici, qui ex clara Dei viſione neceſſario profluit; ſed circa alia bona quæ ab illis fieri poſſunt aut omitti, & in iis bene ac laudabiliter operantur: ita etiam de dæmonibus & damnatis reſpectu mali ſtatuendum eſt. Operæ pretium erit hic audire Cardinalem Bellarminum, Calvini argumentum ea de re refellentem. *Ad tertiam*, inquit Bellarminus L. 5. de gratia & libero arbitrio c. 14. (Calvini rationem) *de peccatis dæmonum & bonis operibus Angelorum, reſpondeo; tam Angelos ſanctos, quam malos dæmones reſpectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a neceſſitate, ſed ſolum a coactione; tamen reſpectu mediorum liberum arbitrium etiam a neceſſitate habere, quia multa faciunt, quæ poſſunt non facere, & contra: & in hujuſmodi dæmones vere peccare, & bonos Angelos opus vere laudabile facere, quamvis nec pœna, nec præmium eſſentiale creſcere poſſit, cum utrique ſint in termino, & omnia ipſorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ ſempiternæ pertineant. Itaque propoſitio illa Calvini, Dæmones ſemper neceſſario male agunt; in aliquo ſenſu falſa eſt, in aliquo vera. Verum ſiquidem eſt in genere, eos non poſſe niſi male agere; falſum tamen eſt in particulari, omnia mala quæ faciunt, illos neceſſario facere: poſſent enim, ut diximus, multa non facere quæ faciunt, & ideo non neceſſitate, ſed voluntate peccata committunt.* Eodem plane modo loquuntur Ruardus Tapperus,

Deschamps locis antea adductis, & alii plerique. Paulo aliter rem explicat Estius loco mox citato. *Dubitatur*, inquit, *utrum dæmones peccent in eo quod malum volunt aut faciunt: sunt enim obdurati in malo, non ergo libertatem habent ad malum, & proinde non peccant malum volentes; nullus enim peccat in eo circa quod non est liber.* Nodum hunc ut solvat, respondet dæmones liberos non esse circa finem cui se semel applicuerunt, adeoque non amplius peccare novo peccato per hoc quod finem illum volunt. At vero, pergit Estius, voluntas dæmonum libera manet respectu mediorum quæ ad hunc pravum finem ordinabilia sunt: unde concludit, ipsos peccare novo peccato, quoties assumunt & ordinant hujusmodi media ad pravum finem cui sunt affixi. Juvat Estii verba exscribere. *Malum in hoc dubio*, inquit, *potest bifariam intelligi; scilicet aut ipsum malum finem cui dæmones se semel applicuerunt, aut medium ad hunc finem. Si finis ipse intelligatur; fatendum videtur dæmones post primam electionem qua malo fini sese applicuerunt, non amplius peccare novo peccato per hoc quod finem illum volunt; sed affectionem mali finis in iis sine intermissione perdurantem esse continuatum & unum peccatum, cum ab iis commissum quando hoc libere elegerunt. Si vero medium ad hunc finem ordinabile intelligitur; cum respectu mediorum ∴ maneat voluntas Angelorum libera, manifestum est dæmones peccare novo peccato, quoties assumunt & ordinant hujusmodi media ad pravum finem cui sunt affixi; vel, quod eodem recidit, quoties assumunt ipsum pravum finem ut rationem eligendi hæc aut illa media ∴ Quamvis enim*

affe-

affectio mali finis versa sit eis quasi in naturam, ideoque illa non fiat novum peccatum; ejusdem tamen finis per hujusmodi affectionem assumptio ad certa media eligenda (circa quæ libera manet Angelorum voluntas) *novi subinde peccati rationem habet*. Hæc Estius.

Respondent denique 4. alii nonnulli, omnes dæmonum aliorumque damnatorum deliberatos actus non esse vere, proprie ac *formaliter* peccata, sed *materialiter* duntaxat & minus proprie; defectu libertatis ad peccatum proprie dictum requisitæ. Scilicet, inquiunt, ad peccatum *materialiter* & minus proprie, sufficit ut actio sit deformis & contra rectam rationem: ut autem actus sit vere, proprie ac *formaliter* peccaminosus necessaria est insuper libertas ad utrumlibet, quam quidem dæmones & damnati non habent. Pro hac sententia stant Gnamachæus in 1. p. q. 13. art. 5. teste P. Deschamps Lib. 3. de hæresi Pelag. disput. 4. cap. 7. Horantius Lib. 1. c. 29. & Pennotus Lib. 1. cap. 17. ubi sic loquitur, *Verum objicit Calvinus, quoniam diabolus & damnati peccant, & tamen necessario peccant, cum sint in malo obstinati. Respondetur, diabolum & damnatos minime peccare in eo quod omnino vitare non possunt, licet enim sint in malo obstinati, tamen habent quosdam actus quos libere exercent. Dato autem, & non concesso, quod etiam modo proprie peccent, in his solum peccare poterunt, in quibus habent libertatem, non necessitatem.*

Ex variis omnibus mox recensitis Theologorum sententiis circa propositam quæstionem de peccatis dæmonum, pro ceteris nobis arridet opinio Bellarmini, Ruardi Tapperi & aliorum in responsione tertia.

Dicimus itaque 1. cum iis auctoribus, dæmones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a necessitate, sed solum a coactione: adeoque non amplius peccare novo peccato per hoc quod finem illum volunt.

Finem hunc nonnulli reponunt in odio Dei, quod in damnatis omnibus necessarium esse arbitrantur, quandoque proinde in ipsis vere ac proprie esse peccatum negant.

Dicimus 2. dæmones & damnatos liberos esse non solum a coactione, sed etiam a necessitate respectu mediorum, quia multa faciunt quæ possent non facere, & contra: unde manifestum est in hujusmodi ipsos peccare novo peccato, quoties scilicet assumunt & ordinant hujusmodi media ad finem cui sunt affixi.

Dicimus 3. nec pœnam demonum, nec præmium essentiale Beatorum crescere posse. Ratio est, quia utrique sunt in termino, & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis vel gloriæ sempiternæ pertineant. Verum istud postremum amplius constabit ex dicendis sequenti Conclusione.

QUARTA CONCLUSIO.

Dæmones actibus malis quos continuo & libere eliciunt, non demerentur.

Probatur 1. ex Scripturis. Idipsum significat Ecclesiastes cap. 11. his verbis: *Lignum in quocumque loco ceciderit, ibi erit.*

Probatur 2. ex S. Thoma, qui licet quandoque existimaverit non improbabile, Beatos ante diem Judicii præmium accidentale, damnatos vero pœnam secundariam mereri posse, postea tamen, neque Beatos, neque damnatos quidquam mereri posse post mortem, variis in locis docet 1. p. q. 62. art. 9.

ad

ad 2. *Melius est*, inquit, *ut dicatur quod nullo modo aliquis Beatus mereri potest, nisi sit simul victor & comprehensor, ut Christus.* Et 2. 2. q. 13. art. 4. ad 2. *In Beatis*, ait, *bona non sunt meritoria, sed pertinentia ad eorum beatitudinis præmium; & similiter mala in damnatis non sunt demeritoria, sed pertinent ad damnationis pœnam.* Similia habet S. Doctor quæst. 7. de malo art. 11.

Probatur 3. ex constanti Theologorum consensu, qui omnes, si unum aut alterum excipias, ut antea observavimus de Alensi & Media-villa, censent in 4 dist. 50. damnatos per opera, quæ extra viam faciunt, non mereri augmentum pœnæ essentialis damni aut sensus.

Probatur 4. quia sicut sanctissima electorum voluntas in cœlis nullam ampliorem gratiam meretur, ita mala damnatorum voluntas sine merito ulterioris pœnæ futura est. Cujus ratio est, quia utrique jam in ultimo fine bonorum vel malorum, tanquam in termino consistunt, transacta hujus vitæ via, quæ illis ad merendum est constituta. Ideoque sicut bona voluntas in bonis non erit meritum, sed præmium; ita mala voluntas in malis non demeritum erit, sed supplicium, nisi forte, ut notat Estius in 4. dist. ultima §. 1. quis fingat in utraque illorum voluntate rationem meriti ac demeriti respectu perpetuæ continuationis ejusdem status. Quod tamen, pergit ibid. Estius, non est necessarium, cum illius perpetuitati sufficiens meritum comparatum fuerit in præsenti vita.

Dices: Peccatum omne pœnam meretur, id enim postulat naturalis ordo justitiæ divinæ; ergo cum damnati perpetuo peccent

in omnibus ſuis actibus deliberatis, extra ſtatum merendi & demerendi non ſunt conſtituti, alioquin peccarent impune, quod juſtitia Dei non patitur.

Reſp. cum Suarez Lib. 8. de Angelis c. 11. diſt. ant. peccatum omne pœnam meretur, in præſenti vitæ ſtatu, concedo: in futuro damnatorum ſtatu, nego. Et ratio eſt, inquit ibidem Suarez, quia damnati jam ſunt in termino: mereri autem & demereri, ſunt proprietates operum viatorum, non eorum qui ad terminum pervenerunt.

Ex his intelligi poteſt, quo ſenſu SS. Patres interdum negent damnatos peccare, imo & peccare poſſe. Loquuntur ſcilicet de merito & augmento peccatorum ac vitiorum: quod vel ex eo patet, quia ſimiliter de bonis & malis loquuntur, dicentes mortuos nec juſte agere poſſe, nec peccare, nec virtutes adjicere nec vitia: porro quis dixerit, Patres negaſſe ſanctiſſimam Beatorum voluntatem, quę divinæ voluntati totius juſtitiæ fonti ſemper conformis eſt, juſte agere poſſe? Ita exponenda ſunt ea de re ſanctorum Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini & aliorum teſtimonia.

QUINTA CONCLUSIO.

Ratio formalis ob quam dæmones aliique damnati in malo ſunt obfirmati, non eſt neque habitus vitioſus cauſatus a Deo in voluntate damnatorum, eamque neceſſitans ad male agendum, quæ ſententia tribuitur Aureolo: nec actus (odium ſcilicet Dei, a Deo immediate productus in eorumdem voluntate, ut placet Ochamo & Gabrieli: nec privatio auxilii divini gratuiti, quo negato fieri nequit ut dæmones per ve-

veram & fructuosam pœnitentiam convertantur ad Deum, uti volunt Scotus, Richardus, Durandus; nec denique inflexibilitas vel immobilitas voluntatis dæmonum, ut contendunt Cajetanus, Ferrariensis, Salmanticenses; sed illa oritur præcise & formaliter ex miserrima conditione status eorum in termino, juncta naturali conditione & fragilitate voluntatis creatæ, suis tantum viribus relictæ, sine ullo gratuito Dei auxilio, cum sola generali & quasi physica Dei influentia ad operandum. Ita Suares, Verigers, Ysambert, &c. Conclusio quinque præcipuas partes complectitur.

Probatur prima pars, nempe quod dæmonum obduratio non proveniat ex infuso vitioso habitu inclinante & necessitante voluntatem dæmonum ad male agendum. Hæc enim opinio injuriosa est in divinam bonitatem, cum ex ea consequens appareat, Deum auctorem esse mali culpæ, sive pravæ voluntatis, quod ab eo maxime alienum est, *qui odit impium & impietatem ejus*.

Probatur secunda pars, quod illa in malo obfirmatio non fiat per actum aliquem a Deo productum in voluntate dæmonum, eadem prorsus ratione: cum enim talis obfirmatio sit causa continuationis odii in Deum, & omnium peccatorum quæ perseveranter dæmones operantur; si hujus obdurationis Deus esset auctor, esset pariter eorum peccatorum auctor censendus, quod est hæreticum.

Probatur tertia pars, quod obduratio non oriatur ex negatione divini auxilii ad fructuosam pœnitentiam necessarii. Scilicet hæc Scoti & Durandi sententiam assignat equidem causam

sam impœnitentiæ de peccato commisso, non vero obstinationis semper male moraliter operandi; quæ duo longissime distant. Porro hic potissimum quæritur ratio qua fit ut dæmones in omnibus suis actibus deliberatis male moraliter operentur.

Probatur quarta pars, scilicet dæmonum obstinationem non provenire ex inflexibilitate aut immobilitate voluntatis eorum: 1. sententia hæc supponit voluntatem dæmonum esse inflexibilem, atque objecto semel electo fixe & immobiliter adhærere: porro principium istud falsum esse superius Quæst. 4. probavimus, & sic iterum convincitur: Angelus malus in primo instanti bene operatus est; ergo si Angeli voluntas in prima electione est immobilis, necessario semper bene sic debuit operari; quod consequens cum sit falsum, fatendum est ejus voluntatem ex natura sua non esse inflexibilem; 2. prædicta sententia solum probat dæmonem semper ac necessario in statu peccati esse; seu ita obstinatum esse circa peccatum semel commissum, adhærendo & complacendo in illo, ut illius affectum deponere non possit: at vero non explicat undenam oriatur quod voluntas dæmonis nonnisi male moraliter operari possit: istud autem postremum est, cujus ratio hic maxime inquiritur: uno verbo causam assignat cur dæmonum voluntas obfirmata sit circa malum semel commissum, non vero circa malum futurum, seu in ipsomet statu damnationis committendum; 3. obstinatio voluntatis omnibus damnatis tam hominibus quam Angelis communis est; ergo valde verisimile est, causam obstinationis in ipsis omnibus esse communem: atqui tum ex

con-

consensu adversariorum, tum ex ipsa rei natura constat, inflexibilitatem voluntatis non esse causam & rationem obfirmationis in malo, respectu hominum damnatorum, ergo, &c.

Probatur denique quinta pars, nimirum obstinationem in omnibus damnatis, sive Angelis, sive hominibus, oriri ex miserrima conditione status damnatorum juncta, naturali fragilitate voluntatis creatæ suis tantum viribus relictæ 1. nec ex parte Dei, nec aliunde potest alia assignari causa obstinationis dæmonum, ut ex refutatione aliorum sententiarum sufficienter patet, 2. in hominibus prædicta causa est sufficiens, nec alia assignari potest: ergo similis erit etiam sufficiens in Angelis, ergo frustra quæritur alia; 3. idem probatur recensendo nonnullas miserrimi status damnatorum conditiones: scilicet gravissimæ & continua tentatione urgentur, orta nimirum ex acerbissima tristitia ob amissam beatitudinem; ex acutissimis conscientiæ stimulis, quibus semper vexantur, juxta illud Marci 9. *Vermis eorum non moritur*, ex intolerando ignis tormento: denique ex desperatione veluti rabida, quod tot & tanti cruciatus longe acerbissimi nullum finem habituri sint: ex iis autem omnibus reprobi sic in odium Dei commoventur, ut voluntas eorum male affecta, & omni gratiæ auxilio destituta: semper & necessario ad malum determinetur. Totum istud paucis his verbis complectitur Soto in 4. dist. 50. art. 4. & 5. *Sicut ex visione Dei sequitur in Beatis confirmatissimus ipsius amor; ita in damnatis ex consideratione suæ miseriæ sequitur obstinatissimum Dei odium, quo velut hostem eum perpetuo prosequuntur.*

QUÆ-

QUÆSTIO UNDECIMA.

De pœna Dæmonum.

QUatuor sunt in præsenti Quæstione resolvenda. Primum, an dæmones statim post peccatum fuerint in infernum detrusi. Secundum, an vero & proprie dicto igne torqueantur. Tertium, quonam modo ignis ille agat in dæmones, qui puri videlicet spiritus sunt. Quartum, an dæmonum supplicia nullum unquam finem habitura sint.

ARTICULUS PRIMUS.

An Dæmones statim post peccatum fuerint in infernum detrusi.

CONCLUSIO.

Dæmones statim post peccatum ad ima tartara præcipitati fuere, ibique damnationis suę pœnam modo & ante ultimi Judicii diem patiuntur.

Probatur 1. ex Scripturis quæ apertis verbis id declarant. Sic S. Petrus 2. Epist. c. 2. *Deus*, inquit, *Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos in judicium reservari.* Consonat S. Judas in Canon. v 6. *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit.* Huc etiam pertinet istud Isaiæ 14. *Detracta est ad inferos superbia tua*, & infra, *Verumtamen ad inferos detraberis usque ad profundum laci.*

Hoc

Hoc ipsum non obscure colligitur ex Concilio Florent. ubi definitur, *illorum animas qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.* Quanquam autem de dæmonibus nihil ibi definiant Patres, tamen idem de ipsis ac de animabus sentiendum esse, manifestum est.

Eandem veritatem adstruunt SS. Patres. Ita namque docent Ambrosius in c. 8. S. Lucæ, ubi de legione dæmonum agitur, Hieronymus in Isai. 14. ad illud, *Infernus subter te conturbatus est.* S. Augustinus L. 21. de civit. Dei c. 3. Gregorius Nazianz. Oratione in S. Cyprianum, Chrysost. Homil. 24. in Matth. ad illud cap. 8. *Venisti ante tempus torquere nos*, Cyrillus L. 5. contra Julian. ante medium, quem & S. Thomas citat in catena ad Luc. 6 & S. Gregor. L. 4. Dialog. c. 28. Satis sit hic S. Greg. verba exscribere: *Si esse*, inquit loco citato, *Sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas, & iniquorum animas in inferno: quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia ut & injusti crucientur. Non sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est, quod a die exitus sui, ignis reprobos exurat.* Porro eadem omnino est ratio de dæmonibus ac de reprobis animabus.

Favent etiam & nonnulla momenta theologica minime spernenda.

Primum est, quia admodum verisimile est dæmonum supplicium ita se habere, sicuti gloriam ac mercedem bonorum Angelorum: atqui bonorum Angelorum beatitudo non differtur usque ad ultimi Judicii diem, sed ea fruun-

fruuntur in cœlis, ex quo fuerunt in gratia confirmati, juxta illud Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris*, ergo & dæmones in infernum dejecti sunt ac præcipitati, ex quo a Deo aversi peccaverunt.

Secundum est, quia certum est dæmones in inferno tortores esse animarum damnatorum hominum, ibique eorum suppliciis esse præfectos: atqui absurdum esset dicere dæmones in inferis torquere animas damnatorum, nec tamen ipsos ibi pœnis sibi destinatis subjici; ergo pœnam pro merito nunc in inferis patiuntur, nec expectabunt Judicii diem.

Tertium est, quia animæ damnatæ non sunt pejoris conditionis quam dæmones: atqui animæ damnatæ statim & sine intermissione pœnam peccato debitam in inferis patiuntur, juxta illud Job 21. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt*, & Luc. 16. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno*; ergo a fortiori dæmones.

Objicies 1. ex Scripturis: Matth. 8. dæmones dicunt Christo, *Venisti ante tempus torquere nos*. Matth. 25. in extremo Judicio dicetur malis: *Ite in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus*. 1. Cor. 6. sic loquitur Apostolus, *Nescitis quoniam Angelos judicabimus?* Ex iis apparet 1. dæmones nondum torqueri; 2. nondum missos esse in ignem æternum, seu in infernum; 3. denique nondum esse judicatos; sed in judicium reservari.

Ut hæc solvatur difficultas, triplex cum Estio in 2. dist. 6. parag. 14. distinguenda est diaboli damnatio.

Prima, qua damnatus est initio, quando pro-

propter superbiam dejectus est e cœlo, & in æternam miseriam præcipitatus; de qua damnatione loquitur Petrus Apostolus loco supra citato, *Non pepercit eis, &c.*

Secunda, qua per Christum sua potestate in homines cecidit, ut non amplius longe lateque dominetur ea libertate, eoque successu, quo ante Christi adventum dominari permissus fuerat: de hac damnatione ait Christus Joan. 12. *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Tertia denique diaboli damnatio erit in extremo, universali & manifesto judicio, in quo licet nulla futura sit accessio ad pœnam ejus principalem, sicut nec animabus damnatis, maxima tamen fiet ad secundariam: 1. quia cum dæmones sint superbissimi, maximam confusionis pœnam patientur ex eo, quod tunc ipsorum malitia toti mundo manifestabitur, palamque omnibus fiet quam sint viles & contemptibiles; 2. quia judicabuntur non tantum a Deo, sed etiam a SS. hominibus quos extremo odio prosecuti sunt, atque ab iisdem publico & irretractabili judicio condemnabuntur; 3. auferetur ab eis omnis imposterum electis nocendi potestas; quod illi, pro ingenti malitia & odio quo bonos omnes persequuntur, pro maximo tormento reputabunt. Hoc præsuppositio,

Resp. adducta Scripturæ testimonia, aliaque multa a quibus judicii, seu damnationis dæmonum ac supplicii eis irrogandi in fine sæculi, mentio fit; intelligenda esse de damnatione non quidem primi, sed tertii duntaxat generis. Non ergo per ea testimonia significatur quod dæmones ante ultimi Judicii diem principali pœna non crucientur, aut minus quam postea, sed quod tunc supplicia-

ciorum suorum complementum ac plenitudinem ita accipient, accessione pœnarum accidentalium quas mox recensuimus, ut verum sit dicere, quod illo tempore in extremam & summam miseriam projicientur, cui scilicet nihil sit ultra accessurum: atque ita exponenda esse Scripturæ testimonia, quæ nobis objiciuntur, manifeste patet ex adductis inter probationes SS. Petri & Judæ textibus.

Objicies 2. varia SS. Patrum testimonia quæ videntur asserere dæmones non esse torquendos pœna gehennæ ante diem Judicii? Ita S. Justinus Apolog. 1. & 2. sæpius repetit *dæmones igni sempiterno tradendos esse, nondum tamen traditos*. Sancto Justino consentiunt S. Irenæus Lib. 5. contra hæreses, Eusebius Lib. 5. Historiæ cap. 17. Oecumenius in cap. ultimum 1. Petri, Epiphanius in hæresi Sethianorum. Idem etiam docent SS. Ambrosius in Comment. cap. 8. S. Lucæ, Hieronymus & Chrysost. in cap. 8. Matth. Augustinus Lib. 8. de civit. Dei cap. 23. Gregorius Lib. 4. Moralium cap. 10. Bernardus serm. de sancto Malachia, & alii plerique.

Resp. cum Bellarmino Lib. 1. de beatitudine Sanctorum c. 6. deferendam esse hac in parte SS. Justini, Irenæi, Epiphanii, necnon Eusebii & Oecumenii sententiam. Quod autem attinet alios SS. Patres mox recensitos, non negant, inquit ibidem Bellarminus, dæmones hoc tempore torqueri tam pœna damni, quam pœna sensus; sed hoc unum volunt, post extremum Judicium plenius quam antea miseriores fore, atque tunc pœnarum suarum complementum habituros, accessione scilicet pœnarum accidentalium, de qui-

quibus superiori objectione diximus : quod quidem pœnarum complementum adeo timent, ut in exorcismis nulla re magis torqueri videantur, quam commemoratione & comminatione futuri Judicii; unde exorcismi fere omnes his verbis concludi solent, *Per eum qui venturus est judicare vivos & mortuos, & sæculum per ignem.*

Atqui hoc pacto dilui potest objectio quæ proponitur ex ceremoniis Ecclesiæ quæ veteri ritu Baptismo præmittuntur, in quibus inter exorcizandum hæc & hujusmodi verba diabolo dicuntur : *Nec te lateat imminere tibi pœnas, tormenta, diem judicii, diem supplicii æterni, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi & universis angelis tuis æternus veniet interitus : & ideo pro tua nequitia damnate & damnande, da honorem Deo; appropinquabit enim judicium Dei.* Per hoc enim quod diabolus dicitur damnatus & damnandus, significatur eum jam torqueri in inferno, sed pœnarum suarum complementum in die Judicii accepturum, quatenus scilicet tunc ipsius malitia palam omnibus manifestabitur, atque auferetur ab eo omnis imposterum electis nocendi potestas.

Objicies 3. ex ratione : Non omnes dæmones sunt in inferno, sed multi adhuc in aere, ac supra terras vagantur : communis hæc est sanctorum Patrum sententia, teste S. Hieronymo in Comment ad Epistolam S. Pauli ad Ephes. ubi explicans illa verba cap. 7. *Contra Spiritualia nequitiæ in cœlestibus*, vocabulum, *cœlestium*, de aere interpretatur, & postea subdit : *Hæc autem omnium Doctorum opinio est, quod aer iste qui cœlum & terram medius dividens, inane appellatur, plenus*

sit

sit contrariis fortitudinibus; ergo cum multi ex dæmonibus nunc in inferno non sint, consequens est non omnes eos igne inferni cruciari; ignis enim non urit ubi non est; unde & Christum rogant Luc. 8. ne in abyssum, id est, infernum mittantur, scilicet metuentes pœnam ignis infernalis.

Respondeo, equidem eam fuisse plurimis e SS. Patribus communem sententiam, non omnes prorsus dæmones statim post peccatum in inferiorum claustris fuisse reseratos; sed eorum plerosque in tartarum fuisse deturbatos, reliquos vero in aere, viciniſque locis vagari, atque ultro citroque commeare. Ita docent S. Hieronymus loco mox citato, & Eusebius L. 7. Præparationis Evangelicæ: at exinde non licet colligere dæmones qui in aere versantur non torqueri, nec damnationis suæ pœnam pati: uti enim recte notat Beda in caput 3. Epist. S. Jacobi, *Quicumque dæmones volitent, ii ubique suam gehennam circumferunt.*

Et vero sicut sancti Angeli, etiam dum apud nos agunt, *semper vident faciem Patris*, & hac ratione in cœlis esse a Christo dicuntur Matth. 18. quomodo & Tobiæ 12. Raphael Angelus dicit se ex iis esse qui semper astant ante Dominum; & Gabriel Lucæ 1. profitetur se astare ante Deum; ita dæmones etiam dum hoc in aere versantur, pœnas inferni sustinent: quatenus scilicet gehennam suam, uti mox ex Beda vidimus, quocumque pergunt, secum portant. Qua autem ratione fieri possit, ut gehenna ignis agat in dæmones etiam per aera volitantes, inferius Articulo 3. hujusce Quæstionis expendemus.

AR-

ARTICULUS II.

An Dæmones igne vero & corporeo in inferno torqueantur.

IN præcedenti Articulo diximus Angelos malos, ſtatim atque peccaverunt, in inferorum claustris fuiſſe reſeratos, ibique damnationis ſuæ pœnam ignis ſcilicet ſupplicium experiri non ex peccato ultimi Judicii die; nunc inveſtigandum utrum ignis ille verus ſit & corporeus. Antequam ſtatuatur Concluſio,

Obſervandum, nonnullos ex antiquioribus cùm Origene ſenſiſſe ignem cui jam addicti vel addicendi ſunt dæmones, non eſſe corporeum, nec aliud ſignificare, quam peccatorum ſtimulantem conſcientiam. Hanc fuiſſe Origenis ſententiam ſcribit S. Hieronymus Apolog. 2. contra Ruffinum, ubi ait: *Ignes autem æternos, quos intelligere ſolet Origenes, puto quod te non fugiat, conſcientiam videlicet peccatorum & pœnitudinem cordis internam urentem, de qua Iſaias loquitur c. 66. Vermis eorum non moritur, & ignis eorum non extinguetur.* Idipſum fuſius exponit Epiſt. 69. ad Avitum, ubi de Origene loquens ſic habet: *Ignis quoque gehennæ, & tormenta quæ Scriptura ſacra peccatoribus comminatur, non ponit in ſuppliciis, ſed in conſcientia peccatorum, quando Dei virtute & potentia omnis memoria delictorum ante oculos noſtros ponitur: & quidquid feceramus in vita vel turpe, vel impium, omnis eorum in conſpectu noſtro pictura deſcribitur, ac præteritas voluptates mens intuens, conſcientiæ punitur ardore, & pœnitudinis ſtimulis confoditur.*

Eandem ſententiam Theophilactus amplectitur in c. 9 S. Marci: *Vermis autem*, inquit, *& ignis*

ignis qui peccatores puniunt, uniuscujusque conscientia est, & memoria eorum quæ in hac vita turpia commissa sunt; quæ tanquam vermis consumit, & sicut ignis incendit. Subscribit Catharinus Lib. de præmio bonorum & supplicio malorum: ibi contendit Scripturam intelligendam esse de igne metaphorico, sicut de Verme, Marci 9. Imo S. Ambrosius in cap. Lucæ, & S. Gregorius L. 15. Moralium c. 17. videntur asserere ignem tartareum esse incorporeum. Nihilominus sit

CONCLUSIO.

Dæmones igne vero & proprie dicto in inferno cruciantur. *Hæc Conclusio*, inquit Sylvius in Suppl. q. 70. art. 4. *etsi non sit fidei, cum de ea non extet aperta definitio Ecclesiæ, communiter tamen asseritur, propter frequentes Scripturæ sacræ sententias, in quibus damnatorum supplicium* ignis *nomine designatur*. Addit Ysambert. qu. ultima de Angelis art. 3. *propositionem hanc ita esse certam, ut opposita censeatur esse temeraria.*

Probatur 1. ex Scripturis Matth. 3. *Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excidetur, & in ignem mittetur.* Ex cap. 5, *Reus erit gehennæ ignis.* Marci 9. *In ignem inextinguibilem, ubi vermis eorum non moritur.* 2. Thessal. 2. *In flamma ignis dantis vindictam.* 2. Petri 3. *Igni reservati in die Judicii.* Judæ v. 7. *Ignis æterni pœnam sustinentes.* Apocalyps. 20. infernus describitur tanquam stagnum ignis: *Diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Dixerat Isaias c. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum*

igne

igne devorante.: *cum ardoribus sempiternis?* & rursus c. 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur*. Tam constans autem loquendi modus Scripturæ metaphoricum sensum minime redolet: nam juxta regulam a S. Augustino traditam L. 3. de doctrina christiana c. 10. verba Scripturæ proprio & naturali sensu intelligi debent, quoties naturalis sensus; nec ullam contradictionem, nec absurditatem aliquam præ se fert; quæ regula maxime locum habet, quando usus est frequens & uniformis, & quando proprius sensus, non solum inconveniens non habet, sed etiam ad bonos mores utilior est: utrumque autem in præsenti reperitur; ergo, &c. His accedit expressa Christi sententia, Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Quis autem dixerit Judicem contra reum decernentem metaphorice loqui?

Probatur 2. ex SS. Patribus qui hancce veritatem diserte & constanter docent.

S. Justinus Apolog. 2. conceptis verbis asserit *ignem æternum peccatoribus esse paratum*. S. Basilius Homil. 1. in Psalm. 28. verbis istis, *Vox Domini intercidentis flammam ignis*, significari credit ignem corporeum quo cruciantur dæmones: *Ut quoniam*, inquit, *duæ sunt in igne vires urendi & illuminandi, prior quæ est acerrima, & ad puniendum idonea, iis attributa sit, qui exustione digni sunt: illuminandi vero splendida vis ad eos exhilarandos, qui gaudio perficiuntur, attineat*. S. Cyprianus Lib. de laudibus martyrii c. 12. infernum sic eleganter describit: *Sæviens locus cui gehenna nomen est.*: *eructantibus flammis per horrendam spissæ caliginis noctem*

ſæva ſemper incendia camini fumantis expirat, globus ignium arctatus obſtruitur, & in varios pœnæ exitus relaxatur. Tunc ſæviendi plurima genera, cum in ſeipſo convolvit, quidquid ardoris emiſſi edax flamma cruciavit ora. Sane non ſpiritualis & metaphorici, ſed materialis & corporei ignis eſt iſta deſcriptio. S. Hieronymus Epiſt. 59. arguit Origenem: quod ignem tartareum ad metaphoram tranſtulerit. S. Ambroſius in Pſ. 118. exhibet confeſſorem in tormentis, *cogitantem illum ignem perpetuum, illud ſine fine incendium perfidorum.* Equidem ignem illum *incorporeum* vocat in c. 14. Lucæ, ſicut & S. Gregorius c. 17. L. 15. Moralium: tum quia pabulo non indiget, tum quia non virtute corporea, ſed ſorte ſpirituali torquet ſpiritus: nam L. 4. Dialog c. 29. idem S. Gregorius ſic de igne tartareo affirmat. *Corporeum eſſe non ambigo.* Paulo ante dixerat cap. 28. *Sicut electos beatitudo lætificat, ita credi neceſſe eſt, quod a die exitus ſui, ignis reprobos exurat.*

Idipſum præ ceteris luculentius adſtruit S. Auguſtinus L. 21. de civit. Dei c. 10. *Adhærebunt*, inquit, *ſpiritus incorporei corporeis ignibus cruciandi.* At quomodo? reſpondet ibidem, *quamvis miris, veris tamen modis etiam ſpiritus incorporeos poſſe pœna corporalis ignis affligi.* Et rurſus ibidem: *At vero*, ait, *gehenna illa, quod etiam ſtagnum ignis & ſulphuris dictum eſt, corporeus ignis erit, & cruciabit corpora damnatorum, aut & hominum & dæmonum, ſolida hominum aerea dæmonum, aut tantum hominum corpora cum ſpiritibus, dæmones autem ſpiritus ſine corporibus habentes, ſumendo pœnam non impertiendo vitam corporalibus ignibus. Unus*

quip-

quippe utriſque ignis erit, ſicut veritas dicit. Hæc ille, qui & alibi eandem doctrinam tradit, ut in Pſal. 49. & 57. & Lib. 1. de ſerm. Domini in monte tractans illud Matth. 5. *Reus erit gehennæ ignis.*

Probatur 3. ex conſtanti Theologorum conſenſu. S. Thomas tum 1. p qu. 64. art. 4. & L. 4. contra Gentes c. 90. & Opuſcul. 2. cap. 179. ubi pœnam ignis corporalem vocat, ibique addit, *omnia quæ in Scripturis de hoc inferni igne dicuntur, ad litteram & non per metaphoram eſſe intelligenda.* Hugo Victor L. 2. de Sacram. p. 116. c. 3. *Veriſſime*, inquit, *auctoritate ſacri eloquii, & catholicæ veritatis probatur teſtimonio, corporali & materiali igne animas etiam nunc ante ſuſceptionem corporum cruciari.* Idemque de dæmonibus ſubjungit; imo inde probat animas licet ſpirituales poſſe ab igne corporeo cruciari, quia dæmones de facto igne corporeo torquentur: quod c. 4. & 5. ex SS. Auguſtino & Gregorio proſequitur. Idem ſentiunt S. Bonaventura, Alexander Alenſis, Guillelmus uterque, Scotus, Durandus, Salmanticenſes, Eſtius; Sylvius, aliique omnes quorum plures refert Suareſius L. 8. de Angelis c. 12. 13. & 14. Unde & doctiſſimus Petavius Theologicorum dogmatum de Angelis L. 3. c. 6. ſic habet: *Corporeum & materia conſtantem eſſe inferorum ignem quo dæmones & animæ damnatæ torquentur, Theologi hodie omnes, imo & Chriſtiani conſentiunt.*

Probatur 4. ex ſacra Facultate Pariſienſi quæ anno 1270. varios articulos proſcripſit, inter quos iſte legitur octavus numero, *Anima ſeparata poſt mortem, non patitur ab igne corporeo*; ergo, &c.

Probatur 5. rationibus theologicis. Prima sic proponitur: Corpora damnatorum punientur igne post resurrectionem, ut patet Matth. 25. *Ite in ignem æternum*. At corpora non possunt uri nisi igne corporeo; est ergo in inferno ignis corporeus: porro ab eodem igne nunc torquentur dæmones, a quo patientur homines post diem Judicii; nam ibidem dicitur, *qui paratus est diabolo & Angelis ejus*; ergo ignis crucians dæmones verus est & corporeus.

Altera petitur ex consensu Ecclesiæ Latinæ: Scilicet in Concilio Florentino Latini Patres se credere dicunt, in Purgatorio ignem esse, & quidem corporeum, quo animæ levioribus peccatis obnoxiæ expiantur, porro si juxta Latinorum Patrum confessionem, corporeus est ignis, in quo animæ sine corporibus levioribus peccatis obnoxiæ purgantur, igitur a fortiori corporeus dicendus est ignis in quo animæ solæ sine corporibus, gravioribus peccatis oneratæ, ante Judicium una cum dæmonibus cruciantur; ac multo magis is in quo post resurrectionem animæ suis corporibus rursum unitæ cruciabuntur.

Tertia denique ex eo sumitur, quod sicuti Deus, quamvis animam mundare possit a peccato, non adhibita re corporea, vult tamen eam mundare per elementum corporeum, non quodcumque, sed maxime mundativum, id est, per aquam: ita quamvis spiritum & animam pro peccato punire possit non adhibito corporeo elemento, vult tamen utrumque per elementum corporeum, tanquam instrumentum suum miris & ineffabilibus modis punire, idque per illud elementum quod maxime & activum & proinde maxime affli-

cti-

ctivum est, id est, per ignem. Rationem hanc sæpius indicat Doctor Angelicus post S. Augustinum variis in locis, maxime vero Lib. 21. de civit. Dei cap. 9. & 10.

Est & alia ratio congruentiæ quam iidem SS. Doctores non semel innuunt. Scilicet, justum est tam spiritus quam animas separatas, quæ peccando a Deo creatore suo recesserunt, puniri per creaturam eamque corpoream: tum ut quantum unusquisque in creaturarum amore delectatus est, tantum ab aliqua creatura ut instrumento Dei patiatur, juxta illud Apocalyp. 18. v. 7. *Quantum glorificavit se & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum*: tum etiam quia congruit ut spiritus & animæ quæ per superbiam quod supra est appetiverunt, luere cogantur per id quod infra se est, id est, per rem corpoream, tanquam divinæ justitiæ instrumentum, quomodo Ægyptii & Chananæi per vilia quædam animalia graviter afflicti leguntur in Exodo & Lib. Sapient.

Solvuntur Objectiones.

Objicies 1. ex Scripturis. Varii sunt Scripturæ textus quibus aperte significatur ignem quo dæmones torquentur, non realiter & proprie, sed metaphorice esse intelligendum. Quod utique constat,

1. ex illo Lucæ 16. ubi dives ille qui dicebat: *Crucior in hac flamma*, postmodum dicitur elevasse oculos suos; & vidisse Abraham a longe, eique dixisse; *Mitte Lazarum ut intingat digitum suum in aquam, & refrigeret linguam meam*. Manifestum est autem oculos, digitum & linguam, nonnisi metaphorice animabus separatis tribui; ergo pari ratione intelligenda est metapho-

rice flamma illa in qua anima cruciari dicitur.

2. idem suadetur ex illo Job. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium, & usque ad inferos peccatum illius.* Porro sive hæc intelligantur de frigore peccatorum hujus vitæ ad calorem pœnarum inferni: sive de vicissitudine pœnarum in ipso inferno, semper illæ aquæ nivium debent metaphorice accipi: nec enim credibile est propriam pœnam aquarum & nivium esse in inferno; ergo pari modo ignis tantum est metaphorice dicendus.

3. denique, eo modo ignis damnatos torquere accipiendus est, quomodo vermes dicuntur eos corrodere; nam Scriptura sacra pari ratione de igne ac de vermibus loquitur: sic Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur.* Quæ verba de damnatorum pœnis interpretatus est Christus Dominus Marci 9. atqui vermes in inferno sunt tantum metaphorice, nempe stimuli illi quibus pungitur, & veluti corroditur damnatorum animus; ergo & ignis metaphorice intelligendus est juxta illud Isaiæ 33. *Spiritus vester ut ignis vorabit vos.*

Resp. 2. negando paritatem cum Suares. Lib. 8. de Angelis cap. 12. tum quia in allatis exemplis non adeo claræ sunt ac frequentes locutiones Scripturæ: tum quia nec circumstantiæ textus in his Scripturæ locis, nec rationes vel conjecturæ quæ ex illis sumuntur, ita indicant proprium ac litteralem sensum, sicut ubi agitur de igne: tum quia Patrum, Theologorum & Fidelium omnium consensus multo magis expressior est pro vero ac sensibili igne.

Resp. 2. sigillatim ad singula.

Ad primum dico, quod quamvis in ea di-

divitis narratione, sive historica, sive parabolica, plura sint metaphorice accipienda, constat tamen quod ignis ibi commemoratus, vere ac proprie sit accipiendus; cum ex probationibus nostris supra adductis pateat Scripturam sacram & SS. Patres clare & constanter asserere ignem esse in inferno: porro, juxta regulam ex S. Augustino antea allatam, quæ in Scripturis (idem dicendum de SS. Patribus) clare & frequenter exprimuntur, non metaphorico, sed proprio & naturali sensu sunt accipienda: sufficienter autem liquet, nonnisi metaphorice oculos, manus & linguam separatis animabus posse tribui. Unde non idem de flamma in qua cruciabatur dives ille, ac de ceteris ferendum est judicium.

Ad secundum, dico quosdam auctores existimare quod sicut ignis, ita & nix aut aqua frigida torquens sit in inferno, ut scilicet ex alternante frigoris & caloris cruciatu acerbius damnati torqueantur. Ita imprimis S. Hieronymus in cap. 24. Job, & in caput 10. Matth. exponendo nomen *gehennæ* Idem sentiunt Beda in dictum locum Job. Hugo Cardinalis in caput 5. Matth. & Hugo Victorinus Lib. 4. de anima cap. 13.

Nihilominus prædicta sententia omnino est incerta, imo videtur minus in Scripturis fundata: tum quia Christus pœnam ignis perpetuam & irremissibilem, & quasi unicam expresse & perpetuo comminatur, de alia vero pœna nivium & aquarum, ne verbum quidem habet: tum etiam quia Zachar. 9. dicitur, *Eduxisti eos de lacu in quo non erat aqua*: ubi locus ille locus est inferni, qui carere aqua dicitur, & consequenter nive

ac grandine; tum denique quia præfatus ille Jobi contextus alio sensu potest exponi, juxta mentem sancti Gregorii Lib. 16. Moralium cap. 27. qui per aquas nivium & calorem nimium, non pœnas, sed culpas præsentis vitæ intelligit, quia peccatores de quibusdam vitiis ad alia extreme contraria feruntur. Huic interpretationi concordant SS. Hieronymus, Thomas & alii.

Ad tertium, respondeo cum Estio in 4. dist. 44. paragr. 13. & Suarez loco mox citato, non idem dicendum de vermibus ac de igne: tum quia Scriptura cum de pœnis inferni loquitur, assidue ignem nominat, & de eo singulariter & quasi per antonomasiam, dixit Christus, *Qui paratus est diabolo & angelis ejus*. Vermem autem rarius commemorat Scriptura; & proinde non est simile de igne & verme: tum quia de ignis veritate & proprietate constans est SS. Patrum & Theologorum sententia; tum denique quia satis liquet, quod vermis non possit rodere spiritum, nec ejus substantiam laniare: quia ille dolor non causatur a vivente, nisi per actionem vitalem ipsius vermis qui aliquid de substantia alterius subtrahit, cujus substractionis, & quasi divisionis capax non est substantia spiritualis, & consequenter repugnat vermem talem actionem circa spiritum exercere: at ita non est de igne, qui tanquam supernaturale instrumentum potentiæ ac justitiæ Dei agit actione mere extrinseca, non subtrahendo nec dividendo substantiam; & ideo non est necessaria metaphora, quæ in verme respectu dæmonis vel animæ separatæ necessaria est.

Atque hinc patet solutio ad id quod opponi so-

solet, nimirum ignem in sacris Scripturis quandoque metaphorice quamcumque gravem afflictionem significare, ut in Psalmis, *Transivimus per ignem & aquam*, & rursus, *Igne me examinasti*, & apud Ecclesiasticum, *In medio ignis non sum æstuatus*. Neque enim, ut notat Estius mox laudatus, ulla consequentiæ necessitas exigit, ut vox uno aut altero loco figurate sumpta, etiam alibi sic accipiatur. Certe metaphora continua non est apud unum & eundem Scriptorem, multo minus apud diversos qui diversis temporibus scripsere, quemadmodum auctores sacri, qui constanter ignem æternum justam peccatorum pœnam referunt.

Ceterum, licet contendamus vermem respectu spirituum esse metaphorice intelligendum, non abnuimus tamen revera in inferno materiales ac viventes esse vermes voraces qui hominum damnatorum corpora perpetuo corrodant. Nam 1. id significant ista Eccles. 7. verba: *Vindictas carnis impii, ignis & vermis*. Similia sunt illa Judith. 16. *Dabit ignes & vermes in carnes eorum*; 2. eandem sententiam approbat S. Augustinus Lib. 21. de civ. Dei c 9. his verbis: *Cur ergo dictum est* Vindicta carnis impii, ignis & vermis, *nisi quia utrumque, id est, & ignis & vermis, pœna erit carnis?* 3. sic ad litteram interpretari licet illud Isaiæ cap. 66. ubi cum Deus dixisset, *Videbunt cadavera virorum qui prævaricati sunt in me*; statim subdit: *Vermis eorum non morietur*, quasi diceret, vermes victuros semper, & insatiabili morsu damnatorum cadavera corrosuros. Unde S. Maximus Epist. ad Cubicularium de reprobis ait, *Quod homines ad sinistram locati ignem æternum sortientur, ac tenebras exterio-*

res, ac vigilem vermem & stridorem dentium.

Objicies 2. ex SS. Patribus. S. Hieronymus in caput ultimum Isaiæ tractans locum de igne & verme, dicit, *a quibusdam utrumque referri ad conscientiam peccatorum, id est, ad animam, non ad corpus.*

S. Augustinus L. 21. de civ. Dei c. 10. adducens pro veritate ignis inferni verba illa divitis, *Crucior in hac flamma*, ait: *Dicerem utique flammam illam esse corpoream, nisi congruenter responderi posset, talem esse illam flammam, quales oculi, quales linguæ, qualis digitus, ubi erant sine corporibus animæ.* Unde concludit, *Sic ergo incorporalis est illa flamma quæ exarsit, & illa guttula quam popposcit, qualia etiam sunt visa dormientium, sive in extasi cernentium res incorporales habentes tamen similitudinem corporum.* Existimat ergo sanctus Augustinus ignem tartareum verum non esse ac corporeum.

S. Jo: Damascenus L. 4. de fide orthod. c. 28. sic habet: *Tradentur diabolus & dæmones ejus, & homo ejus, id est, Antichristus & impii & peccatores in ignem æternum, non materialem qualis est apud nos, sed qualem novit Deus.* Eodem fere modo loquuntur Lactantius L. 7. c 21. Theophylact. in c. 9. & alii.

Resp. SS. Patres qui hic nobis opponuntur, favere omnino, nedum adversari nostræ Conclusioni, ut constat ex adductis inter probationes testimoniis. Itaque

Ad S. Hieronymum, dico S. Doctorem non negare verum ac sensibilem gehennæ ignem quo corpora torqueantur, sed quid alii quidam errando senserint, indicat. Et vero, uti antea vidimus; Epist. 59 ad Avitum, arguit Origenem, quod ignem tartareum ad metaphoram transtulerit.

Ad

Ad S. Auguſtinum reſpondeo, præfatis in objectione verbis, dubium quidem ac ancipitem videri; at mentem ſuam ſtatim dilucide aperit verbis immediate ſubſequentibus: *At vero*, inquit, *gehenna illa, quod etiam* ſtagnum ignis & ſulphuris *dictum eſt Apocalyp. 20. corporeus ignis erit, & cruciabit hominum corpora cum ſpiritibus; dæmones autem ſpiritus ſine corporibus hærentes. ∴ unus quippe utriuſque ignis erit ſicut veritas dicit.* Adde quod idem S. Doctor alibi conſtanter affirmat ignem gehennæ eſſe corporeum, maxime vero ſerm. 181 de tempore & aliis locis inter probationes adductis.

Quod ſpectat ad S. Jo: Damaſcenum, Lactantium & Theophylactum, non aliud volunt quam ignem inferni non fore impurum & craſſum, qualis hic noſter eſt. Ceterum, eum vocant corporeum ac materialem, ſed purum, liquidum, ſubtilem ac ſine momentis perpetuum; ita a Lactantio deſcribitur elegantiſſimis his verbis Lib. 7. cap. 21. *Cujus*, inquit, *natura diverſa eſt ab hoc noſtro, quo ad vitæ neceſſaria utimur, qui niſi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur: at ille divinus per ſeipſum ſemper vivit, ac viget ſine ullis alimentis, nec admixtum habet fumum; ſed eſt purus ac liquidus, & in aquæ modum fluidus. Non enim vi aliqua ſurſum verſus urgetur, ſicut noſter; quem labes terreni corporis, quo tenetur, & fumus intermixtus exilire cogit, & ad cœleſtem naturam cum trepidatione mobili ſubvolare.* Ex quo Lactantii teſtimonio liquet, non eos omnes exiſtimandos eſſe verum & corporeum negaſſe ignem in inferno, qui hunc eſſe alium & a noſtro diſſimilem ſtatuunt. Solutio amplius

constabit ex dicendis paulò post quæsito 1.

Objicies 3. ex ratione: 1. dæmones & animæ damnatorum incorporeæ sunt; igitur ab igne corporeo pati non possunt: tum quia spiritus non potest pati a corpore: tum quia corporeus ignis agit per qualitates, quarum capax non est natura incorporea; 2. dæmones & animæ separatæ non habent sensum: atqui ignis corporeus non infert nisi sensibilem pœnam; ergo, &c. 3. ignis corporeus agit naturaliter; ergo si gehennæ ignis corporeus esset, reprobos omnes sine discrimine æqualiter cruciaret, quod constat esse falsum.

Nec apta videtur ad duas priores rationes, eorum responsio qui dicunt, Deum miraculose uti igne corporeo ad puniendas naturas incorporeas, cum miracula non sint affirmanda nisi vel evidenter pateant in Scriptura, vel aliunde certo constent: aperte autem non constat nec ex Scriptura, nec aliunde, ignem illum esse corporeum; ergo talis non est affirmandus.

Resp. ea omnia quæ hic objiciuntur, procedere de igne agente naturaliter, non autem ut est supernaturale instrumentum potentiæ ac justitiæ divinæ: sic enim modo quodam supernaturali ac nobis incomperto, licet vero, ignis agit in dæmones & animas separatas, de quo S. Augustinus citato cap. 10. Lib. de civ. Dei: *Cur non dicamus*, inquit, *quamvis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici, si spiritus hominum etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc potuerunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?* Qua autem ratione ignis corporeus agat in spiritus, an physice,

fice, ut volunt Thomistæ; an moraliter solum & intentionaliter, ut volunt alii plerique, expendemus Articulo sequenti.

Ad id quod additur, affirmanda non esse miracula, nisi vel evidenter pateant in Scriptura, vel aliunde certo constet: respondeo nos induci ad asserendum ignem inferni esse corporeum, eoque miraculose torqueri dæmones, animasque damnatas: tum divina Scripturæ sacræ auctoritate, hanc in rem satis expressa, tum etiam SS. Patrum ac Theologorum unanimi consensu, quo constat ignem inferni revera corporeum esse, & dæmones, licet omnino spirituales, illo vere ac realiter cruciari.

Quæres 1. utrum ignis inferni sit ejusdem naturæ ac speciei cum nostro elementari, an diversæ.

Respondet Alfonsus a Castro Lib. 1. contra hæreses c. 9. *Si quis credat ignem inferni esse similem aut dissimilem huic, quem apud nos hic cernimus, non censebitur hæreticus, eo quod lis est adhuc sub judice.* Sic ille. Soto in 4. dist. 50. Suarez Lib. 8. de Angelis c. 12. Estius in 4. dist. 44. §. 12. & alii plerique probabilius sentiunt ejusdem esse naturæ, licet secundum accidentia sit multum diversus. Ratio est, quia Scriptura sacra & SS. Patres ignem inferni constanter & absque addito ignem appellant; unde verisimiliter credi debet, talem esse, ut univoca ratione sub appellatione ignis comprehendatur. Adde quod nomen ignis specificum sit, sicut nomen aquæ: quare quicumque vere ac proprie ignis est, non poterit non ejusdem esse speciei cum nostro elementari igne.

Quod autem secundum accidentia gehennæ

næ ignis multum sit a nostro dissimilis, non est dubium: nam ignis noster lucidus est, pabulo eget, extinguibilis, consumens ea in quæ agit, non agens nisi in corpora: ignis autem tartareus erit in loco infimo positus, ubi sunt tenebræ exteriores, pabulo non indigens, erit omnino inextinguibilis, uti sæpissime inculcatur in sacris Scripturis, aget in animas damnatorum & dæmones, quos non consumet; igitur erit nostri dissimilis. Ita testantur Patres ut S. Gregorius Lib 15. Moral. cap. 17. Lactantius Lib. 7. c. 21. & alii. Adde quod longe acrius urat, ac noster elementaris.

Quæres 2. utrum fidei sit ignem tartareum esse corporeum.

Respondet Petavius L. 3. de Angelis c. 5. his verbis: *Ceterum uti corporeum & materia constantem esse inferorum ignem, quo dæmones & animæ damnatæ torquentur, Theologi hodie omnes, imo & Christiani consentiunt; ita nullo Ecclesiæ decreto adhuc obsignatum videtur, ut recte Vasquesius observat. Neque enim ulla in Synodo sancitum illud est, etsi nonnulli rem esse fidei pronuntient.* Eodem modo sentiunt Bellarminus L. 2. de Purgatorio c. 11. Vasques in 1. par. disp. 243. c. 1. Estius loco mox citato, Sylvius in Supplem. qu. 70. art. 4. & alii.

ARTICULUS III.

Qua ratione ignis inferni agat in dæmones.

NAscitur hæc quæstio ex eo quod supra docuimus, & dæmones ex una parte esse veros spiritus omnino incorporeos; ex alia vero parte ignem inferni vere corporeum esse; non levis quippe occurrit difficultas in ex-

exponendo quomodo id quod corporeum est agat in spiritum.

Mirum profecto quam multum in hacce solvenda difficultate laborent Theologi, dum, ut ait Petavius loco mox citato, *quod investigari non potest, inexhausta curiositate perquirunt.*

Septem ea de re sententias enumerat, ac sigillatim expendit Abulensis in caput 25. Matth. quæst. 506. & 509. eas ad quatuor aut quinque revocari posse observat Suarez Lib. 8. de Angelis 14.

Prima sententia eorum est qui censent, certum esse ex Scripturis, ignem vere ac realiter cruciare spiritus: quomodo autem id fiat, neque revelatione innotescere, neque ratione investigari posse; & ideo consultius esse fateri modum illum nobis esse occultum: idque, inquiunt, significasse videtur S. Augustinus, cum dixit, dæmones torqueri ab igne, *miris sed veris modis*. Ita sentiunt Bellarm. L. 2. de Purgat. c. 12. Vasques disp. 243. c. ultimo, & alii. In eumdem sensum asserit Hugo Victorinus: *Quomodo animæ sine corporibus a rebus corporalibus patiantur; ecce dicamus, nescimus numquid hoc verum non est, quia nescimus quomodo est?*

Altera sententia eorum est qui existimant dæmones & animas damnatas torqueri ab igne, non quod revera ignis ipsis contrarius sit, sed quod dæmones eum ut sibi contrarium, nocivum ac disconvenientem apprehendant, & ad talem apprehensionem afficiantur timore & dolore, ut impleatur id quod dicitur Ps. 13. *Trepidaverunt timore ubi non erat timor.* Ita Albertus, Guillelmus Paris. & alii pauci. Refellitur hæc sententia a Doct. Angelico in Supplem. q. 70. art. 3. quia eo modo equidem

dem dæmones & animæ damnatæ a falsa suæ apprehensione, non tamen ab igne paterentur, quod non satis cohæret cum Scripturis asserentibus spiritus a vero igne & vere torqueri, Lucæ 16. *Crucior in hac flamma.*

Tertia eorum est qui volunt ignem torquere spiritus, supernaturaliter producendo qualitatem spiritualem, quæ dolorem spiritibus inferat, sicut calor humanis corporibus. Ita Suarez loco mox citato, ubi asserit *negari non posse quin* ista sententia *consentanea sit Patribus Gregorio, Augustino & aliis, imo & Scripturis Luc. 16. Apocal. 20. &c.* Fatetur tamen ibidem, *sententiam hanc parum fundatam esse in Scholasticis antiquis.*

Quarta docet dæmones animasque damnatas vere & realiter pati ab igne corporeo, non quidem quatenus res est quædam corporea; hac enim ratione nequit in spiritus agere: sed quatenus est instrumentum vindicis justitiæ Dei, quæ exigit, ut anima quæ peccando se rebus corporeis subjecit, eis etiam patiendo subdatur. Sententiam hanc refert Estius in 4. dist. 44. § 13. ubi observat, ea non explicari quo pacto & secundum quem modum Deus igne ut instrumento ad animæ punitionem utatur.

Quinta denique sententia inter Doctores Scholasticos communior, affirmat dæmones ab igne torqueri per alligationem ad eumdem ignem, in quo tanquam in carcere inviti tenentur, ita ut se neque inde liberare, nec libere actiones suas, ubi & quomodo voluerint exercere possint, ex quo maxime affliguntur & torquentur. Ita S. Thomas in 4. dist. 44. q. 3. art. 2. quæstiunc. 3. 1. p. q. 64. art. 4. ad 5. & in Supplem. quæst. 70. art 3.

S. Bo-

S. Bonaventura 2. parte art. 3. quæst. 1. Scotus dist. 44. q. 2. Gabriel ibid. quæst. 3. art. 2. Durandus qu. ultima, Major quæst. 8. Cajetanus, Ferrariens. Paludanus, Salmanticenses, Sylvius, Estius & alii.

Potest autem, uti observat Suarez, hæc sententia duobus modis exponi: 1. ita ut sensus sit dæmones & animas damnatas non aliter torqueri ab igne corporeo quam per *solam* alligationem; ita nonnulli ex auctoribus mox citatis; 2. ita ut sensus sit, torqueri quidem dæmones ab igne corporeo per alligationem, non excluso tamen alio speciali & graviori passionis modo, quem indicat S. Augustinus cum ait animas ab igne cruciari *miris*, *sed veris modis*. Hæc ultima sententia hoc posteriori sensu intellecta, præ ceteris nobis arridet. Itaque juxta ipsam sit

CONCLUSIO.

Dæmones, aliique damnati ab igne corporeo torquentur, quatenus ipsi insolubiliter alligantur, tanquam perpetuo carceri & instrumento justitiæ divinæ: insuper & adhuc cruciantur alio quodam speciali passionis modo nulli mortalium satis cognito. Ita S. Thomas locis mox citatis, Henricus Quodlib. 8. quæst. 34. Soto in 4. dist. 50. q. 1. art. 2. Estius, Suarez, Sylvius & alii. Tres sunt Conclusionis partes.

Probatur 1. pars, scilicet dæmones pati ab igne corporeo per alligationem: 1. ex Scripturis quæ pœnam dæmonum interdum per alligationem declarant. 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit cruciandos*

ciandos. Cui consonat S. Judas in sua Epistola versu 6. *Angelos vero qui non servaverunt suum principatum ∴ in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit*. Item illud Apoc. 20. *Apprehendit draconem, & alligavit eum per annos mille, & misit eum in abyssum, & clausit*.

Probatur 2. ex SS. Patribus S. Augustinus L. 21. de civit. Dei c. 10. de pœnis dæmonum loquens sic habet: *Adhærebunt ergo, si eis nulla sunt corporea, spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei, corporeis ignibus cruciandi*. S. Gregorius Lib 4. Moralium c. 29. *Si incorporeus spiritus*, inquit, *in hoc teneri potest quod vivificat: quare non pœnaliter & ibi teneatur, ubi mortificatur? Teneri autem per ignem, spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit, videndo atque sentiendo ∴ sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili, ardor & dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea etiam incorporea flamma crucietur*; ergo, &c.

Idem expresse docet S. Thomas variis in locis præsertim Lib. 4. contra Gentes c 90. ubi asserit quod *substantiæ incorporeæ patiuntur ab igne corporeo per modum alligationis cujusdam*. Et paulo post subdit: *Multo igitur magis virtute divina spiritus damnandi igni corporeo alligari possunt, & hoc ipsum est eis in afflictionem, quod sciunt se rebus infimis alligatos in pœnam*.

Probatur 3. ratione; quia possibilis est & valde afflictiva ac pœnalis hæc dæmonum alligatio. Quamvis enim spiritus incorporei ita loco definiantur, ut tamen ab eo non detineantur, sed virtute sua naturali possint

quem-

quemcumque locum in quo sunt, relinquere dum volunt: per divinam tamen justitiam dæmones & animæ impiorum ita igni conjunguntur, & sunt in igne, ut ab eo tanquam carcere detineantur, eique tanquam vinculis quibusdam violente sint alligati, sicut naturaliter anima detinetur in corpore, eique quodammodo alligatur. Porro violenta hæc dæmonum in igne detentio, summam in eorum voluntate tristitiam efficit: tum quia illos privat naturali sua libertate, secundum quam sunt absoluti ab omni obligatione ad locum corporalem: tum quia maxime derogat naturali eorum conditioni, cum illos infimis rebus subdat, qui nati erant Deo per fruitionem uniri. Neque dæmonibus, aliisque damnatis liberum est ab hac utraque consideratione cessare; quia Deus eodem illo igne utitur, quo tanquam motivo excitetur & applicetur intellectus eorum ad actualem considerationem miserrimi sui status; ergo, &c. Rationem hanc indicat S. Thomas loco mox laudato, & in Supplem. q. 70. art. 3. in corpore.

Probatur 2 pars, nempe dæmones ab igne corporeo torqueri, non solum per alligationem, sed etiam alio quodam speciali passionis modo: 1. ex Scripturis, Luc. 16. dives epulo sic inducitur loquens: *Crucior in hac flamma*: quibus verbis indicatur, præter detentionem in igne pati spiritus peculiarem cruciatum ab alligatione distinctum. Neque enim dives cupiens refrigerium petiit libertatem inde exeundi, seu dissolutionis & separationis ab igne; sed guttam aquæ, qua refrigeraretur in hac flamma: per quam metaphoram significata est pœna specialis inflicta ab igne præter detentionem in ipso.

Idem

Idem probant verba Christi Matth. 22. v. 13. dicentis de homine non vestito veste nuptiali, & c. 25. v. 30. de servo inutili, *Mittite illum in tenebras exteriores.* Et ne quis forte existimaret pœnam illam esse solum incarcerationis in loco tenebroso & vilissimo, protinus adjunxit. *Ibi erit fletus & stridor dentium.* Per quæ verba metaphorice declaratur specialis & acerba pœna sensus, quam in illo loco spiritus passuri sunt.

Idem denique evincunt ea omnia testimonia, in quibus asseritur reprobos non solum esse mittendos in infernum, sed etiam ibi esse cruciandos: 2. Petri 2. *Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed rudentibus inferni detractos in tartarum tradidit*, additur, *cruciandos.* Judith. 16. sic habetur, *Ut urantur & sentiant*, Apoc. 14. *Cruciabitur igne.* Clarius c. 20. *Missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Utique ab eodem igne, uti legitur c. 14. 18. 19. & 21. Porro si cruciatus ille esset tantum detentio in igne, satis fuisset dicere, reprobos mittendos esse in ignem: at non solum hoc dicitur, sed additur & ibi cruciabuntur ab igne; ergo, &c.

Probatur 2. ex SS. Patribus Art. 1. & 2. hujusce Quæstionis adductis, qui constanter docent dæmones & animas damnatorum ab igne torqueri, cruciari, cremari & similia: quæ vix de sola afflictione ob detentionem & incarcerationem exponi possunt. Unde & S. Cyprianus Lib. ad Demetriadem n. 3. in fine, carcerem a pœna ignis distinguit, dicens: *Manet postmodum carcer æternus, & jugis flamma, & pœna perpetua.*

Probatur 3. ratione. Ut enim ratiocinatur

Estius,

Estius, non videtur negandum, quin sicut spiritus potest uniri corpori ut ei vitam communicet, ita possit spiritus uniri igni, ut ab eo pœnam trahat, eamque prorsus similem illi quam ab igne traheret, si in corpore esset, licet tam utriusque unionis, quam hujus actionis & passionis modum explicare non valeamus.

Præterea, sicuti cum corpus animatum uritur, anima sentit inde peculiarem afflictionem; diversam ab ea quam haberet si ab aqua vel gladio pateretur, Deo scilicet ad præsentiam ignis corpus afficientis, excitante hanc sensationem in anima: quidni pariter, Deo simili modo agente, cum a corpore separata est, cruciatum ab igne percipere possit similem ei quem percipiebat dum corpori uniretur, & quem perceptura est post corpus resumptum.

Probatur 3. pars, nempe nulli mortalium satis cognitum esse specialem illum cruciatum ab alligatione distinctum, quo dæmones & animæ patiuntur ab igne. Idipsum diserte testatur S. Augustinus, dum citato sæpius cap. 10. Libri 21. de civ. Dei asserit, *Spiritus malignos ab igne corporeo torqueri, quamvis miris & ineffabilibus, veris tamen modis.* Et rursus, *Cur non dicamus, quamvis miris, tamen veris modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affici?* Idem censet S. Gregorius Lib. 4. Moralium c. 29. dicens, *animas ex igne visibili trahere pœnam invisibilem*; id est, intellectui nostro occultam & imperceptibilem.

Quæres, an sit locus quidam determinatus, puniendis reprobis destinatus, & in qua mundi parte positus sit locus ille.

R. 1. unum esse locum corporeum puniendis damnatis, sive dæmonibus, sive hominibus,

bus, a Deo destinatum. Ita Catholici contra Calvinum, Bezam, Bucerum, & alios quos late refert & confutat Bellarminus L. 4. de Christo c. 8. & seq. & Lib. 2. de Purgatorio c. 6.

Probatur 1. ex Scripturis, in quibus sub nomine *inferni*, locus hic determinatus designatur. Sapientiæ 5. *Talia dixerunt in inferno, hi qui peccaverunt*. Psal. 93. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*: ibi infernus distinguitur a sepulchro in quo anima non jacet. Matth. 11. *Et tu Capharnaum numquid usque in cœlum exaltaberis? usque ad infernos descendes.* Luc. 16. *Mortuus est dives & sepultus est in inferno*. Ibi vox *inferni* non generaliter, sed pro loco damnatorum sumitur: nam & a sinu Abrahæ distinguitur, & inter utrumque locum magnum chaos interjectum esse dicitur, & per antonomasiam, *locus tormentorum appellatur*. Apoc. 20. draco mittitur in abyssum, & ibi clauditur, *ut non seducat amplius Gentes*. Quod interpretes communiter intelligunt de Lucifero non solvendo usque ad tempora Antichristi.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Justinus L. de necessariis quæstionibus qu. 75. *Improborum animæ*, inquit, *ad inferorum loca deducuntur statim ac a corporibus solvuntur*. S. Chrysostomus Homil. 49. & 50. *Ad populum*. Ex professo impugnat eos, qui *locum gehennæ negant, aut ejus pœnas non timeant*. Et illud Isaiæ 5. *Dilatavit infernus animam suam* textum hunc de loco extremæ ultionis exponit. Idem docent SS. Cyrillus Alexandr. Lib. 1. in Isai. cap. 5. Augustinus Lib. 1. Retract. cap. 5. & alii.

Accedit ratio congruentiæ ex eo petita, quod

quod consentaneum sit, ut sicut boni in certo quodam loco præmium recipiunt; ita etiam quidam sit locus determinatus puniendis reprobis destinatus.

Resp. 2. locum puniendis reprobis destinatum, qui infernus seu gehenna dicitur, subterraneum esse.

Favent Scripturæ iis in locis in quibus infernus specialiter vocatur *abyssus*. Luc. 8. dæmones rogant Christum, *ne illos in abyssum mitteret*. Apoc. 20. *Angelus misit & clausit diabolum in abyssum*. Et Ps. 85. juxta S. Augustini interpretationem dicitur *infernus inferior*.

Idem colligitur ex SS. Patribus. Satis sit hic retulisse S. Augustini sententiam Lib. 9. Retract. c. 24. ubi recognoscens Libros de Gen. ad litt. sic habet: *De infernis magis mihi videor docere debuisse quod sub terris sint, quam rationem reddere, cur sub terris esse credantur, sive dicantur, quasi non ita sint.*

Denique idem probari potest ex ipso *inferni* vocabulo, quod aperte significat locum infimum, occultum, & subterraneum. Atque in eo consentiunt Theologi quos recensent Abulensis Lib. de statu animæ Concluf. 5. 6. & 7. & Suarez Tomo 4. in 3. partem disp. 45.

Utrum autem infernus non solum sit subterraneus, sed etiam profundissima pars terræ, non ita aperte exprimit Scriptura: probabilior tamen & communior est sententia affirmans, quæ ex modo dictis satis clare eruitur.

ARTICULUS IV.

An dæmonum supplicia nullum unquam finem sint habitura.

NEgavit Origenes, uti constat ex quinta Synodo, in qua damnati sunt Origenis er-

errores, inter quos hic recenſetur, quo diceret, *omnium impiorum hominum, ipſorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura; atque impios & dæmones in priorem ſuum ſtatum reſtitutum iri.* Eundem errorem Origeni adſcribunt SS. Epiphanius Epiſt. ad Joannem Jeroſolymitanum, & Hieronymus Epiſt. 55. ad Pammachium. Eum quoque poſtremis hiſce temporibus amplexi ſunt Sociniani; impie ſcilicet arbitrantur juſtum non fore Dei judicium, ſi creaturas ob unum vel cogitationis peccatum lethale, æternis pœnis addixerit.

CONCLUSIO.

Æterna ſunt, id eſt, nullum unquam finem habitura, tum dæmonum, tum aliorum reproborum ſupplicia. Concluſio eſt de fide.

Probatur 1. ex Scripturis, quæ toties damnatorum pœnas commemorant, toties illas æternas fore ſignificant. Iſai. 33. *Quis habitavit ex vobis cum ardoribus ſempiternis?* Matth. 25. Judex aſſeritur dicturus reprobis, *Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus.* Et infra: *Ibunt hi in ſupplicium æternum, juſti autem in vitam æternam.* Marci 9. de impiis ter reperitur, *Ubi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur:* ſcilicet ne quis, ubi obſervat S. Auguſtinus, dubitet vere & proprie verum eſſe quod ibi exprimitur. Apoc. 20. dicitur quod *beſtia & pſeudopropheta* (quibus univerſitas impiorum deſignatur) *in ſtagno ignis & ſulphuris cruciabuntur die ac nocte in ſæcula ſæculorum.* Innumeri ſunt ejuſmodi textus qui damnatorum pœnas æternas, ſicut & Beatorum perpetuam felicitatem declarant.

Nec

Nec valet dicere ignem quidem fore æternum, non vero combustionem æternam: istud enim effugium invicte refellit S. Augustinus Lib. de fide c. 15. his verbis: *Neque illud dici hic potest, ignem æternum dictum, non ipsam combustionem æternam ... ut videlicet ignis æternus sit; combustio vero eorum, hoc est operatio ignis, non sit in eos æterna: cum & hoc prævidens Dominus sententiam suam concluserit ita dicens: Sic ibunt illi in combustionem æternam; justi autem in vitam æternam;* erit ergo æterna combustio, sicut ignis.

Probatur 2. ex judicio ac decretis Ecclesiæ, quæ perpetuo & constanter Origenis doctrinam, eo quod pœnarum æternitatem negaret, summo consensu rejecit & proscripsit, tanquam sanæ & catholicæ fidei prorsus adversam. Ita testatur S. Augustinus Lib. de hæresibus, ubi ait: *Sunt & alia hujus Origenis dogmata, quæ Catholica Ecclesia omnino non recepit ... Quis enim Catholicus, vel doctus, vel indoctus, non vehementer exhorreat ... diabolum atque angelos ejus, quamvis post longa tempora purgatos regno Dei lucique restitui.* Unde idem sanctus Augustinus Libro 21. de civitate Dei cap. 17. Philastrius, S. Epiphanius hæresi 6. quæ Origenistarum, & quotquot alii de hæresibus scripserunt, doctrinam Origenis inter hæreses recensuerunt.

Atque huc referri potest auctoritas Concilii V. sub Vigilio S. Pontifice & Justiniano Imperatore, in quo, teste Evagrio Lib. 4. Hist. Eccl. c. 37. damnatus fuit Origenes, quod diceret, *omnium impiorum hominum, ipsorumque etiam dæmonum tormenta finem habitura; atque impios & dæmones in priorem suum*

statum restitutum iri. Evagrio consentiunt Nicephorus Lib. 17. Photius in Libello de Synodis, Theophanes, Zonaras, Cedrenus. Idem testantur sexta Synodus Actione 18. Leo II. in Epistola ad Constantinum Pogonatum, Synodus septima Actione 1. &c.

Probatur 3. ex SS. Patribus, quorum omnium constans est firmaque hac de re doctrina.

S. Irenæus Lib. 4. c. 67. *Quibuscumque*, inquit, *dixerit Dominus, Ite maledicti in ignem æternum, isti erunt semper damnati: & quibuscumque dixerit, Venite benedicti Patris mei ... hi semper percipient regnum, & in eo proficient semper.*

Tertullianus Lib. de testimonio animæ c. 4. animam ait *pro meritis aut cruciatui destinari, aut refrigerio, utroque sempiterno*. Idem repetit Apologet. cap. 45.

S. Cyprianus Lib. de mortalitate ad Demetrianum versus finem, sic loquitur: *Quando istinc excessum fuerit, nullus jam pœnitentiæ locus est, nullus satisfactionis effectus: hoc vita aut amittitur, aut tenetur.*

S. Augustinus Lib. de hæresibus hæresi 43. ubi Origenistarum hæresim describit circa finem pœnarum tum impiorum tum dæmonum, eam vocat hac in materia *vanissimam impietatem, propter quam Origenes ab Ecclesia merito proscriptus fuit.*

S. Fulgentius Lib. de fide ad Petram c. 43. *Firmissime*, inquit, *tene, & nullatenus dubites, ex ore Dei, justi, æternique Judicis sempiterna atque incommutabili prolata sententia, iniquos omnes ituros in combustionem æternam, justos autem in vitam æternam: iniquos semper arsuros cum diabolo, justos autem sine fine regnaturos cum Christo.*

Ea-

Eadem est cæterorum SS. Patrum de æternitate pœnarum sententia. Qui eorum testimonia consulere voluerit, adeat Petavium Lib. 3. de Angelis cap. 6. 7. & 8.

Prob 4. variis rationibus theologicis.

Prima est, quia status hominis post mortem immutabilis est ex bono in malum, & contra: *Lignum enim ubicumque ceciderit, illic erit*. Eccles. 11. Cujus ratio est; quia per mortem homo constituitur in termino, ubi jam non est ex altero in alterum mutatio.

Secunda est, quia non licet orare pro damnatis, nec pro iis sacrificium offerre. Ita docent S. Augustinus L. 21. de civit. Dei c. 24. & S. Gregorius L. 4. Dialogorum c. 44. Idem plenius probatur ex totius Ecclesiæ praxi, qua constat nihilo magis pro hominibus damnatis, quam pro diabolo & angelis ejus, ut salventur, orari posse: atqui pro damnatis orare liceret & pro iis sacrificium offerre si damnatio eorum finem aliquando esset habitura; quemadmodum pro iis orare & sacrificium offerre licet, qui in Purgatorio detenti, nonnisi piaculares & temporarias patiuntur pœnas; ergo ex perpetua ac constanti Ecclesiæ praxi colligitur sempiternas fore damnatorum pœnas.

Tertia ratio petitur ex miserrimo damnatorum statu: ideo enim hi summe miseri sunt, uti passim in sacris Litteris describitur, quod nempe ex miseria in qua sunt nunquam liberandi, atque insuper certi nusquam se inde liberatum iri. Istud certe non ignoravit dives epulo de quo Luc. 16. unde non ausus est liberationem e tormentis sperare, sed tantum mitigationem incendii petere.

Et vero sicuti vera & perfecta beatitudo, quæ justis in præmium ex Dei gratia promittitur,

titur, non consistit sine æternitate & securitate boni nusquam admittendi: ita e contra summa miseria quæ reprobis in punitionem & vindictam ex Dei justitia destinatur, non stat sine perpetuitate & securitate damnationis æternum duraturæ.

His omnibus per modum coronidis adjungemus auctoritatem Concilii Lateranensis IV. c. *Firmiter*, ubi legitur, *reprobos cum diabolo in pœnam æternam ituros*. Nec non & Concilii Tridentini, quod reproborum supplicia nullum unquam finem habitura decernit Sess. 6. Can. 25. & Sess. 14. Can. 5.

Dices: Non videtur justum, ut pro peccato quantumlibet gravi, pœna quisque plectatur æterna: gravitas enim supplicii debet esse proportionata peccato, juxta illud Deuteronomii 25. *Pro mensura peccati erit & plagarum modus*. Porro peccatum temporaneum est, imo plerumque momentaneum; ergo æterna non debet esse illius pœna.

Resp. 1. cum S. Augustino Lib. 21. de civit. Dei c. 11. negando majorem propositionem. *Nam*, inquit ibidem S. Doctor, *nulla unquam justitia nec lex decrevit ut tanta mora temporis quisque puniatur, quanta mora temporis unde puniretur admisit. Octo genera pœnarum in legibus esse scribit Tullius, damnum, vincula, verbera, lationem, ignominiam, exilium, mortem, servitutem. Quid horum est quod in breve tempus pro cujuscumque peccati celeritate coarctetur, ut tanta vindicetur morula, quanta deprehenditur perpetratum?*

Resp. 2. cum S. Gregorio Lib. 14. Moralium c. 16. peccatum mortale æternum esse atque infinitum ratione affectus peccantis, quatenus nimirum qui peccat sic animo affectus est, ut peccatum cupiat esse perpetuum:

por-

porro justum est ut qui affectum habet & voluntatem in æternum peccandi, pœnis etiam plectatur æternis; seu, ut loquitur ibidem S. Doctor, *Justum est, ut qui in suo æterno* (affectu videlicet) *peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur*. Verba S. Gregorii adeo egregia sunt & præsenti Quæstioni elucidandæ accomodata, ut ea ex integro referre opera pretium fuerit. *At inquiunt*, ait, *sine fine non debet puniri culpa cum fine: justus nimirum est omnipotens Deus, & quod non æterno peccato commissum est, æterno non debet puniri tormento. Quibus respondemus, quod recte dicerent, si judex justus districtusque veniens, non corda hominum sed facta pensaret. Iniqui enim, ideo tum cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt: voluissent quippe sine fine vivere, ut sine fine potuissent in iniquitatibus permanere. Ad districti ergo Judicis justitiam pertinet, ut nunquam careant supplicio, quorum mens in hac vita nunquam voluit carere peccato; & nullus detur iniquo terminus ultionis, qui quandiu voluit noluit habere terminum criminis.* Etsi autem S. Doctor de damnatis duntaxat hominibus loquatur, nihilominus quæibi asserit, dæmonibus etiam adaptari possunt: quippe quandiu fuerunt in via, ita pertinaciter peccato adhæserunt, ut ab eo resilire noluerint, & in ea prava ac perduelli voluntate perpetuo stetissent, si perpetuus fuisset eorum viæ status.

Resp. 3. cum S. Thom. 1. 2. q. 87. art. 3. ad 1. distinguendo istam propositionem: gravitas supplicii debet esse proportionata peccato, id est, gravitas supplicii debet esse proportionata gravitati peccati, quatenus scilicet pro graviori peccato, major infligi debet pœna; minor vero pro leviori, concedo:

gravitas supplicii debet esse proportionata peccato, id est, durationi ejus; quasi diuturnitas pœnæ, peccati diuturnitatem excedere non debeat, nego. Ea verba S. Doctoris: *Dicendum*, inquit, *quod pœna peccato proportionatur secundum acerbitatem, tam in judicio divino, quam in humano: sed sicut Augustinus dicit 21. de civit. Dei c. 21 in nullo judicio requiritur ut pœna adæquetur culpæ secundum durationem: non enim quia adulterium vel homicidium in momento committitur, propter hoc momentanea pœna punitur; sed quandoque quidem perpetuo carcere vel exilio; quandoque etiam morte, in qua non consideratur occasionis mora, sed potius quod in perpetuum auferatur a societate viventium, & sic repræsentat suo modo æternitatem pœnæ inflictæ divinitus: justum tamen est secundum Gregorium, quod* qui in suo æterno peccavit contra Deum, in æterno Dei puniatur. *Dicitur autem aliquis* in suo æterno *peccasse, non solum secundum continuationem actus in tota hominis vita durantis, sed quia ex hoc ipso quod finem in peccato constituit, voluntatem habet in æternum peccandi.*

Alias rationes divinam æquitatem vindicantes in hac decernenda pœnarum æternitate subjiciemus in Tractatu de peccatis, expendendo an peccatum mortale inducat reatum pœnæ æternæ.

QUÆSTIO DUODECIMA.

De variis ordinibus & hierarchiis Angelorum, atque de eorumdem missione.

DUplex erit duntaxat hujus Quæstionis Articulus. Primus de numero, hierarchiis & ordinibus Angelorum. Secundus, de eorum missione.

AR-

ARTICULUS PRIMUS.

De numero, hierarchiis & ordinibus Angelorũ.

MAgnum esse Angelorum numerum fatentur omnes, & testatur Scriptura. Legitur enim Danielis 7. *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Apocal. cap. 5. *Et erat numerus eorum millia millium.*

Erasmus, Beza & alii negant Apostoli verba, in quibus varia tribuit Angelis nomina, esse intelligenda de certis eorum ordinibus; contra illos sit

PRIMA CONCLUSIO.

Novem distinguuntur Angelorum ordines.

Probatur 1. ex Scriptura Isai. 6. *Seraphim stabant, sex alæ uni, & sex alteri.* Ezech. 10. *Cherubim autem stabant a dextris domus.* 1. Thessal. 4. *Quoniam ipse Dominus in jussu, & in voce Archangeli, &c.* Rom. 8. *Certus sum quia . . neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes.* Colos. 1. *Sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Sunt ergo septem enumerati ab Apostolo Angelorum ordines, quibus si addantur Cherubim & Seraphim ex Prophetis, accurata erit exercitus cœlestis divisio in novem ordines.

Probatur 2. ex constanti Traditione Patrum. S. Ignatius Epist. ad Trallianos, S. Irenæus L. 2. c. 54. Auctor Librorum de cœlesti hierarchia c. 6. & alii quos recenset Petavius L. 1. de Angelis c. 1. Unicus sufficiat S. Gregorius Hom. 34. *Novem Angelorum ordines diximus, quia videlicet esse, testante sacro eloquio, scimus Angelos, Archangelos, Virtutes, Potestates, Principatus, Dominationes, Thronos, Cherubim atque Seraphim.*

Di-

Dices 1. S. Hieronymus & alii nonnulli pauciores enumerant Angelorum ordines; ergo, &c.

Resp. ex SS. Patribus nonnullos aliquando non omnes enumerasse Angelorum ordines, quia nec scopus illorum talem exigebat enumerationem; verum cæteros alibi recensent, aut saltem eos non excludunt.

Dices 2. De consecratione, distinctione prima capite. *Hi duo.* Leo X. decem Angelorum ordines agnoscere videtur, cum dicit *decimum ordinem per superbiam corruisse.* Hinc Glossa quædam ait, *Nomen decimi ordinis non habemus.*

Resp. sensum esse, tantum extitisse lapsorum numerum, ut potuisset decimum constituere ordinem, qui decimus ordo dicitur ex hominibus reparari: ad Glossam autem alia respondet Glossa his verbis: *Nec habere possumus, cum non fuerint nisi novem.*

SECUNDA CONCLUSIO.

Hi novem ordines in tres distribuuntur hierarchias.

Probatur ex mirabili Patrum & Theologorum post Auctorem de cœlesti hierarchia, consensu. In prima & superiori hierarchia recensentur Seraphim, Cherubim & Throni; in secunda, Dominationes, Principatus & Potestates; in tertia, Virtutes, Archangeli & Angeli. Hunc Ordinem assignant SS Gregorius & Thomas, Magister & alii Theologi; nec ab illo recedit Auctor de cœlesti hierarchia, nisi in quantum Virtutes ad secundam, Principatus vero ad tertiam refert hierarchiam.

Porro hierarchiæ nomine generatim intelligitur sacrorum præfectura seu potestas: hinc hierarchia cœlestis certus est Angelorum numero-

merus qui sibi invicem, ac uni tanquam principi in ordine ad cœlestes actiones subordinantur. Is autem qui Princeps censetur omnium Angelorum, eorumque supremus hierarcha, est sanctus Michael: hic Princeps dicitur in Scripturis Populi Israelitici, custos Ecclesiæ, victor diaboli, &c. hunc que sub titulo Principis omnium Angelorum veneratur sancta piaque mater Ecclesia.

TERTIA CONCLUSIO.

Variæ sunt variorum ordinum Angelorum proprietates.

Probatur: quia hæc varietas petitur tum ex diversis perfectionibus intrinsecis, quas enumerat S. Bernardus; tum ex variis ministeriis & functionibus, ut censet S. Gregorius: hinc Seraphim Deo maxime conjuncti summa ardent claritate quam in alios transfundunt; Cherubim mira pollent scientia qua & cæteros illuminant; Throni speciales sunt ipsius inhabitantis Dei sedes, hinc pax & securitas qua fruuntur & aliis communicant; Dominationes mira in res creatas potentia præeminent; atque ad eos velut ad Principes inferiorum Angelorum ministeria referuntur: Potestates peculiari gaudent auctoritate in dæmones, eorumque malitiam ad Dei nutum aut cohibent aut diffundi permittunt; Principatus Omnipotentis majestatem ac dignitatem referunt, atque in divinorum mandatorum executione Virtutibus principantur; Virtutes in recipiendis Dei illuminationibus maxime sunt constantes, atque per eos miracula patrantur; Archangeli sublimium Dei arcanarum præ cæteris conscii sunt, eorumque nuntii; Angeli vero minima nuntiant.

AR-

ARTICULUS III.

De Missione Angelorum.

Missionem convenire Angelis docet Scriptura multis in locis. Sic Exodi 33. *Mittam præcursorem tuum Angelum.* Luc. 1. *Missus est Angelus Gabriel a Deo.*

Qui tamen ab Omnipotente mittuntur Angeli, ii ministri quidem sunt & servi Dei, non autem hominum. Hinc Apocal. 19. & 22. Angelus se conservum Joannis vocat, non servum; & qui regnis præsunt Angeli, eorum Principes, non servi aut ministri dicuntur, Daniel. 10. *Princeps autem regni Persarum*, &c.

His igitur duobus suppositis velut certis, quæremus: 1. utrum omnes Angeli mittantur: 2. num homo quilibet habeat Angelum suum custodem: 3. an regnis, nationibus & populis assignatus sit Angelus custos; 4. utrum unusquisque sicut bonum, ita etiam & malum habeat angelum.

PRIMA CONCLUSIO.

Omnes Angeli a Deo mittuntur.

Probatur Hebr. 1. *Nonne omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hæreditatem capiunt salutis?* Iste autem locus de omnibus absolute intelligendus est, cum Apostolus tali ratiocinio probet Christum superiorem atque majorem esse quibuslibet Angelis.

Hinc unus e Seraphim, id est ex supremo Angelorum ordine mittitur, Isaiæ 6. ad Prophetam Michael ordinum angelicorum Princeps missus probatur, tum ex Daniele 10. tum ex altercatione cum diabolo pro corpore Mosis, de qua S. Judas in Epistola. Nec desunt

sunt Patrum auctoritates in locum Apostoli mox citatum, ipsi enim nullam faciunt exceptionem; tales sunt præcipue Græci.

SECUNDA CONCLUSIO.

Quilibet homo habet Angelum suum custodem.

Probatur 1. ex Script. Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei.* In quem locum S. Hieron. ait: *Magna dignitas animarum, ut unaquæque habeat ab ortu nativitatis in custodiam sui Angelum deputatum.* Actuum 12. Fideles, Petro foras pulsante, dicunt; *Angelus ejus est;* ex quo colligere est hanc intimam fuisse Fidelium persuasionem, unicuique demandatum fuisse Angelum.

Probatur 2. ex SS. Patribus. S. Hieronym. in Eccles. 5. ad hæc verba: *Ne dicas coram Angelo, Non est providentia. Non enim,* inquit, *in ventum dicta transeunt, sed a præsente Angelo, qui unicuique adhæret comes, statim perferuntur ad Dominum.* S. Ambros. in Ps. 38. *Angelus in circuitu est hominis qui prætendit ne quis noceat ei.* S. Bernardus L. 5 de Consideratione c. 4. *Putemus Angelos dici qui singulis hominibus dati creduntur;* ergo, &c.

Cæterum, etsi singulis deputetur hominibus Angelus custos, nihilominus tamen Fidelibus ac præcipue prædestinatis hæc dos competit, unde de iis potissimum loquuntur SS. Patres de Angelorum custodia agentes.

TERTIA CONCLUSIO.

Valde probabile est, singulis nationibus, regnis, imo & civitatibus deputatum esse Angelum custodem.

Probatur 1. ex Danielis 10. *Princeps regni Persarum restituit mihi viginti & uno*

d.e-

diebus, & ecce Michael unus de Principibus primis venit in adjutorium meum, & ego remansi ibi juxta Regem Persarum.

II ex S. Basilio de Angelis agente, *Alii ipsorum*, inquit, *gentibus præpositi sunt, alii Fidelium singulos consequuntur.* Theodoretus quæst. 3. in Genes. ait, *Cuique genti Angelum præesse, affirmat Scriptura.* Idem tradunt SS. Ambrosius & Damascenus, atque alii ex veteribus multi.

QUARTA CONCLUSIO.

Probabile non est singulis hominibus deputatum esse Angelum malum. Conclusio est contra Origenem, Cassianum, Magistrumque Sententiarum.

Probatur: quia Deus nemini mandavit impie agere, neminem ipse tentat; ergo nulli dæmoni mandavit ut homines ad malum incitaret.

Et vero natura humana satis ad malum ex se proclivis est, & dæmones sat superque ad tentandos homines sese concitant, nec ulla ad irritandam eorum malitiam exigitur ordinatio divina: unde S. Prosper Lib. contra Collatorem cap. 27. Cassianum arguit de illa doctrina.

Atque hæc de Angelis, fusiori forsan quam par erat modo pertractata, si communis ac usitatus mos attendatur; pressiori tamen, si expendantur utilitas & materiæ dignitas. Etenim ignotus plerisque de Angelis haud ita facilis Tractatus, & in fusioribus Prælectionibus omissus, quamdam postulabat prolixitatem: brevitati, jam premente voluminis mole, libenter posthac studebimus.

FINIS.

Inhouse = 3 D

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1039804764-19/fragment/page=575

PRÆLECTIONES THEOLOGICÆ

DE MYSTERIO

SS. TRINITATIS

ET DE ANGELIS

AD USUM SEMINARIORUM

Et examinis ad Gradus Theologicos prævii in Compendium contractæ

AB HONORATO TOURNELY

Sacræ Facultatis Parisiensis Doctore, Socio Sorbonico & Emerito Professore, necnon Sacrosanctæ Capellæ Regii Palatii Parisiensis Canonico.

TOMUS SECUNDUS.

VENETIIS,

EX TYPIS NICOLAI PEZZANA

M. DCC. LVIII.

Cum Superiorum Licentia ac Privilegio.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-1192015415-1039804764-19/fragment/page=577